This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 06823349 7





Dans
ZFF



THEOLOGIA

MORALIS ET DOGMATICA

REVERENDI ET ERUDITISSIMI DOMINI

PETRI DENS,

IN UNIVERSITATE LOVAN. S. THEOLOGIÆ LICENTIATI, ECCLESIÆ METROPOL. S. RUMOLDI MECHLIN. CAN. GRAD. ET ARCHIDIÆCES. NECNON SEMINARII ARCHIEP. PRÆSIDIS, ETC.

EDITIO NOVA, ET ABSOLUTISSIMA,

QUIPPE CUI NUNC PRIMUM ACCEDUNT

EPITOME EX OPERIBUS BENEDICTI XIV. NECNON ET VARIÆ SUMMORUM PONTIFICUM, PRÆSERTIM

VERO EJUSDEM PONTIFICIS CONSTITUTIONES, LITERÆ ENCYCLICÆ, ETC.

TOMUS V.

COMPLECTENS

TRACTATUS DE INCARNATIONE, DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE, EUCHARISTI ET SACRIFICIO MISSÆ.

DUBLINII:
EX TYP. RICHARDI COYNE,
IN VIA VULGO DICTA CAPEL-STREET; TYPOG. ET BIBLIOPOL. R. C. COLL. MAYNOOTH.

MDCCCXXXII.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
ASTOR, LENOX
TILDEN FOUNDATIONS

PROEMIUM.

ORDITUR S. Thomas tertiam partem à Mysterio Incarnationis Filii Dei, quod tam verè atque Catholicè, tam intelligibiliter, quantùm homini licuit, exposuit Doctor Angelicus, ut ter, dum huic Operi incumberet, à Christo Domino meruerit approbari: *Bene scripsisti de me, Thoma.*

De admirabili illa unione et nexu Verbi Divini cum natura humana, et de proprietatibus inde consequentibus, disputat S. Doctor à quæstione prima usque ad vigesimam septimam; ab hac autem usque ad quadragesimam proponit et explicat ea, quæ spectant ad adventum et ingressum Christi in hunc mundum. Exinde usque ad quæstionem quadragesimam sextam prosequitur multa, quæ concernunt progressum vitæ ejus in hoc mundo; ab illa autem usque ad sexagesimam tractat de exitu et morte Salvatoris nostri, et de Exaltatione ejus, quæ deinceps fuit subsecuta.

Hunc ordinem S. Thomæ sequimur: et hunc Tractatum compendiosè trademus, in quantùm scilicet utilis est et necessarius, tum ad evitandos errores, qui frequentissimi fuerunt contra hoc Mysterium, tum etiam ad Populi instructionem ritè instituendam.

TRACTATUS

DE

INCARNATIONE.

N. 1. DE INCARNATIONIS VERITATE ET ERRORIBUS OPPOSITIS.

I. *Incarnatio.* II. *Probatur.* III. *Errores contra illam.*

I. Quid est Incarnatio?

R. Cum sancto Thoma: "est Divinæ Personæ Filii ad humanam naturam unio hypostatica, seu personalis:" vel quod idem est: "est unio seu unitio naturæ humanæ cum divina in una Verbi Persona."

Proba illam jam factam esse?

II. R. Ex Joannis cap. 1. v. 14. "Verbum Caro factum est." Per "Verbum" significatur secunda in Trinitate Persona, seu Filius Dei naturalis, ut significatur ibidem v. 1. "Et Deus erat Verbum," quod verti debet: "Et Verbum erat Deus."

Per ly Caro significatur Homo, ponendo partem pro toto per synecdochen, uti accipitur Gen. cap. 6. v. 12. et Lucæ cap. 3. v. 6.

Dicitur potiùs caro, quàm homo, ad commendandam nobis humilitatem Christi, et ejus charitatem in nos, quâ motus tam vilem carnem assumpsit.

Idem probatur ex multis aliis Scripturæ locis, et ex Symbolo Apostolorum art. 3, in quo legitur: "Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine."

Enumera præcipuos errores contra Mysterium Incarnationis?

III. R. Primus error est Gentilium et Judæorum, qui negant, illam factam esse.

Secundus est Hæreticorum, quos ipse S. Thomas in caput primum Matthæi ad tres classes revocat.

Prima classis est errantium circa divinitatem Christi, quales sunt Cerinthus coætaneus Apostolis, Ebion, Paulus Samosatenus, Photinus, et alii qui solam naturam humanam in Christo agnoscunt.

Secunda est errantium circa Christi humanitatem: ad hanc pertinent Marcionitæ et Manichæi docentes Dei Filium assumpsisse tantùm carnem phantasticam et apparentem: item Apollinaris asserens, Christum assumpsisse corpus sinè anima, et postea affirmans animam in Christo, sed sinè mente: item Valentinus in Christo quidem admittens verum corpus, sed de cælo allatum, et transivisse per beatam Virginem quasi per canalem.

Tertia est errantium circa utriusque naturæ unionem; ut Nestorius constituens in Christo duas Personas, divinam et humanam; et Eutyches, qui impugnans errorem Nestorii, duas in Christo negabat naturas distinctas, ponens unam confusam et mixtam ex divina et humana.

Latiùs hæc Billuart in suo prœmio, et nos, ubi occurrent.

N. 2. PROBATUR CONTRA JUDÆOS, INCARNATIONEM ESSE FACTAM.

Primò ex Prophet. Jacob. II. 2. *Ex c.* 9. *Dan.*

I. Cum Judæi novum Testamentum non admittant, hinc contra ipsos probatur ex Scriptura veteris Testamenti; et primo ex Prophetia Jacob benedicentis Filio suo Judæ, Gen. cap. 49. v. 10. " Non auferetur Sceptrum de Juda, " et Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est " et ipse erit expectatio gentium."

Patriarcha Jacob ponit signum adventûs Messiæ, scilicet ablationem Sceptri de Juda; atqui illud signum est positum, seu Sceptrum de Juda et de tota Gente Judaica jam prædem ablatum est, et Duces ac Principes de femore ejus jamdiu defuerunt: ergo venit jam ille, qui à Deo mittendus est, hoc est, Messias.

Quid in dicta Prophetia intelligitur nomine " Sceptri" *et nomine* " Juda?"

R. Hoc inter Catholicos variè disputatur; sed inde nihil pro Judæis; cùm juxta illam Prophetiam Messias jam saltem advenerit, postquam Judæi nec regnum, nec rempublicam retinent.

Prima sententia quæ est communior, et cæteris apparet verisimilior, strictè accepit illa nomina; ita ut sensus sit: "Postquam Sceptrum seu Regia potestas venerit ad Tribum "Juda, non auferetur illa potestas regendi ab illa tribu, "nisi circa adventum Messiæ." Jam autem illa regia potestas venit ad tribum Juda in Davide, et ab illa est ablata parùm ante adventum Christi per Herodem Ascalonitam, qui erat alienigena, natione Idumæus, licèt fortè religione Proselytus: ergo, &c.

Hæc sententia eò magis probatur, quòd ipsi Judæi tunc temporis ita intellexerint, ut patet ex communi rumore de adventu Messiæ, qui etiam pervenerat ad Samaritanos; ut iterum patet ex verbis Mulieris, Joan. cap. 4. v. 24. Christo dicentis: "Scio quia Messias venit," seu brevi venturus est.

Contra Hanc sententiam præcipuè objicitur, ablatum esse Sceptrum à Tribu Juda tempore Machabæorum, qui erant de Tribu Levi.

Ex hac objectione oritur secunda sententia (quæ est Billuart et aliorum) dicens: nomine "Juda" in Prophetia Jacob non intelligi strictè Tribum Juda, sed Gentem Judaicam; jam autem Machabæi erant de Gente Judaïca; ergo, &c.

Sed quia in illa sententia non videtur benedixisse Jacob singulis filiis suis Benedictionibus propriis (ut tamen dicitur v. 28.) et quia verba dictam Prophetiam præcedentia et subsequentia non possunt intelligi nisi de Tribu Juda; hinc potiùs secundùm primam sententiam.

R. Quòd penes Machabæos quidem fuerit usus seu exercitium Sceptri, jus tamen Sceptri permanserit in Tribu Juda: sicut hodiedum jus Sceptri est penes Polonos, licèt extraneum eligant seu ei concedant regiam potestatem. Vide hæc latiùs explicata apud Wiggers q. 1. a. 1. num. 12.

Tertia sententia est eximii Domini Guyaux, explicantis Prophetiam per Sceptrum particulare seu particularem potestatem, quam singula Tribus, et in casu Tribus Juda habebat ab initio regendi seipsam per proprios Duces, &c.; sed huic sententiæ communiter opponitur significatio vocis

" Sceptri :" item quòd Tribus Juda non videatur illud perdidisse ante excidium Jerosolymitanum, et sic illius ablatio non potuerit esse signum adventûs Messiæ.

II. 2°. Probatur Messiam venisse ex cap. 9. Daniel, ubi ab Angelo Gabriele dicuntur abbreviatæ septuaginta hebdomades ante adventum Messiæ; accipiuntur autem septuaginta hebdomades annorum; seu sumendo septem annos pro una hebdomada (quæ locutio etiam habetur Levit. c. 25. v. 8.) et sic sunt 490 anni, qui jam post edictum Regis Babylonis de reædificanda Jerusalem evidenter transierunt.

Hujus Prophetiæ verba fusè et luculenter explicat Wiggers loco mox citato numero 16 et sequentibus; qui eodem loco numero 40 tertium testimonium adfert contra Judæos, et explicat ex cap. 2 Aggæi Prophetæ.

N. 3. DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

S. Thom. quæst. art. 2.

I. *Necessaria fuit incarnatio.* II. *Ut satisfactio esset rigorosa.*

Quod conveniens fuerit Deum incarnari, explicat S. Thomas articulo 1. sed an etiam fuit necessarium ad reparationem generis humani?

I. R. Non fuit absolutè necessarium; nam poterat Deus liberaliter peccatum et pœnam ejus condonare, vel aliqualem ab homine satisfactionem, acceptare, vel multis aliis modis naturam humanam liberare, cùm Deus sit liberrimus respectu operum " ad extra :" II. In supposito tamen, quòd Deus condignam satisfactionem, et secundùm rigorem justitiæ pro peccato hominis voluerit exigere, necessarium fuit, Personam divinam incarnari, sive assumere naturam capacem meriti; vel Angelicam, vel humanam; humanam tamen convenientiùs, ut explicat S. Thom. q. 4. a. 1. in " Corp."

Probantur jam dicta verbis et ratione, S. Th. ad 2. " Peccatum, inquit, contra Deum commissum quamdam " infinitatem habet ex infinitate Divinæ Majestatis; tantò " enim offensa est gravior, quantò major est ille, in quem " delinquitur: unde oportuit ad condignam satisfactionem, " ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote " *Dei et hominis* existens."

Vim facit in eo S. Thomas, quòd, sicut peccatum mortale continebat malitiam infinitam, utpote contemptum Personæ infinitæ includens; ita Persona pro eo satisfaciens deberet esse infinitæ dignitatis; opera enim satisfactoria pro injuria illata accipiunt suum valorem secundùm dignitatem personæ satisfacientis: ergo pura creatura non potuisset rigorosam satisfactionem præstare, utpote quæ semper esset finita.

Obj. Opera hominis justi ex gratiâ facta procedunt à Spiritu sancto; ergo etiam habent valorem infinitum.

R. Dist antec. procedunt à Spiritu Sancto ut Persona vel supposito proprio operante, ita ut tunc Spiritus Sanctus possit dici mereri, satisfacere, &c. nego antec.; ut à causa prima et generali per influxum gratiæ Spiritûs Sancti; conc. antec.: sed hoc ad valorem infinitum non sufficit.

Inst. Talia opera Justi merentur de condigno vitam æternam; atqui vita æterna est infinita; ergo etiam illa opera justi.

R. Dist. minorem; vita æterna est infinita duratione, concedo minorem: et sic etiam illa opera justi sunt, utpote semper manentia in acceptatione divina; aliàs, nego minorem; præterea meritum respicit præmium ejusdem ordinis et connaturale gratiæ, quæ naturâ suâ est semen gloriæ: at satisfactio pro injuria illata respicit Personam læsam, quæ simpliciter est infinita, cum qua nulla persona creata, honorem rependens quantumcumque per gratiam sanctificata, potest habere ullam proportionem in ratione dignitatis et excellentiæ.

N. 4. DE SATISFACTIONE CHRISTI SECUNDUM RIGOREM JUSTITIÆ.

I. *Satisfactio Christi fuit de rigore Justitiæ.* II. *Sed non omnibus applicatur.*

1. Quod Christus strictè pro nobis satisfecerit, probatur imprimis contra Socinianos ex Scripturâ Sacra: sic dicitur 1. ad Cor. cap. 6, v. 20. "Empti estis pretio magno;" et 1. Petri cap. 1. v. 18. "Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis," &c. Qui modus loquendi indicat rigorosam justitiam uti habetur in contractu oneroso emptionis-venditionis.

Probatur etiam à ratione ex requisitis ad Justitiam strictè dictam: sic 1°. Christus satisfecit Deo, et eatenùs satis-

factio est ad alterum. 2°. In Deo erat strictum jus, cui satisfacere Christus acceptavit pro redemptione nostra. 3°. Etiam reddidit æquivalens; cùm ex dictis numeri præcedentis, tantùm honoris Deo reddiderit, quantùm injuriæ Deo fuerat illatum per peccatum; quinimò non tantùm æquivalens, sed etiam superabundans fuit satisfactio Christi. Vide Apostolum ad Rom. cap. 5. et alias authoritates citatas à Billuart et deductas dissertatione 19. art. 6.

Obj. Christus sibi ipsi satisfecit, cùm esset Deus: atqui satisfactio rigorosa debet esse ad alterum: ergo, &c.

R. Disting. minorem: debet esse ad alterum naturâ, concedo minorem: ad alterum supposito seu personâ, nego minorem: et dico, quod ad satisfactionem rigorosam sufficiat distinctio naturarum in eodem supposito; unde Christus ut sustentans naturam humanam satisfecit sibi ipsi ut subsistenti in natura divina. Fusè hæc Wiggers quæst. 19. dubio 4, &c.

11. Si Christus satisfecit pro peccatis nostris, quomodo ergo non omnibus remittuntur?

R. Quia Christus rigorosè quidem satisfecit quoad sufficientiam, sed non quoad applicationem, quam reliquit beneplacito Patris; et hinc etiam sequitur contra Sectarios necessitas bonorum operum et satisfactionum per pœnitentiam, &c. juxta dictum Apost. ad Coloss. cap. 1. v. 24. "Adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi."

Undenam fit, quòd merita et satisfactiones Christi non omnibus applicentur?

R. Id pertinet ad inscrutabilia judicia Dei: ex parte nostra id evenire potest quasi à posteriori: quia Deo permittente oritur impedimentum, vel ex nostra malitia, vel etiam ex causa naturali, ut in parvulis sine Baptismo morientibus in utero materno.

N. 5. DE CAUSA FINALI INCARNATIONIS.

S. Thom. quæst. 1. *art.* 3. *et* 4.

I. *Si Adam non peccasset, Christus non venisset.* II. *Objiciunt Scotistæ.* III. *Objiciunt ulteriùs.*

QUARE Filius Dei est incarnatus?

R. Responsio Catechistica, quæ bona est, est hæc: "ut liberaret nos à servitute et captivitate dæmonis, hoc est, à peccatis *originali* et aliis personalibus."

An igitur, si Adam non peccasset, Filius Dei non fuisset incarnatus?

I. R. S. Thomas art. 3. quòd non fuisset incarnatus; non quasi non potuisset incarnari; sed quia non fuisset incarnatus; in quantùm est vi præsentis decreti, seu in quantùm nobis voluntas divina innotescit: quia Scriptura Sacra ubique peccatorum salutem tanquam finem Incarnationis proximum nobis proponit, ut Lucæ cap. 5. v. 31 et 32. et cap. 19. v. 10. item 1. ad Timoth. 1. v. 15. dicitur; "Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere."

Hinc etiam dicitur in Symbolo Nicæno: "Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Cœlis." Sic etiam canit Ecclesia in Benedictione Cerei Paschalis: "O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!" Sic etiam omnes Sancti Patres.

II. Contrarium tenent Scotistæ docentes, quòd equidem Christus venisset, sed cum carne impassibili, et ex motivo naturam humanam nobilitandi et glorificandi, non ex motivo naturam reparandi; unde, inquiunt, post Adæ peccatum accessit nostræ redemptionis nunc finis secundarius: et de hoc, inquiunt, loquuntur Scripturæ Sacræ, quando pro fine Incarnationis Verbi Divini ponunt peccatorum salutem.

R. Sed in hac sententia saltem verificari non possunt communes locutiones Sanctorum Patrum asserentium absolutè, simpliciter et sinè restrictione, Christum non fuisse venturum, Adamo non peccante; sicuti v. g. falsum diceret (imò hæreticus reputaretur) qui simpliciter et absolutè assereret, Corpus Christi non esse in cœlo, vel in Sanctissimo Sacramento, quamvis ibi non sit in carne passibili.

III. Videtur esse inversio ordinis, quòd majus bonum referatur ad minus; atqui Incarnatio est majus et dignius bonum quàm salus hominis: ergo, &c.

R. Dist. majorem: si majus bonum referatur ad minus, ut, ad finem ultimum simpliciter, concedo majorem: sed nego majorem, si majus bonum referatur ad minus solùmmodo ut perfectum ad perfectibile, vel sicuti causa ad effectum, vel sicuti medium ad finem proximum; modò utrumque ordinetur ulteriùs ad finem aliquem ultimum: sic Incarnatio ordinatur ad salutem hominis tanquam ad finem proximum sed

utrumque ad gloriam Dei. Patet in exemplis: sic Deus ordinat Angelos ad nostram custodiam ob suam gloriam: sic Mercator in mari exponit vitam pro lucro temporali, quod ordinatur ad suî suæque familiæ sustentationem.

S. Thom. art. 5 et 6. plures adducit rationes congruentiæ, quare Incarnatio facta sit, non ab initio mundi, nec dilata usque ad finem mundi, sed in plenitudine temporis; ut sic aliqui homines salvarentur per fidem Christi venturi, præsentis et præteriti.

N. 6. DE MODO UNIONIS HYPOSTATICÆ.

S. Thom. quæst. 2.

I. *Unio.* II. *Facta est in hypostasi.* III. *Non immediatè in natura divina.*

QUID est Unio hypostatica?

I. R. Est unio, quâ natura humana realiter et substantialiter sic est unita Personæ Divinæ Verbi, ut in illa habeat suam subsistentiam.

II. Vocatur autem "hypostatica;" quia unio illa immediatè est in hypostasi sive personalitate, estque hæc unio inter omnes uniones creatas maxima. Vide S. Thom. art. 7 et 9.

Nota igitur, quòd extrema sive termini illius unionis sint personalitas Verbi et natura humana.

Nota etiam, quòd hæc nomina: "Hypostasis, Persona, Suppositum et Subsistentia," hic soleant accipi in eadem significatione; licèt strictè differant; prout dicitur in "Tractatu de Deo."

An natura humana est etiam unita naturæ divinæ?

III. R. Non immediatè et formaliter; sic enim omnes tres Personæ Divinæ essent incarnatæ: cùm in illis natura divina sit una et eadem numero.

Interim natura humana ob unionem hypostaticam etiam potest dici unita naturæ divinæ in personalitate Verbi, licèt secundariò tantùm et mediante personalitate Verbi; nam Persona Divina est realiter eadem cum natura divina; quia tamen ab ea differt virtualiter seu ratione ratiocinata, non dicitur nec dici potest, quòd natura divina sit incarnata, sed Persona Filii: et ideo etiam non rectè dicitur nec simpliciter dici potest, quòd unio facta sit in naturis divinâ et humanâ.

Obj. Incarnatio est opus " ad extra;" atqui opera " ad extra" sunt toti Sanctissimæ Trinitati communia: ergo omnes tres Personæ sunt incarnatæ.

R. Nego consequentiam: & dico, quòd omnes tres Personæ quidem illam unionem effecerint tanquam opus " ad extra;" sed illa unio proximè et immediatè terminata est ad personalitatem seu relationem Filii; quæ realiter distinguitur à Persona Patris et Spiritûs Sancti; et sic solus Filius est incarnatus, et Christus dicitur, non Pater nec Spiritus Sanctus. Rationes congruentiæ, quare potiùs Filius sit incarnatus, quàm Pater vel Spiritus Sanctus, has allegat S. Thom. quæst. 3. art. 8. scilicet: ut qui Filius est Dei, Filius fieret hominis; deinde Filius ratione generationis est medius inter Patrem et Spiritum Sanctum, adeoque in natura assumpta meritò est Mediator inter Deum et homines.

N. 7. DE PERSONA CHRISTI.

S. Thom. qæst 2.

I. *In Christo non est Persona humana sed divina.* II. *Quod est contra Nestorium.* III. *Quomodo Diva virgo sit Mater Dei.* IV. *Persona Christi est certo sensu composita.*

QUID est Christus?

R. Est personalitas Verbi sustentans naturam humanam: seu etiam vulgariùs, est secunda in Trinitate Persona, quæ in tempore assumpsit naturam humanam.

Quot sunt Personæ in Christo?

R. Una scilicet Persona Divina Filii Dei.

An igitur in Christo non est Persona humana?

I. R. Negativè; sed locum ejus supplet Persona Divina; etenim natura humana in Christo subsistit et sustentatur per Personam Filii, non per personalitatem humanam: et ideo non rectè dicitur, quòd Verbum assumpserit hominem, sed dici debet, quòd assumpserit naturam humanam: et propterea hic sermo: " Verbum assumpsit hominem," benignè debet interpretari; quia non assumpsit humanam personam, sed tantùm humanitatem.

An ergo Christus non est verus homo?

R. Affirmativè: Quia habet totam essentiam hominis, compositum scilicet ex anima et corpore, homo autem dicitur *omnis ille, qui habet* naturam humanam. Personalitas

verè humana non pertinet ad essentiam hominis, utpote quæ consistit in negativo, scilicet quòd natura illa humana non ordinetur ad aliud à se, distinctum tanquam pars essentialis aut integralis: et ex hac ratione facilè etiam videtur quomodo in Christo nunquam fuerit personalitas humana; cùm in natura humana à Verbo assumpta nunquam fuerit illud negativum, seu quòd non ordinaretur ad aliud, &c.

II. Ex his itaque satis destruitur error Nestorii duas ponentis in Christo personas, seu duos Christos et duos Filios, unum scilicet Deum, alterum purum hominem in tempore natum; et hinc deducebat beatam Virginem dici non posse *Theotocon* seu Deiparam, sed solùm *Christitocon* seu Christiparam. Hæc hæresis damnata est in Concilio Ephesino ad annum 431, ut latiùs S. Th. art. 3. in *Corp.*

Sed quomodo diva Virgo dici potest Deipara seu Mater Dei cùm rectè in Catechismo dicatur, quòd Christus secundùm Naturam Divinam non habuerit Matrem, sed Patrem tantum?

III. R. Illa optimè consistunt: nam in verbis Catechismi agitur de generatione æterna à Patre, & sic Diva Virgo non potest dici Mater Dei per generationem æternam seu ab æterno; sed dici potest et debet Mater Dei per generationem in tempore factam, quatenùs scilicet in tempore genuit hunc hominem, qui simul verus est Deus ab æterno; unde sicuti etiam aliæ mulieres dici debent verè filiorum matres, licèt præcipua hominis pars seu anima rationalis ex ipsis non procreetur, sed à Deo infundatur per creationem corpori organizato; ita Diva Virgo verè Mater Dei dici debet, licèt tantùm subministraverit corpulentam substantiam. Vide ulteriùs S. Th. q. 35. art. 4.

An Persona Christi sit composita?

I. R. Affirm. cum S. Thoma art. 4. in *Corp.* intelligendo scilicet, non de compositione partium, sed de compositione quatenùs importat unionem distinctorum; quia Persona Christi subsistit in duabus naturis.

Obj. Persona Christi est ipsamet Persona Verbi; atqui Persona Verbi non est composita: ergo nec Christi.

R. Dist. maj. Est ipsamet Persona Verbi ut subsistens in sua natura divina et humana, conc. maj. et ratione illius unionis naturarum in eodem supposito dicitur composita.

Nota hic obiter differentiam in duobus primariis fidei *Mysteriis*, scilicet in Incarnatione una Persona habet duas

naturas distinctas; è contra in Sanctissima Trinitate tres distinctæ Personæ habent unam naturam.

N. 8. DE NATURIS CHRISTI.

S. Thom. quæst. 2.

I. *In Christo sunt duæ naturæ.* II. *Realiter inter se distinctæ.* III. *Contra Eutychetem.* IV. *Explicatur Comparatio S. Athanasii.*

QUOT naturas habet Christus?

I. R. Duas, scilicet divinam et humanam; divinam habuit ab æterno, humanam assumpsit in tempore, quando conceptus est in utero B. Virginis; atque ita non fuit homo ab æterno.

An illæ duæ naturæ manserunt integræ et realiter inter se distinctæ?

II. R. Affirm. mansitque utriusque naturæ proprietatum distinctio: proinde natura humana non est conversa in divinam, nec è contra; neque illæ duæ naturæ mixtæ composuerunt unam tertiam; nec etiam fuerunt unitæ unâ distinctâ unione, sed solum illâ unione, quæ facta est in Persona Verbi.

III. Hæc fuit Hæresis Eutychetis damnata in Concilio Chalcedonensi: an autem sustinuerit unitatem naturæ in Christo mixtione, an confusione, an conversione, incertum est.

Obj. Joan. c. 1. v. 14, dicitur: "Verbum caro factum est:" ergo Divinitas mutata est in naturam humanam.

R. Neg. conseq. Quia in illo sermone non significatur quòd Verbum Divinum sit mutatum, sed tantùm significatur, quòd Filius Dei, sinè suî mutatione, hypostaticè assumpserit naturam humanam, ratione cujus jam dicitur verus homo, quod ab ante non erat; ita ut sit propositio similis huic "Joannes factus est Theologus:" nam Joannes manens Joannes factus est talis: sic Verbum manens Verbum factum est homo: ita ut tota mutatio quam requirit illa unio, sit facta in humanitate.

Nota, quòd hujus Mysterii non detur perfecta similitudo in rerum natura: quia non datur natura alteri supposito hypostaticè unita, nisi natura humana in Christo.

Quid de ista similitudine, quæ legitur in Symbolo S. Athanasii: "Sicut anima rationalis et caro unus est Homo, ita Deus et Homo unus est Christus?"

IV. R. Similitudo illa non potest per omnia admitti; sed hoc sensu tantùm, quòd sicut anima rationalis et caro non constituunt duas personas, sed unam, in qua sunt, ita ex Divinitate et Humanitate in Christo non constituantur plures Personæ sed una tantùm: non autem hoc sensu est similitudo, quòd sicut anima rationalis et corpus immediatè inter se unita constituunt simul unam naturam, sic in Christo natura humana et divina unitæ constituant unam naturam; natura namque humana et divina in Christo, ut supra dictum est, manent inter se distinctæ, nec immediatè inter se uniuntur, sed tantùm in personalitate Verbi.

N. 9. DE PARTIBUS HUMANÆ NATURÆ ASSUMPTIS A VERBO.

S. Thom. quæst. 5. art. 1 et 2. et quæst. 6.

I. *Verbum assumpsit verum Corpus.* II. *Contra Manichæos.* III. *Et verum sanguinem.*

PROBA, quòd Verbum hypostaticè assumpserit verum corpus terreaum simile nostro corpori?

I. R. Ex Apostolo ad Hebr. c. 2. v. 14. "Pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse (*Christus*) similiter participavit eisdem:" item Luc. c. 24. v. 39. dicit Christus: "Palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere."

Probatur etiam à ratione: quia omnia quæ dicuntur de Christo, non possunt verificari de corpore phantastico; Christus enim secundùm corpus dicitur conceptus, natus, passus, mortuus, resurrexisse, &c.

II. Est contra Manichæos, ut dictum est *Num.* 1. quorum error erat ex eo, quòd ponerent duo prima principia, bonum et malum, et omnem creaturam corpoream esse à malo principio, seu diabolo: illa hæresis sæpe damnata est, ut in Concilio Nicæno, Ephesino, et aliis: fuit autem illud corpus immediatè et hypostaticè unitum personalitati Verbi.

An sanguis etiam sic fuit immediatè unitus, sicuti caro?

III. R. Affirmativè: Quia sanguis pertinet ad integritatem naturæ humanæ; jam autem Verbum hypostaticè assumpsit, quidquid spectat ad integritatem naturæ humanæ: *ergo, &c.*

Deinde dicitur I Joan. c. 1. v. 7. " Sanguis Jesu Christi Filii ejus, emundat nos ab omni peccato;" si autem sanguis non esset hypostaticè unitus, non fuisset infiniti pretii pro satisfactione de condigno.

Propterea Persona Verbi triduo mortis Christi, sicut mansit hypostaticè unita corpori sepulto, et animæ descendenti ad limbum; ita etiam hypostaticè mansit unita illi sanguini separato à corpore, qui in Resurrectione reuniendus erat.

Aliud est de sanguine non reassumendo, qui cùm non pertineat ad integritatem naturæ humanæ, non manet hypostaticè Verbo unitus; qualis fuit sanguis in Circumcisione Christi effusus, ut cum aliis dicit Billuart: et idem est de sanguine in terris relicto, v. g. qui Brugis asservatur.

Unde ex hoc axiomate: " Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit," nil sequitur, nisi quòd totam naturam humanam nunquam dimiserit, licèt dimiserit aliquas particulas à Christo resurgente non reassumendas. Ita intelligendus est S. Thom. infra quæst. 54. art. 2. ad 3.

N. 10. DE ANIMA CHRISTI.

S. Thom. quæst. 5. art. 3 & 4 & q. 6.

I. *In Christo fuit anima creat.* II. *Unita Personæ Verbi hypostaticè.* III. *Et corpori unione vitali.* IV. *Duplex in Christo intellectus et voluntas.* V. *Contra Monothelitas.* VI. *Non fuit contrarietas.*

An Christus habuit animam humanam rationalem creatam in tempore?

I. Responsio affirmativa est de fide contra Apollinarem, qui docebat, Christum non habuisse animam, sed Verbum fuisse loco animæ, et vices animæ supplevisse circa corpus.

Probatur ex Matth. c. 26. v. 38. ubi Christus dicit: " Tristis est anima mea usque ad mortem."

Probatur etiam à ratione: quia Christus fuit verus Homo, seu assumpsit veram humanam naturam; atqui anima est pars ejus essentialis, quia natura humana consistit in corpore et anima: ergo, &c.

II. Nota, quòd Persona Divina verbi fuerit hypostaticè unita immediatè animæ, et sic etiam immediatè corpori. insuper anima fuit unita corpori unione vitali.

III. Sunt igitur duæ uniones in Christo, scilicet hypostatica et vitalis, quæ factæ sunt eodem momento cum creatione animæ et efformatione corporis in utero Divæ Virginis, dum illa præbens assensum dixit: "Fiat mihi secundùm verbum tuum."

In Morte Christi vitalis unio inter animam et corpus fuit dissoluta, animaque dissoluta à corpore; sed unio hypostatica seu personalis nunquam fuit dissoluta: et propterea Persona divina Verbi mansit unita corpori in sepulchro, et etiam animæ descendenti in limbum Patrum.

An Christus habuit voluntatem humanam et intellectum humanum?

IV. R. Affirmativè: Cùm enim Christus habuerit veram animam rationalem, inde consequitur, quòd etiam habeat in illa anima intellectum et voluntatem humanam, quia sunt potentiæ essentiales animæ: similiter habuit appetitum sensitivum cum actibus suis, seu ut dicit S. Thomas, voluntatem sensualitatis, utpote pertinentem ad perfectionem naturæ humanæ, quam assumpsit.

V. Sunt igitur in Christo duæ diversæ operationes, divina et humana, seu intellectus humanus et divinus: item voluntas humana et divina: quod posterius definitum est in Concilio Generali VI. contra Monothelitas.

Hoc sufficienter significavit Christus, Lucæ cap. 22. v. 42. sic orans Patrem: "Non mea voluntas, sed tua fiat:" ubi distinguit voluntatem humanam à divina.

VI. An ergo in Christo non fuit contrarietas voluntatum?

R. Negativè: estque de Fide, decisum in Concilio mox dicto.

Obj. Voluntas humana refugiebat mortem his verbis: "transeat à me calix iste," atqui divina imperabat mortem: ergo in Christo erat contrarietas.

R. Nego conseq. Quia ad contrarietatem requiritur oppositio circa idem eodem modo sumptum; in Christo autem voluntas sensualitatis refugiebat mortem ut nocivam naturæ, et voluntas divina et voluntas rationis appetebat mortem ut bonam generi humano: adeoque oppositio est quidem circa idem, nempe mortem, sed non eodem modo sumptum. Deinde voluntas sensualitatis, seu appetitus sensitivus, sic *mortem* refugiebat, sed non eo motivo, quo id fieri voluit *voluntas divina*.

Quando itaque Honorius Papa asseruit, non esse duas vo-

luntates in Christo, intellexit de voluntatibus sibi contrariis et repugnantibus: idque patet ex ratione, quam adfert; quia, inquit, à divinitate assumpta est nostra natura, non culpa.

N. 11. DE DEFECTIBUS NATURÆ HUMANÆ A FILIO DEI ASSUMPTIS.

S. Thom. quæst 14 *et* 15.

I. *Christus assumpsit aliquos defectus naturæ.* II. *Sed voluntariè.* III. *Non assumpsit defectus personales.* IV. *Nec fomitem peccati.* V. *Nec ignorantiam.* VI. *Neque peccatum.* VII. *Anima Christi fuit impeccabilis.*

An Christus aliquos defectus humanæ naturæ assumpsit?

I. R. Dist. Assumpsit aliquos, nimirum illos, qui sunt communes toti naturæ et quasi naturales: cujusmodi sunt passibilitas, fames, sitis, dolor, mors, &c. et propterea dicitur Isaiæ cap. 53. v. 4.: " Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit."

II. Hos tamen defectus assumpsit Christus voluntariè, sicut et necessitatem subjacendi iis: idque ut nobis fieret exemplum virtutum, ut ostenderet se verè hominem, et extensivè in omni genere dolorum et pœnarum pro nobis satisfaceret. III. Defectus verò personales, qui oriuntur ex particularibus causis, non assumpsit, v. g. cœcitatem, morbos, febres, &c.

IV. Nec etiam eos, qui dedecebant ejus Personam, vel repugnabant perfectioni gratiæ vel scientiæ Christi: hinc in primis non assumpsit fomitem peccati, seu concupiscentiam.

V. Sic etiam non admisit in anima ullam ignorantiam; habuit enim scientiam omnium, quæ pertinebant ad suum statum.

VI. Neque etiam ullum vel minimum peccatum actuale vel habituale, juxta illud 1 Petri cap. 2. v. 22. " Qui peccatum non fecit."

Obj. ad Cor. cap. 5. v. 21. dicitur de Christo: " qui *non noverat peccatum, pro* nobis peccatum fecit:" ergo *Christus peccavit.*

R. Nego conseq. : nam peccatum posteriori loco sumitur impropriè, scilicet pro Hostia pro peccato, phrasi usitata in Scriptura Sacra, ut legitur Oèe cap. 4. v. 8. "Peccata populi mei comedent," id est, oblata pro peccatis.

An Anima Christi potuit peccare ?

VII. R. Nullo modo; idque 1°. ob unionem hypostaticam cum persona Verbi; nam si anima Christi peccasset, tunc Persona Divina (quod implicat) communicasset in illo peccato; quia actiones sunt supposiți, seu personæ tanquam *principii quod*; licèt actiones sint naturæ tanquam *principii quo*; et ideo non potest dici, quòd Christus tanquam homo potuerit peccare.

2°. Anima Christi fuit impeccabilis; quia fuit ab initio beata visione beatifica.

Obj. Persona Divina tam essentialiter est vita quàm est sanctitas vel justitia ; atqui rectè dicitur, quòd Christus potuerit mori; ergo etiam rectè dicitur, quòd potuerit peccare.

R. Disparitas est, quòd mors corporalis secundùm se nihil indecens contineat in natura humana, nullamque à Deo aversionem : adeoque mors potest tribui Deo secundùm humanam naturam assumptam : peccatum verò continet aliquid indecens respectu naturæ rationalis, et aliquam à Deo aversionem, ita ut repugnet Personæ Divinæ, etiam secundùm naturam, quam sustentat.

N. 12. DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

S. Thom. quæst. 16.

I. *Quid idioma ?* II. *Quid vox concreta, et abstracta ?* III. *Communicatio idiomatum.*

I. *Idioma* vox Græca significat Latinè vel *linguam*, et sic dicitur idioma Latinum; vel significat proprietatem, et ita hic sumitur : unde communicatio idiomatum est communicatio proprietatum.

II. Prænotandum, quòd nomen *concretum* significet simul formam et subjectum; ut v. g. homo significat naturam humanam seu formam, et subjectum, seu illud, quod habet naturam humanam : Nomen verò *abstractum* significat tantùm formam, v. g. humanitas, seu natura humana.

Quid est communicatio idiomatum ?

III. R. Est certa loquendi forma, quâ propter unionem hypostaticam Attributa divinæ et humanæ naturæ prædicantur de eodem supposito, seu Persona Christi.

De Fide est, Communicationem Idiomatum in Christo esse admittendam: sic Matth. c. 9. v. 6. Christus dicit se Filium hominis; et 1. ad Cor. 2. v. 8. Dominus gloriæ, sive Deus, dicitur crucifixus.

Sequentes regulæ sunt observandæ in communicatione idiomatum.

REGULA I.

I. *Fit per nomina concreta.* II. *Ut in exemplis.* III. *Quia significant idem suppositum.* IV. *Non fit per reduplicationem.* V. *Nec etiam per negationem.*

I. De nominibus omnibus positis pro Supposito seu Persona Christi possunt in concreto prædicari omnia nomina, quæ vel naturam divinam vel humanam, aut earum proprietates vel attributa significant.

II. Juxta hanc regulam rectè dicimus: " Deus est Homo, Homo est Deus, Filius Dei est Filius Hominis, &c." quia in concreto significant eandem Personam Christi.

Similiter rectè dicitur: " Deus, sive Filius Dei natus est ex Virgine, passus, mortuus est, &c."

Pariter de Christo rectè dicitur: " Hic Homo est immortalis, omnipotens, Filius Dei, &c."

Sic etiam attributa utriusque naturæ possunt in concreto de se mutuò prædicari: unde rectè dicitur: " Æternus natus est in tempore, Immortalis est mortalis, &c."

III. Fundamentum horum omnium est, tum unio hypostatica, ratione cujus unum et idem suppositum habet duplicem naturam, divinam scilicet et humanam; tum etiam quòd nomina concreta in recto significent suppositum, pro quo supponunt: et sic v. g. dum dictum est: " Æternus est natus in tempore," sensus est hic, quòd eadem Persona, quæ est æterna, sit nata in tempore secundùm naturam assumptam.

Obj. I. Ergo in Christo possunt duo opposita verificari: Probatur sequela: quia dum Christus vivebat in terris, licebat dicere: " Christus est mortalis, et Christus est immortalis."

R. Neg. sequelam: quia illa dicebantur de Christo non secundùm eandem, sed secundùm diversas naturas.

Obj. II. Videtur esse blasphemia, dum attribuuntur Deo defectus patiendi, moriendi, &c. ut dum dicitur: " Deus est passus, mortuus, &c."

R. Dist antec. Si attribuatur Deo secundùm humanam naturam assumptam, nego antecedens: si id attribuatur Deo secundùm naturam divinam, concedo anteced. et hoc posteriori sensu, seu in sententia Eutychianorum à Felice III. damnata est hæc propositio: " Unus de Trinitate passus est," licèt illa propositio in sensu Catholicorum sit verissima.

IV. Et hinc etiam nota, quòd, quæ sunt attributa unius naturæ in Christo, non possint de altera natura *reduplicativè* verificari: et ita quamvis vera sit hæc propositio: " Deus est passus;" falsa tamen hæc est: " Deus, quatenus Deus, est passus:" uti et hæc: " Christus, quatenùs est homo, est æternus."

Item sic etiam falsa erit hæc: " Christus quatenùs Deus, est Redemptor noster: quatenùs homo, est Redemptor noster:" quia illud attributum seu redemptio nostra Christo convenit ratione utriusque naturæ simul: unde ut in casu reduplicatio efficeret sensum verum, deberet cadere super utramque naturam, v. g. dicendo: " Christus quatenùs Homo Deus, est Redemptor noster."

Tempore vitæ Christi in terris licebat dicere: " Christus est immortalis;" an ergo etiam licebat dicere: " Christus non est mortalis?"

V. R. Negativè; quia in priori propositione *immortalitas*, cùm sit attributum divinæ naturæ, secundùm illam solùm attribuitur Christo; sed secunda propositio significat, Christum non esse mortalem ullo modo, nequidem secundùm humanam naturam.

Ratio est, quòd, cùm negatio sit malignantis naturæ, neget prædicatum de subjecto omni modo; et sic significaretur, quòd Christus nullo modo esset mortalis: ob eandem rationem non licet dicere: " Christus non est æternus, non est immensus," &c. nisi fortè restringatur secundùm naturam humanam.

REGULA II.

N. 13. PRO COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

I. Non fit per nomina abstracta. II. Christi humanitas non est ubique.

I. Communicatio idiomatum non fit per nomina abstracta, sive abstractim sumpta; quia nomina abstracta, ex modo suæ significationis excludunt suppositum (quod est fundamentum communicationis idiomatum), et significant naturas, quæ in Christo sunt inter se distinctæ; et ita licèt vera sit hæc: "Deus est homo," non tamen hæc: "Divinitas est humanitas."

Sic etiam non rectè dicitur: "Homo est æternitas, Deus est mortalitas, Divinitas est nata, mortua, &c. humanitas est omnipotens, æterna: immortalitas est mortalitas," &c. quamvis rectè dicatur: "Deus est natus, Homo est omnipotens," &c.

Obj. I. Ecclesia canit: "In ligno mortua vita fuit:" ergo, &c.

R. Abstractum ibidem ponitur pro concreto, scilicet vita loco vivens, vel causans vitam.

Obj. II. Rectè dicitur: "Christus est sua Deitas:" ergo etiam: "Christus est humanitas."

R. Prima propositio non ob communicationem idiomatum, sed solùm admittitur ut vera in sensu identico; adeo ut de Persona Verbi dicatur, quòd sit sua Deitas; secunda autem propositio nullo modo est vera in sensu identico; quia nomen formaliter includens personam humanam, vel excludens divinam, non potest de Christo prædicari; et ideo etiam non licet dicere: "Christus est purus homo, est Persona creata," *vel* "Christus est alius à Deo:" quia significaretur, quòd vel Christus non sit Deus, vel quòd duæ Personæ in ipso sint.

II. Similiter licèt rectè dicatur de Christo: "Hic homo est immensus, est ubique;" nequit tamen dici: "Humanitas Christi est ubique;" quia in priore propositione immensitas non tribuitur humanitati, sed Personæ divinæ sustentanti humanitatem.

In secunda autem propositione significatur, quòd ipsa humanitas habeat immensitatem, quod falsum est; est enim

de Fide contra Ubiquetarios, corpus Christi non esse ubique; ut evidenter probat responsio Angelorum, Marc. 16. v. 6. " Surrexit, non est hìc."

Obj. Christus ubique habet humanitatem: ergo humanitas Christi est ubique.

R. Disting. ant. Si *ubique* afficiat Christum, conc. ant. si *ubique* afficiat humanitatem, nego ant.; licèt enim Persona Verbi, quæ est ubique, sit intimè unita humanitati, non tamen totaliter; unde latiùs patet Divinitas, quàm humanitas: sic totum corpus intimè conjunctum est capiti, potest tamen corpus, quod excedit caput, quoad alias partes, v. g. secundùm pedes, esse alibi, ubi non est caput.

Pro clariori confirmatione sit: anima juxta communem Theologorum sententiam est in toto corpore intimè cùm illo et omnibus ejus partibus conjuncta; ex quo tamen non sequitur, quòd ubicumque sit anima, etiam sint omnes partes corporis, quibus est unita; sic v. g. anima est in pede, in quo tamen non est caput, quamquam caput intimè animæ conjungatur.

N. 14. DE LOCUTIONIBUS VITANDIS IN COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

S. Thom. quæst. 16.

I. *Non recte dicitur:* " *Christus est creatura.*" II. *Vel* " *incepit esse.*" III. *Vel* " *est minor Patre.*" IV. *Vel* " *homo Dominicus, &c.*" V. *Nec rectè dicitur* " *Deus factus est.*" VI. *Nec* " *homo factus est Deus.*"

Notat S. Thom. art 8. in *Corp.*; " Ex verbis inordi-" natè prolatis incurritur hæresis: unde cum hæreticis nec " nomina debemus habere communia, ne eorum errori " favere videamur."

Quæritur ergo primò cum S. Thom. art. 8. an vera sit hæc propositio: " Christus est creatura?"

I. R. Neg. Quia, ut etiam alibi dicit S. Thom. nempe in tertium dist. 11. q. 1. art. 2. " Christus non potest dici " creatura, non tantùm ad evitandum errorem Arii, ut " quidam dicunt, sed etiam ad vitandam falsitatem." Quia nomen *Creatura* includit negationem, quâ negatur Christo æternitas sub quacumque ratione; et ideo S. Doctor art.

10. illam propositionem solùm permisit cum determinatione, "secundùm naturam humanam." Et ita art. 9. ad 1. explicat SS. Patres.

Ob eandem rationem non licet simpliciter dicere: "Christus incepit esse," nisi cum addito, "secundùm naturam humanam," vel cùm simili determinatione; v. g. "Christus incepit esse homo:" vide art. 9. ad 3. similiter quamvis ipsemet Christus dixerit: "Pater major me est;" ob hæresim tamen Arianam vetat dici S. Thomas "Christus est minor Patre," nisi cum determinatione "secundùm naturam humanam:" quia vox *minor* negationem malignantem includit, non vox *major*.

Propter hæreticos Apollinaristas non convenit dicere: "Christus est homo dominicus;" putaretur enim significari, quòd Christus non sit verè Dominus, sed tantùm dominativè et participativè: quâ ratione etiam non potest dici: "Homo Deifer, Deificatus, &c." unde priorem modum correxit S. Aug. Vide S. Thom. art. 3. ad. 1.

An vera sit hæc; "Deus factus est homo?"

R. S. Thom, art. 6. affirmativè: et patet ex Joan. cap. 1. v. 14. "Verbum caro factum est:" et ex illo Symboli: "Homo factus est."

Non potest tamen simpliciter dici: "Deus factus est;" procederetur enim à dicto *secundùm quid* ad dictum *simpliciter*, quod est vitiosum: sicut non sequitur; Petrus hodie factus est Theologus, ergo hodie factus est.

Non rectè etiam dicitur de Christo, (ut docet S. Thom. art. 7.) "Homo factus est Deus;" significaretur enim, quòd Persona Verbi facta esset in tempore Deus; vel quòd aliquis homo præexistens factus esset Deus, quod utrumque falsum est.

Obj. I. Vera est hæc propositio: "Deus factus est homo:" ergo per conversionem etiam vera est hæc: "Homo factus est Deus."

R. Non est bona conversio; quia totum prædicatum non convertitur; deberet enim sic converti: "ergo hic, qui factus est homo, est Deus," quod verum est.

Obj. II. Joannes dicit de Christo: "Qui post me venit, ante me factus est:" ergo, &c.

R. Neg. conseq. Verba enim illa hunc habent sensum: mihi in honore et dignitate prælatus est; quod patet ex verbis sequentibus: "Cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti."

Eodem modo explicatur illud ad Hebr. cap. 1. v. 4. " Melior Angelis effectus ;" id est, major et excellentior, præ Angelis honoratus.

COROLLARIUM PRACTICUM.

Abstinendum est in catechismis et concionibus ab omnibus loquendi modis, qui, licèt strictè veri sint, possent tamen simplicium et rudiorum esse offensivi ; et ideo utile est ordinariè adjúngere determinationem explicitam, v. g. dicendo, Christus est corporeus secundùm humanam naturam, non secundùm divinam ; Christus passus est secundùm humanam, non secundùm divinam naturam, &c.

N. 15. AN CHRISTUS POTEST DICI FILIUS DEI ADOPTIVUS.

S. Thom. quæst. 23. *art.* 4.

I. *Christus non est ullo sensu Filius Dei adoptivus.* II. *Christus est servus Dei naturalis.* III. *Secundùm naturam humanam.* IV. *Christus fuit comprehensor et viator.*

I. Resp. Quòd Christus nullo modo possit dici Filius Dei adoptivus, nequidem quatenùs est homo : ratio est, quòd Christus sit filius Dei naturalis ; atqui adoptio cadit tantùm in personam extraneam, quæ assumitur in Filium ; nulla autem in Christo est persona extranea, sed unica, eaque divina : ergo Christus nullo modo potest dici Filius Dei adoptivus.

Obj. I. In Christo est natura extranea à Patre, nempe humana : ergo dici potest, quòd Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus.

R. Neg. conseq. Et ratio est, quòd adoptio non cadat in naturam, sed in personam : unde in illa propositione consequentis hæc reduplicatio, *ut homo*, non assumeret naturam, sed personam.

Obj. II. Filius Dei naturalis est ab æterno ; atqui complexum ex personalitate Verbi et natura humana non est ab æterno : ergo illud complexum seu Christus non potest dici Filius Dei naturalis, sed adoptivus.

R. Dist. conseq Viâ generationis, concedo totum ; viâ *unionis hypostaticæ*, sic neg. conseq. et dico, quòd duplici

ratione quis possit dici Filius Dei naturalis, vel quia ab æterno genitus est, vel quia illi in tempore communicatur filiatio naturalis, dum ipsi communicatur hypostasis Filii Dei naturalis: et talis est Christus.

Obj. 3^m. Christus secundùm naturam divinam est intraneus Patri, et extraneus Divæ Virgini; ergo cùm Christus secundùm naturam humanam sit intraneus Divæ Virgini, fit extraneus Patri, adeoque potest esse Filius Dei adoptivus.

R. Nego conseq. Et ratio est, quòd non implicet, quòd idem suppositum ratione divinæ naturæ extraneum Divæ Virgini, fiat ei intraneum ratione naturæ humanæ viâ generationis; sed implicat, quòd illud suppositum ab æterno genitum à Patre ipsi fieret extraneum: quod tamen requireretur, ut posset dici Filius Dei adoptivus.

Obj. IV. Christus potest dici servus Dei: ergo et Filius Dei adoptivus.

R. Nego conseq. et disp. est, quòd servitus respiciat naturam, filiatio verò Personam.

An igitur rectè de Christo dicitur, quòd sit servus Dei?

II. R. Affirmativè; non quidem servitute pœnali ex peccato, sed servitute naturali, ad quam sufficit ut aliquis sit alteri subjectus: Christus autem secundùm humanam naturam subjicitur, seu dependet à Deo in esse, fieri et conservari: ergo, &c.

III. Monet iterùm S. Thomas, ut, dum Christus dicitur subjectus Patri, vel servus, convenientiùs propter errorem Arii addatur, "Secundùm naturam humanam."

IV. Nota etiam cum S. Thoma quæst. 15. art. 10. quòd Christus ut homo fuerit simul comprehensor et viator: fuit comprehensor, in quantùm anima Christi, considerata in ordine ad Deum, fruebatur clarâ visione beatificâ; considerata verò in ordine ad corpus, seu quatenùs est forma corporis, erat anima Christi passibilis, et corpus passibile: et sic Christus erat viator, tendens ad impassibilitatem et immortalitatem quantùm ad gloriam corporis.

N. 16. DE SCIENTIA CHRISTI.

S. Thom. quæst. 9, 10, 11 *et* 12.

I. *In Christo est scientia increata et creata. Creata est triplex.* II. *Scilicet* 1°. *Beata.* III. 2°. *Infusa.* IV. 3°. *Acquisita seu experimentalis.*

I. Qualem scientiam habuit Christus?

R. Duplicem; sicut enim habuit intellectum divinum et humanum, ita habuit scientiam divinam seu increatam, et humanam seu creatam.

Scientia creata in Christo fuit triplex: 1°. Scientia beata, quæ dicitur visio beatifica: 2°. Scientia infusa, tam supernaturalis quàm naturalis: 3°. Scientia acquisita, quæ etiam dicitur experimentalis.

Quid cognovit anima Christi per scientiam beatam?

II. R. Cognovit in Verbo omnia præterita, præsentia et futura, sive omnia, quæ Deus novit per scientiam visionis; quia, cùm Christus sit constitutus à Deo judex vivorum et mortuorum, debebat cognoscere omnia, quæ spectabant ad suum statum; non tamen omnia possibilia in Verbo vidit: quia, cùm anima Christi sit creata et finita, non potest Deum, qui est causa omnium possibilium, comprehendere seu cognoscere, in quantùm cognoscibilis est.

III. Per scientiam infusam anima Christi cognovit omnia naturalia, omnes actus liberos hominum et Angelorum, cogitationes cordium, &c.

Deinde omnia supernaturalia cognovit; ut sunt fidei mysteria, &c.

Obj. Christus Marci 13. v. 32. dicit: " De die illo, vel hora *(judicii)* nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius:" ergo ignoravit diem judicii.

R. 1°. cum S. Athanasio, quòd non sciat illum diem ex eo, quòd homo est, sive ex humana scientia; licèt illum diem sciverit in humanitate, sed singulari Dei revelatione.

R. 2°. cum. S. Augustino, quòd Christus ibi loquatur ut legatus Patris, et eatenus dicat, se nescire; quia non erat missus ad hoc dicendum; quamvis revera sciret etiam ut homo: sic Regum legati sinè mendacio dicunt, se nescire quædam.

IV. Scientiam beatam et infusam habuit anima Christi per-

fectissimè à primo instanti conceptionis; quæ scientiæ in ipso non sunt auctæ; nec infantia animam impedivit à perfecto rationis usu; scientiam verò acquisitam Christus propriis actibus comparavit: unde illam habuit successivè, et consequenter illa aucta est, licèt etiam nunquam secundùm scientiam acquisitam ignoraverit aliquid eorum, quæ secundùm locum et tempus ipsi conveniebant.

De illa scientia verificantur hæc dicta de Christo ad Hebr. 5. v. 8. "Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam;" et Isaïæ 7. v. 15. "Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum:" ita ut sensus sit, quòd Christus didicerit per experientiam id, quod ante sciebat per scientiam infusam: et sic aptè etiam explicatur, quomodo secundùm hanc solam scientiam experimentalem fuerit in Christo admiratio, v. g. dum Matth. 8. audivit verba Centurionis.

Illa autem scientia experimentalis non est dicenda superflua in Christo: quia ad perfectionem intellectûs Christi spectat non solùm omnia cognoscere, sed omnia cognoscere omni modo, quo sunt cognoscibilia; jam autem per scientiam acquisitam cognoscit humano modo, quòd per scientiam infusam cognoscit modo angelico, et per scientiam beatam modo divino.

N. 17. DE GRATIIS CHRISTI HOMINIS.

S. Thom. quæst. 7.

I. *Fuit in Christo* 1°. *Gratia unionis, seu substantialis.* II. 2°. *Gratia habitualis seu accidentalis.* III. *Et* 3°. *Probabiliter gratia actualis co-operans.* IV. *Christus est plenus gratiâ.* V. *Quomodo in gratia profecerit.* VI. *Quomodo Diva Virgo sit gratia plena.* VII. *Et S. Stephanus.*

I. Qualis et quanta fuit gratia in anima Christi?

R. 1°. In ea fuit gratia unionis hypostaticæ, quæ vocatur gratia *substantialis*, quà humanitas Christi quasi deificatur; in quantùm scilicet Persona Verbi sustentando naturam humanam verè et substantialiter ei juncta et unita est: et consequenter illa gratia dicitur infinita, quatenùs ipsa Verbi Persona est infinita.

II. 2°. Fuit in anima Christi gratia habitualis à primo

instanti conceptionis, quæ gratia vocatur accidentalis, ita quantùm est habitus humanæ naturæ superadditus: unde hæc gratia physicè seu essentialiter fuit finita, cùm esset in anima Christi tanquam in subjecto creato; licèt moraliter posset dici infinita propter infinitatem suppositi.

Hæc gratia, prout animam Christi sanctificat, etiam personalis dicitur; prout autem est in Christo alios sanctificandi principium, vocatur gratia capitis seu capitalis.

Obj. Gratia habitualis in Christo videtur superflua, cùm jam esset sanctificatus per unionis gratiam.

R. Neg. antec. Gratia enim habitualis præter gratiam unionis etiam fuit necessaria, et quidem ob duo: scilicet ut Christus esset completè et consummatè sanctus, et ut connaturaliter eliceret actus supernaturales et meritorios: latiùs hæc Billuart.

III. Probabiliter dicitur, quòd in Christo etiam fuerit gratia actualis: non excitans, sed co-operans, quæ est ipsa Dei operantis nobiscum actio, seu concursus.

Quomodo Christus dicitur Joan. cap. 1. v. 14. "Plenus gratiâ?"

IV. R. Quia tantam habuit gratiam, et in tanta excellentia, quanta secundùm potentiam Dei ordinariam potest esse in creatura; et cùm illam gratiæ plenitudinem habuerit à primo instanti conceptionis, propterea illa gratia non est aucta, nec augeri potuit.

Obj. Lucæ cap. 2. v. 52. dicitur "Jesus proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratiâ apud Deum et homines:" ergo Christi gratia fuit aucta.

V. R. Dist. conseq. Ergo aucta fuit secundùm habitum, nego conseq. ergo aucta fuit ostensione gratiæ et sapientiæ per opera externa excellentiora et signa progressui ætatis proportionata, idque non fictè, sed secundum rei veritatem coram Deo et hominibus, concedo totum: sicut idem sol ab ortu in meridiem dicitur proficere claritate.

VI. Quo sensu dicitur etiam de Diva Virgine, Lucæ cap. 1. v. 28. "Gratiâ plena"?

R. Quia tantam habuit gratiam, quantam conveniebat habere Matrem Dei: sicque dicitur "Gratiâ plena" per comparationem ad suam conditionem et præfixum à Deo terminum.

Itaque plenitudo gratiæ absoluta est propria soli Christo; Sancti autem dicuntur comparativè pleni gratiâ, secundùm *quod* est aliquis divinitus præordinatus ad altiorem vel in-

feriorem statum vel officium: et sic patet, quomodo in Diva Virgine major fuerit gratia, quàm in S. Stephano, licèt hic etiam dicatur "Plenus gratiâ," Act. cap. 6. v. 8.

N. 18. DE DONIS ET VIRTUTIBUS ANIMÆ CHRISTI.

S. Thom. quæst. 7.

I. Christus habuit omnes gratias gratis dotas, et dona S. Spiritûs. II. Etiam donum timoris. III. Et omnes virtutes. IV. Præter Fidem. V. Spem. VI. Et Pænitentiam.

I. Anima Christi fuit dotata omnibus gratiis gratis datis, et omnibus donis Spiritûs S. secundùm illud Isaiæ cap. 11. v. 2. "Requiescet super eum Spiritus Domini Spiritus sapientiæ, &c."

An ergo in Christo etiam fuit donum timoris?

II. R. S. Thom. art. 6. in *Corp.* affirmativè: "Non "quidem secundùm quod timor respicit malum separationis "à Deo per culpam, neque etiam secundùm quod respicit "malum punitionis pro culpa: sed secundùm quod respicit "ipsam divinam eminentiam: prout scilicet anima Christi "quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum, à Spiritu "Sancto acta."

Quænam virtutes fuerunt in Christo?

III. R. Omnes virtutes, quæ non includunt imperfectionem adversantem Personæ Christi vel statui ejus beatifico.

IV. Propterea non fuit in Christo virtus fidei theologicæ: quia clara et intuitiva Dei visio, quam habebat, excludit fidem, juxta illud Apostoli 1. ad Cor. 13. v. 10. "Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex "parte est."

V. Ob eandem rationem, scilicet ex eo, quòd anima Christi esset beata visione beatificâ, non habuit virtutem Spei theologicæ.

Expectavit quidem Christus resurrectionem et gloriam sui corporis; sed non erat actus virtutis theologicæ Spei.

VI. Nec etiam in Christo fuit virtus Pœnitentiæ; quia denotat detestationem peccati proprii, et voluntatem satis-

faciendi pro peccato commisso proprio, vel commissibili; hoc autem repugnat Christo, qui ab intrinseco fuit impeccabilis: præstitit quidem actus pœnitentiales et pœnales pro aliis, sed illi actus in Christo procedebant à charitate.

Continentia, quatenùs dicit resistentiam pravæ concupiscentiæ, non fuit in Christo; sed solùm quatenus ordinatur in Christo ad eliciendos actus moderatos in propria materia.

N. 19. DE GRATIA CHRISTI, SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIÆ.

S. Thom. quæst. 8.

I. *Christus est Caput Ecclesiæ.* II. *Triplici ratione.* III. *Respectu quorum sit actu Caput.* IV. *Quorum in potentia tantùm.* V. *Quorum nullo modo.* VI. *Gratia capitis differt à gratia unionis et personali.*

I. Docet S. Thom. art. 1. quòd Christus secundùm quod homo est, sit caput Ecclesiæ, juxta illud ad Ephes. c. 1. v. 22. " Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam." Dicitur autem metaphoricè *caput Ecclesiæ*: quia sicut caput naturale in tribus differt à cæteris membris: præeminet enim II. 1°. supra alias partes: ita Christus Primatum obtinet inter cæteros homines. 2°. Sicuti in capite naturali est plenitudo perfectionis, (in eo enim resident omnes sensus, tam interiores quàm exteriores) sic in Christo residet plenitudo gratiæ. Et 3°. sicut caput naturale influit in omnia membra; ita Christus per gratiam et dona spiritualia influit in omnia membra Ecclesiæ, juxta illud Joannis cap. 1. v. 16. " De plenitudine ejus nos omnes accepimus."

Respectu quorum ut homo Christus est Caput?

III. R. Prænotandum, quòd homines dupliciter ad Ecclesiam, vel *in actu*, cùm illam reipsa componunt; vel *in potentia*, quando nempe in eo sunt statu, ut, quamvis Ecclesiæ aggregati non sint, ad illam tamen venire possint.

Christus igitur est actu Caput omnium angelorum bonorum, et aliorum beatorum: deinde omnium existentium in Purgatorio: et tertiò omnium fidelium.

IV. Non est actu Caput infidelium in via existentium,

nec hæreticorum, etiam occultorum, sed tantùm in potentia; sic et puerorum in utero materno existentium.

V. Nec actu, nec potentiâ est Caput damnatorum, vel sine baptismo decedentium.

Probabiliùs etiam dicitur, quòd Christus non sit caput primorum parentum, ut in statu innocentiæ existentium.

An hæc gratia Capitis distinguitur à gratia unionis, et à gratia personali Christi?

VI. R. Affirmativè: quia diversi sunt triplicis illius gratiæ formales effectus; nam gratiæ unionis proprium est naturam humanam substantialiter Sanctam constituere; gratiæ verò personalis eam Deo acceptam reddere et idoneam ad operationes supernaturales modo connaturali eliciendas; gratiæ autem capitis proprium est jus et authoritatem conferre regendi Ecclesiæ membra, et in ea per auxilia interioris gratiæ influendi.

N. 20. DE MERITIS CHRISTI.

S. Thom. quæst. 19, 48 *et* 49.

I. *Christus sibi meruit exaltari.* II. *Nobis meruit omnia salutaria.* III. *Merita Christi sunt valoris infiniti.* IV. *Redemptio tamen specialiter Morti Christi adscribitur.* V. *Christus ut viator meruit.* VI. *Ab instanti conceptionis.* VII. *Usque ad instans Mortis.* VIII. *De Morte Christi pro omnibus hominibus.*

Quid Christus sibi meruit?

I. R. Gloriam corporis sui, et nominis sui exaltationem, juxta illud ad Philipp. cap. 2. v. 8. et 9. "Humiliavit semetipsum..propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen."

Non tamen sibi meruit unionem hypostaticam, nec gratiam habitualem, nec scientiam aut alios habitus infusos, nec gloriam essentialem animæ; ideo scilicet, quòd meritum non sit nisi ejus, quod nondum habetur: unde si Christus illa meruisset, sequeretur, quòd aliquando iis caruisset, quod falsum est.

Quænam Christus nobis meruit?

II. R. Omnia quæ accipimus salutaria, primam gratiam et omnes subsequentes gratias, pœnitentiam, remissionem

peccatorum, perseverantiam, prædestinationem et salutem; quia vi et intuitu meritorum Christi Deus Pater (seu potiùs Sanctissima Trinitas) nobis illa largitur et applicat; iis autem, qui præfatas gratias non consequentur, solùm quoad sufficientiam has Christus promeruit.

An merita Christi sunt infiniti valoris?

III. R. Affirmativè, ut probatum est N. 3, et 4, nec ideò opera nostra meritoria sunt inutilia, ut N. 4 dictum est: nec etiam meritis Christi injuriosa; quia opera nostra salutaria omnem vim merendi hauriunt ex meritis Christi.

IV. Nota quòd, licèt minima Christi actio meritoria esset infiniti valoris, et sic sufficiens pro Redemptione generis humani, specialiter tamen dicatur Christus nos redemisse per mortem suam: quia non voluit, ut præcedentia opera haberent effectum Redemptionis, nisi succedente Passione et Morte suâ tanquam ultimo meritorum complemento, juxta illud Isaiæ cap. 53. v. 10. "Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum."

Per quos actus Christus meruit?

V. Per omnes actus liberos humanæ voluntatis, etiam præceptos; ut sunt Prædicatio, Oratio, Passio, Mors, &c. quia illæ actiones habuerunt omnes conditiones requisitas ad meritum.

Hinc à contrario collige, quòd Christus non meruit per actus merè divinos, nec per Visionem beatificam; cùm illi actus non essent liberi.

VI. Meruit autem Christus à primo instanti conceptionis suæ sinè intermissione usque ad instans mortis, dum desiit esse viator: licèt enim corpus aliquando dormiret, anima tamen vigilabat, nunquam ab actionibus suis cessans, juxta Joan. cap. 8. v. 29. ubi dicit Christus: Ego, quæ placita sunt ei, facio semper."

Obj. Orat Ecclesia: "Per Resurrectionem tuam libera nos, Domine:" ergo Christus etiam meruit post Mortem per suam Resurrectionem.

VII. R. Neg. conseq. Petimus enim liberari per Resurrectionem Christi, non per modum meriti, sed per modum efficientiæ, idque ex meritis Christi præcedentibus; Christus enim ante Mortem meruit, ut Resurrectio (sicut et alia opera post Mortem) nobis foret salutifera; et hoc sensu vulnus Lateris Christi post mortem inflictum fuit meritorium, ut aiunt Sancti Patres, quatenùs scilicet cùm

Christus adhuc viveret, illud liberè acceptavit, et Deo Patri obtulit, ut pretium nostræ salutis.

COROLLARIUM.

VIII. SEQUERETUR hunc agendum de Morte Christi pro omnibus et singulis hominibus; sed cùm illa quæstio longissima sit, et satis fusè tractetur in Appendice ad Sacramentum Pœnitentiæ N. 239: hinc pretiositati temporis consulentes, ad citatum locum remittimus, et simul etiam ad Tract. de Deo, ubi agitur de voluntate Dei antecedente omnes homines salvandi.

N. 21. DE PRÆCEPTIS CHRISTO DATIS.

I. *Christus fuit subjectus legi æternæ et naturali.* II. *Et positivis præceptis Patris.* III. *Ut de morte in Cruce, &c.* IV. *Non tamen legi veteri.* V. *Nec legi novæ.* VI. *Nec legibus humanis.*

AN Christo data sunt quædam præcepta?

I. R. Affirmativè, scilicet quatenùs Christus est homo. 1°. Namque subjectus fuit legi naturali et æternæ: nam Christus secundum humanam naturam fuit minor Patre, eique subjectus: ergo etiam debuit subjici ejus legi, sive præceptis legis æternæ et naturalis.

II. 2°. Accepit etiam quædam præcepta positiva à Patre, ut ipsemet significat Joan. cap. 15. v. 10. dicens: "Sicut et ego præcepta Patris mei servavi."

An Christus habuit tale præceptum subeundi mortem?

III. R. Quidam negant, Christo fuisse datum strictum præceptum, sed fuisse merum consilium: verùm tunc nullatenus ex obedientia fuisset mortuus. Alii dicunt, fuisse impositum præceptum de morte subeunda quoad substantiam tantùm, non quoad mortis circumstantias.

Veriùs tamen dicitur, et conformiùs Scripturis, quòd Christo fuerit datum rigorosum præceptum de morte subeunda non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad omnes ejus circumstantias: et id apertè colligi videtur ex Apostolo ad Philip. c. 2. v. 8. "Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis."

An Christus fuit subjectus legi veteri?

IV. R. Negativè: nam ab ea se liberum esse ostendit Matth. cap. 12. v. 8. " Dominus est filius hominis, etiam sabbati:" hujus ratio est etiam, quòd ipse venerit daturus omnibus gratiam, quâ ab hujus legis onere liberarentur; ergo non debuit Christus legi subjici.

Obj. Ad Galat. cap. 4. v. 4. Dicitur: " Misit Deus Filium suum.... factum sub lege, " ergo subjectus fuit legi veteri.

R. Filium Dei factum esse sub lege, non ex obligatione, sed voluntariâ subjectione: tum ut nobis et populo Judaico humilitatis exemplum præberet, tum ut legem paternam honoraret.

V. Nec etiam legi novæ Christus subjectus erat: cùm esset ejus Author et Lator.

VI. Denique à præceptis et legibus humanis Christus immunis fuit; quia habebat potestatem excellentiæ super omnes creaturas: hinc dicitur Ap. cap. 19. v. 16. " Rex Regum et Dominus dominantium:" unde dum v. g. solvit tributum, Matth. cap. 17. v. 23. id non ex necessitate sed voluntariè fecit, ut ipsemet probat loco citato.

N. 22. DE LIBERTATE CHRISTI SUB PRÆCEPTO PATRIS.

I. *Christus habuit liberum arbitrium.* II. *Sinè potestate peccandi.* III. *Sub rigoroso præcepto Patris.* IV. *Quod explicatur.*

An Christus habuit liberum arbitrium?

I. R. Affirmativè; et imprimis habuit libertatem essentialem, seu à coactione, quæ est, dum voluntas ex advertentia seipsam determinat ad agendum: deinde etiam habuit libertatem indifferentiæ, sive libertatem à necessitate, quæ requiritur ad meritum; ut dicitur Isaiæ cap. 53. v. 7. " Oblatus est quia ipse voluit:" et cap. 7. v. 15. " Ut sciat reprobare malum, et eligere bonum."

Probatur etiam à ratione: in Christo fuit natura humana perfecta; atqui habere libertatem indifferentiæ est naturalis perfectio humanæ voluntatis: ergo, &c.

II. Nec obest, quòd Christus peccare non potuerit; quia ad libertatem potestas peccandi non requiritur, quæ *potiùs dicenda est Libertinitas*, quàm libertas: et sic Deus

et Sancti in cœlo perfectam habent libertatem absque peccandi potestate.

III. Gravissima superest difficultas conciliandi libertatem Christo sub rigoroso precepto Patris cum ejus impeccabilitate; vel enim potuit ponere non mortem ut præceptam; et tunc potuit peccare: vel non sic potuit; et tunc non fuit liber.

Sed Resp. quòd hæc difficultas sufficienter solvatur, si consideretur:

IV. 1°. Christus antecedenter ad illud præceptum Patris habebat libertatem moriendi et non moriendi; atqui præceptum, qualecumque sit, non lædit libertatem ad agendum; cùm præceptum sit quid extrinsecum voluntati, eam nullatenùs interiùs immutans: ergo etiam liber fuit, supposito præcepto.

2°. Deinde nec præceptum obest ejus impeccabilitati; quia antecedenter ad præceptum Christus erat impeccabilis; atqui præceptum non dat potentiam peccandi: ergo, etiam, supposito præcepto, fuit impeccablis.

2°. Considerandum, quòd ad libertatem indifferentiæ non requiratur libertas contrarietatis, sed sufficiat libertas contradictionis.

Obj. Si Christus sub precepto Patris non fuisset mortuus, tunc peccasset: atqui sub præcepto Patris potuit non mori: ergo potuit peccare.

R. argumentum hoc esse vitiosum; quia non servatur eadem terminorum significatio; dum enim dicitur in maiori; "Atqui sub præcepto Patris potuit non mori," hoc intelligitur de posse antecedenti; hoc est, potuit Christus, stante præcepto, omittere mortem omissione secundùm se accepta; inde autem infertur: "Ergo potuit peccare;" quod intelligitur de posse consequenti, id est, quòd potuerit non mori, conjungendo non mortem cum præcepto; et sic verum esset, quòd posset peccare; quia supponitur, quòd mors sub præcepto non ponatur.

N. 23. DE CULTU CHRISTI ET SANCTORUM.

S. Thom. quæst 25.

1. *Adoratio sive Cultus.* II. *Est absolutus, vel respectivus.* III. *Civilis vel Sacer.* IV. *Qui est triplex.* V. *Latriæ.* VI. *Duliæ.* VII. *Et Hyperduliæ.* VIII. *Genuflexio, &c. potest esse qualiscumque Cultûs.* IX. *Sed Sacrificium est solius Latriæ.* X. *Totus Christus adoratur Cultu latriæ.*

I. PRÆNOTANDUM I°. Adoratio generatim sumpta significat quemlibet cultum, qui alicui defertur propter ejus dignitatem et excellentiam: et sic coincidit cum cultu: solet tamen adoratio communiùs usurpari pro cultu Latriæ.

II. 2°. Cultus alius est absolutus, qui exhibetur propter excellentiam rei propriam et intrinsecam; v. g. qui exhibetur ipsi Regi: alius est respectivus, dum alicui defertur, non ob excellentiam ejus propriam, sed alterius, ad quem habet specialem ordinem seu habitudinem; v. g. qui exhibetur Legato regis propter ipsum Regem, quem repræsentat.

III. 3°. Deinde alius est civilis, qui impenditur ob aliquam excellentiam humanam; alius Sacer, seu Religiosus, dum defertur ob excellentiam supernaturalem. De cultu sacro hìc agitur.

Quotuplex est cultus sacer?

IV. R. Triplex; scilicet cultus Latriæ, Duliæ et Hyperduliæ.

Quis cultus dicitur Latriæ, et cui deferri potest?

V. Qui exhibetur ob excellentiam divinam et consequenter soli Deo debitus: ejusmodi est Sacrificium.

VI. Cultus Duliæ est, qui exhibetur ob excellentiam supernaturalem creatam; qualis est veneratio et invocatio Sanctorum; imò honor, qui exhibetur homini pio in terris ob ejus virtutes supernaturales, reducitur ad Duliam.

VII. Dum illa supernaturalis excellentia creata est singularis, tunc dicitur cultus Hyperduliæ, quasi *supra Duliam*: hic cultus debetur Beatissimæ Virgini Mariæ.

Cujus cultûs actus est genuflexio?

VIII. R. Hoc dependet ab intentione operantis, cùm *illa actus sit* indifferens ad qualemcumque cultum: et sic

si exhibeatur Deo, erit Latriæ; si Divæ Virgini, est Hyperduliæ; si aliis Sanctis, est cultus Duliæ; si homini in terris ob excellentiam humanam, est civilis.

Idem est de aliis actibus externis, ut est incurvatio, capitis detectio, &c. sic Abraham eodem actu incurvationis usque ad terram adoravit Deum, Gen. cap. 17. v. 3. Angelos, Gen. cap. 18. v. 2. et homines, Gen. cap. 23. v. 12.

IX. Verùmtamen Sacrificium, et omnia quæ ad ipsum referuntur, ut Templa, Altaria, &c. non nisi ad cultum Latriæ adhibentur, juxta illud Exodi c. 22. v. 20. "Qu immolat Diis, occidetur, præterquam Domino soli."

Quo cultu adoratur Christus Homo?

X. R. Cultu Latriæ juxta illud ad Philip. c. 2. v. 10 "In nomine Jesu omne genu flectatur;" idque etiam definitum est in Conc. Ephesino can. 9. Ratio est, quòd hic Homo Christus sit Deus.

Obj. Humanitas Christi est creatura; ergo non potest adorari cultu Latriæ.

R. Dist. cons. Ergo non potest adorari solitariè cultu Latriæ absoluto, cone. totum: ergo non potest coadorari un à eâdemque adoratione cum subsistentia Verbi, nego cons.; adoratur enim Humanitas ut subsistens in Verbo, et sic subsistentia sive Persona Verbi simul adoratur ut causa adorationis; non enim omne illud, quod coadoratur cultu Latriæ, debet esse ipse Deus; sed sufficit, quòd sit Personæ Divinæ substantialiter conjunctum, sic v. g. dum honoro hominem, ob excellentem scientiam, eodem actu honoro totum hominem; adeoque ipsum corpus, ob unionem substantialem animæ cum corpore; quamvis causa honoris non sit in corpore, sed in anima.

Interim cum S. Thoma observandum, quòd Humanitas Christi concepta per mentem, ut separata à Persona Verbi, non sit colenda cultu Latriæ, sed Hyperduliæ; quia sic Humanitas abstracta, et omnis perfectio, quæ ei inest, est creata.

N. 24. DE CULTU ET INVOCATIONE SANCTORUM.

I. *Sancti in cœlo sunt colendi cultu Dulia.* II. *Sancti utiliter invocantur.*

I. PROBA, Sanctos in cœlo esse colendos et honorandos cultu Duliæ.

R. Probatur ex eo, quòd habeant excellentiam supernaturalem et sint amici Dei; adeoque ratio ad eos colendos verè subsistit.

Idem probatur ex eo, quòd Ecclesia instituerit Festa Sanctorum; adeoque cultus Sanctorum potest etiam dici esse in præcepto.

Denique probatur ex veteri Testamento: nam Abraham, Jacob, Sampson, aliique reverentiam seu honorem exhibuerunt Angelis: ergo cum homines beati sint sicut Angeli Dei, (ut dicitur Matth. cap. 22. v. 30.) sequitur etiam, cultum ipsorum esse licitum.

An hic cultus Sanctorum est absolutus, vel respectivus?

R. Est absolutus; quia exhibetur propter excellentiam ipsis intrinsecam et propriam; potest tamen etiam dici respectivus quatenùs in Sanctis honoratur Deus.

Obj. I. 1. ad Timoth. cap. 1. v. 17. dicitur, "Soli Deo Honor et Gloria;" ergo non Sanctis.

R. Agitur in textu de cultu Latriæ, non Duliæ.

Obj. II. Mardochæus, lib. Esther, cap. 13. v. 14. dat rationem quare noluerit assurgere pro Aman, dicens: "Timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem:" ergo, &c.

R. Aman honorem requisierat tanquam in ipso esset aliquid Divinitatis: dum enim gentiles elevabantur, putabant sibi communicatam Divinitatem: et sic videmus, Cæsares post mortem in numerum Deorum esse relatos.

Obj. III. Apocal. c. 19. v. 10. Angelus recusavit adorari à Joanne, dicens: "Vide ne feceris:" ergo, &c.

R. Angelus id recusavit ex modestia ob magnam Joannis sanctitatem.

An Sancti sunt à nobis invocandi?

R. Cum Concilio Tridentino sess. 25., de Invocatione *Sanctorum*:" 'Bonum atque utile esse suppliciter eos in-

" vocare.... et ad eorum orationes, opem, auxiliumque
" confugere : illos verò, qui negant Sanctos... invocandos
" esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare,
" vel eorum... invocationem esse idololatriam,... impiè
" sentire.".

II. Probatur etiam ex Gen. cap. 48. v. 16. ubi Jacob invocat Angelum suum : deinde Angelos multa bona præstare, constat ex variis locis, et imprimis ex Historia Tobiæ : eadem autem est ratio beatorum hominum, quæ Angelorum; et sic etiam lib. 2. Machab. cap. 15. v. 14. constat, Sanctos adhuc in Limbo existentes pro hominibus orare ; dicitur enim ibi de Jeremia : " Hic est, qui multùm orat pro populo; denique secundùm ipsos Sectarios licitum est invocare Sanctos adhuc in terra versantes, ut pro nobis orent: (sic Deus Exodi cap. 32. v. 14. placatus fuit per orationem Moysis pro populo) : ergo magis id licet petere à Sanctis cum Christo regnantibus, utpote qui sunt ibi Deo magis conjuncti.

N. 25. SOLVUNTUR OBJECTIONES CONTRA INVOCATIONEM SANCTORUM.

I. *Sancti sunt mediatores secundarii.* II. *Solutio generalis.* III. *Cultus Sanctorum videtur esse in præcepto.*

I^m^ OBJ. 1. ad Timoth. cap. 2. v. 5. dicitur : Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus :" ergo Sancti non sunt mediatores nostri.

I. R. Dist. cons. Ergo Sancti non sunt mediatores principales, conc. totum : is namque est solus Christus, qui nomine proprio petit, utpote qui per suum ipsius meritum Deum hominibus placabilem reddit. Ergo Sancti non sunt mediatores secundarii et participativè, qui meritis Christi subnixi pro nobis Deum orant, neg. conseq. et sic quidem ad Galat. cap. 3. v. 19. tribuitur Moysi nomen mediatoris, et illo sensu etiam dicitur Diva Virgo, " Vita et spes nostra :" dum autem ab illa petimus, " Dona salutem servulis," intelligitur, ut *impetratoriè* donet ; et sic Apost. 1. ad Cor. 9. v. 22. audet dicere de seipso : " Ut omnes facerem salvos."

Neque id minuit dignitatem et potentiam Christi ; quia *Sancti invocantur tanquam* mediatores apud mediatorem et

Deum, ait S. Th. ita ut ipsi per intercessionem suam suppleant id, quod deest infirmitati precum nostrarum.

Obj. II. Sancti non cognoscunt preces nostras; ergo frustra invocantur.

R. Neg. antec. Quia Sancti omnia cognoscunt in Verbo, quæ ad eorum statum pertinent, adeoque preces nostras ad eos directas vident in Verbo, sive in Deo tanquàm in speculo omnia continente, sicuti Angeli preces nostras cognoscunt.

Inst. Eccles. cap. 9. v. 5. dicitur: " Mortui nihil noverunt ampliùs :" ergo Sancti preces nostras non noscunt.

R. Optima solutio est, illa verba esse insipientium, et dicentium, animam cum corpore interire.

Obj. III. Omnia bona nobis proveniunt à Deo, qui ea dare paratus est: ergo malè ea petimus à Sanctis.

R. Neg. conseq.: quia non petimus aliquid à Sanctis excludendo Deum, sed potiùs ut per Sanctos tanquam per intercessores accipiamus à Deo.

Quòd autem Dei clementiam per Sanctos imploremus, non est ex defectu potentiæ vel misericordiæ Dei; sed quia Deus quædam beneficia concedere non vult nisi per Sanctos, ut sic honorentur Sancti, et Deus in ipsis; seu etiam ut sic subordinatio et ordo in causis secundis servetur, ait S. Thom. supplementi quæst. 72. art 2. ad 1.

II. Generaliter pro his et aliis objectionibus convinces Sectarios, quòd hæc omnia non obstent, quominus imploremus preces vivorum: ergo nec obstare possunt, quominus petamus suffragia Sanctorum in Cœlis.

An invocatio Sanctorum est in præcepto?

III. R. aliqui, nec esse necessariam ad salutem, nec singulis præceptam; Sylvius tamen, Billuart, &c. probabiliùs putant esse in præcepto: idque saltem de Beata Virgine satis certè videtur colligi ex SS. Patribus, et communi sensu fidelium.

N. 26. DE CULTU IMAGINUM.

S. Thom. quæst. 25. art 3.

I. *Imago.* II. *Differt ab Idolo.* III. *Imagines sunt venerandæ.* IV. *Quod variè probatur.* V. *Etiam de Imaginibus Dei et SS. Trinitat.* VI. *Solutio generalis.*

QUID intelligitur per imaginem ?

I. R. Similitudo sive repræsentatatio rei existentis, ad illam rem ut exemplar expressa ; imago enim ab imitando dicitur ; quia rem, quam imitatur, repræsentat.

Quomodo differt ab idolo ?

II. R. Quòd idolum sit simulacrum repræsentans id, quod vel simpliciter non est, vel certè non est tale, quale colitur : imago verò est similitudo rei verè existentis, v. g. hominis : hinc de idolo dicit Apost. 1. ad Cor. cap. 8. v. 4. " Scimus, quia nihil est idolum in mundo ;" nihil scilicet in sua repræsentatione : quia nihil divinitatis in se, vel in suo prototypo existit.

III. Proba, imagines Christi et Sanctorum esse venerandas.

R. Probatur imprimis ex Concilio Trident. sess. supra citatâ, ubi docet contra Sectarios : " Imagines Christi, " Deiparæ Virginis et aliorum Sanctorum in templis præ- " sertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem " et venerationem impertiendam."

Idem definiverat Synodus septima Generalis, sive Nicæna secunda, sub Adriano I. contra hæreticos Iconoclastas, dicens, imaginibus Christi et Sanctorum salutationem et honorariam adorationem esse exhibendam.

IV. Probatur ulteriùs : quia Arcæ fœderis in veteri lege sua debebatur et dabatur veneratio ; quia cœlestium rerum gerebat imaginem ; licèt Arca in se esset quid inanime et extrinsecæ sanctitatis expers : hinc de illa ad litteram dicitur Psal. 98. " Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est :" ergo, &c.

Tandem probatur etiam à ratione : quia honor imaginis per se redundat in prototypon ; sicut à contrario contumelia Statuæ regiæ irrogata redundat in Regem.

An etiam licitæ sunt imagines Dei et Sanctissimæ Trinitatis ?

R. Affirmativè : licèt hoc non adeo certum sit, ac de imaginibus Christi et Sanctorum ; cùm hoc posterius sit definitum.

V. Notandum autem, quòd depingi non possit Divinitas, sed quòd depingantur formæ illæ, sub quibus Deus aliquando apparuit, vel quibus attributa divina similitudine aliquâ exprimuntur : sic Deus Pater depingitur sub forma Senis ; quia sic apparuisse legitur Danielis 7. : et Spiritus Sanctus sub forma Columbæ ; quia sic apparuit Matth. 3. vel sub specie dispertitarum Linguarum, qualis apparuit die Pentecostes.

Igitur pro libitu non sunt pingendæ hujusmodi imagines, sed tantùm sub his formis, in quibus aliquando apparuerunt.

Probatur à pari ratione : sicuti enim licet vocibus historias has et apparitiones describere, sic et coloribus ; tam enim picturæ, quàm voces sunt signa rerum.

Huc etiam conducit condemnatio Proposit. 26. ab Alexandro VIII. anno 1690 : " Dei Patris simulacrum nefas " est Christiano in templo collocare."

Obj. Exodi cap. 20. v. 4. præcepit Deus : " Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cælo desuper, et quæ in terra deorsum :" ergo Deus ipse prohibuit imagines.

Respondent aliqui, qui putant in veteri lege prohibitum fuisse facere imagines ob Judæorum proclivitatem ad idololatriam, præceptum hoc esse partim morale, quatenùs prohibet idololatriam, partim ceremoniale, quatenùs omnem imaginem prohibet, et ex hac parte cessat in nova lege tantò magis, quòd ejus jam ratio cesset.

Respondetur 2°. quòd prohibeantur solùm fieri idola, uti gentes faciebant, quibus honorem divinum exhibebant ; hinc additur : " ut adores ea ;" scilicet tanquam Deos.

Quòd autem non prohibeantur omnes imagines, patet ex eo, quòd circa Arcam, jussu Dei, factæ sint imagines duorum Cherubim.

VI. Tandem generaliter confundes hæreticos à ratione naturali, quæ dictat licitum esse fieri imagines Parentum, Regum, &c. easque cultu civili honorare : ergo multò magis licet facere et honorare imagines Sanctorum.

N. 27. DE QUALITATE CULTUS IMAGINUM.

S. Thom. quæst. 25. art. 3.

I. *Imagines.* II. *Quatenùs imagines honorantur.* III. *Eodem cultu quo prototypon, sed respectivo.* IV. *De Imaginibus miraculosis.* V. *Cavenda superstitio et turpis quæstus.*

I. Quo cultu venerandæ sunt imagines Christi et Sanctorum ?

Prænotandum cum S. Thom. in *Corp.* imagines dupliciter posse considerari.

1°. Prout sunt res quædam, seu certa materia, putà aurum vel lignum sculptum vel pictum : et eatenus imagines non possunt honorari.

II. 2°. In quantùm sunt imagines, sive repræsentationes Christi vel Sanctorum : et eatenus possunt honorari cultu relativo seu respectivo, ita ut scilicet non honorentur ob dignitatem ipsis intrinsecam, sed ob dignitatem prototypi sive exemplaris : et consequenter honor imagini exhibitus redundat in prototypon tanquam in rationem formalem honorationis, quamvis *Objectum quod* sit etiam ipsa imago repræsentans, licèt non sit ratio, quare colitur.

III. Itaque ad quæstionem respondet S. Thomas : Imagines honorari posse eodem cultu, quo honoratur earum prototypon, sed cultu relativo seu respectivo tantùm : proinde imagines Sanctorum coluntur cultu Duliæ respectivo ; Divæ Virginis cultu relativo Hyperduliæ : Christi et Dei respectivo Latriæ cultu : ferè sicuti eâdem virtute diligimus Deum et proximum ob bonitatem Dei in se.

Plures interim sustinent, quòd ille cultus respectivus imaginibus exhibitus minor esse debeat cultu exhibito ipsi prototypo : hincque deducunt, nulli imagini deberi cultum Latriæ. Nituntur Synodo septimæ, quæ dicit Latriam non esse exhibendam imaginibus, quia soli divinæ naturæ competit.

Sed alii explicant Synodum septimam de Latria absoluta, quæ non debetur imaginibus Christi, licèt cultus Latriæ respectivus eis debeatur ; adeoque honore minore adorentur, quàm prototypon : quæ inter se non repugnant.

Quidquid sit, sufficiat nobis contra Sectarios, quòd

omnes Catholici doceant et probent, imagines Sanctorum esse venerandas.

Obj. Superstitiosum videtur colere et distinguere quasdam imagines veluti miraculosas.

IV. R. Neg. ant. cum S. Augustino Epist. 137. Distinctio enim illa petenda est ex gratuita Dei voluntate, cui placet specialia beneficia conferre venerantibus istam imaginem potiùs quàm illam: sicuti Deus sanitatem restituit aspicientibus serpentem æneum à Moyse erectum, non sic aspicientibus alium: Christus visum dedit cœco nato lavanti se in natatoria Siloë: Naaman Syrus mundatus est à lepra in Jordane potiùs quàm alibi.

V. Eodem modo solvitur, dum contra invocationem Sanctorum objicitur, quòd superstitiosum sit unum Sanctum invocare pro tali morbo, alium pro alio. Monet interim Concilium Tridentinum, Sess. 25. de invocat. Sanctorum, ut fideles instruantur, ne credant imaginibus inesse aliquam divinitatem vel virtutem propter quam sint colendæ, vel ab eis aliquid esse petendum, vel fiduciam in iis figendam, ut olim fiebat à gentilibus. Insuper monet, esse cavendum ab omni superstitione et turpi quæstu: si qui autem abusus fortè committantur ab aliquibus idiotis, hos sanè non docet nec approbat Ecclesia; licèt etiam illorum idiotarum simplicitas et bona intentio talia sæpe extenuet, si non excuset.

N. 28. DE CULTU RELIQUIARUM.

S. Thom. quæst. 25. art. 6.

I. *Reliquiæ Sanctorum.* II. *Sunt honorandæ. Probatur exemplis Scripturæ Sacræ.* III. *Et à ratione.* IV. *Eodem cultu, quo Imagines.*

QUID intelligitur per Reliquias Sanctorum?

I. R. Corpora Sanctorum, ossa aliæve partes corporis, vel res aliæ attactu illorum corporum sanctificatæ, ut vestes, vincula, aut alia passionis instrumenta.

II. Probo, illas esse honorandas et venerandas.

R. Probatur Conc. Trid. jam sæpe citato.

Confirmatur exemplis variis Scripturæ Sacræ: sic Gen. 50. et Exodi cap. 13. ossa Jacob et Joseph cum magno honore conservantur et transferuntur ex Ægypto. 4. Regum

13. Cadaver tangens ossa Elisæi revixit: vide etiam cap. 23. v. 18. Matth. cap. 9. v. 20. Hæmorrhoissa tangit summâ cum veneratione fimbriam Christi, et sanatur. Actor. 5. v. 15. exponunt fideles infirmos in plateis, ut saltem umbra Petri eos obumbraret, et sanarentur: et cap. 19. v. 12. super languidos deferuntur sudaria et semicinctia sancti Pauli, et recedunt ab eis languores.

Accedunt Miracula facta ad presentiam seu ad contactum sanctæ Crucis et reliquiarum Sanctorum.

III. Tandem probatur ratione fundatâ in verbis S. Augustini: "Qui habet affectum ad aliquem, veneratur omnia illa, quæ de ipso post mortem relinquuntur;" ergo cùm Sanctos tanquam membra Christi et nostros intercessores veneremur, consequenter etiam debemus eorum Reliquias honore congruo in eorum memoriam venerari.

Quo cultu Reliquiæ honorantur?

IV. R. Simili modo et cultu, quo imagines Christi et Sanctorum, secundum dicta Num. 27. adeoque eodem cultu quo honoratur persona, cujus sunt Reliquiæ, sed relativo seu respectivo, sicut enim Imagines honorantur, quia repræsentant prototypon seu personam, ita et Reliquiæ, in quantùm ei conjunctæ sunt vel fuerunt.

Obj. I. Christus Matth. cap. 23. v. 29. dicit: "Væ vobis Scribæ et Pharisæi, hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum:" ergo prohibet cultum Reliquiarum.

R. Nego conseq. Quia Christus non reprehendit ipsum factum, sed hypocrisim in facto: nam si quis intueri potuisset cordis odium contra Christum, cujus præcones fuerant Prophetæ, judicasset, Judeos hoc facere, non animo religioso in honorem Prophetarum, sed potiùs in triumphum homicidarum parentum suorum.

Obj. II. Pius filius non honorat instrumenta contumeliæ, quibus Pater ejus occisus est: ergo Christianus non debet venerari crucem, vel alia instrumenta Mortis Christi vel Martyrum.

R. Nego conseq. Disp. est, quòd instrumenta contumeliosa Patris, v. g. flagellum vel lignum, considerentur à Filio ut opprobrium vel malum Patris tantùm; si enim fuissent Patri causa exaltationis, et Filio Liberationis ex acerba Tyrannide, illa in pretio haberet. Nos igitur veneramur Crucem, &c. non quatenùs fuerunt instrumenta iniquæ actionis tortorum, sed quatenùs fuerunt victoriosæ

Passionis et exaltationis instrumenta, quæ etiam sanctificata sunt per contactum Corporis Christi vel Sanctorum.

N. 29. CONSECTARIA DE CULTU RELIQUIARUM.

I. *Labia Judæ, &c. non possunt honorari.* II. *Nec Diva Virgo cultu Latriæ ob contactum Christi.* III. *Cur omnes Cruces honorentur, et non omnes clavi vel lanceæ.* IV. *Reliquiæ debent ab Episcopo approbari.*

An ergo oporteret honorare labia Judæ, manus crucifigentium, &c., propter attactum corporis Christi?

I. R. Nullo modo: quia illa fuerunt instrumenta animata iniquitatis, non sanctificata ex contactu Corporis Christi, sed potiùs informata malitiâ eorum, quorum erant membra.

An Diva Virgo honoranda est cultu Latriæ respectivo propter contactum Christi, sicut Crux Christi adoratur?

II. R. S. Thom. art. 5. negativè: Disp. est, quòd Crux sit res inanimata, cujus cultus per se est tantùm respectivus; sed cùm Beata Virgo capax sit Persona cultûs absoluti secundùm seipsam, sic honor ei delatus censetur absolutus, et non respectivus; jam autem Diva Virgo nequit adorari cultu Latriæ absoluto; ergo nec respectivo.

Nota, quòd vera Crux Christi habeat et rationem imaginis, in quantùm crucifixi Domini figuram repræsentat, et rationem Reliquiæ propter contactum Sacri Corporis et Sanguinis: aliæ autem cruces ad similitudinem veræ Crucis factæ habent tantùm rationem imaginis.

Obj. Ergo non tantùm veri clavi et vera lancea, sed etiam omnes clavi et omnes lanceæ habent rationem imaginis Christi crucifixi, et sic honorari possunt.

III. R. Nego sequelam; ad imaginem enim non sufficit quæcumque similitudo, (et sic ovum non dicitur imago alterius ovi): sed requiritur, ut unum exprimatur ex altero ad ejus similitudinem: sicut nunc Cruces unicè fiunt, ad exprimendam primam, in qua Christus crucifixus est; cùm nullum nunc habeant alium usum apud nos, post edictum Constantini prohibentis reos crucifigi: non omnes verò clavi vel lanceæ fiunt ad representationem eorum, quæ fuerunt instrumenta Passionis Christi, sed fiunt ad alios *fines: si tamen* in priorum repræsentationem fierent, suâ

veneratione non carerent; ut dum compinguntur in imagine cum Cruce.

Ex his patet, quàm meritò Theodosius Imperator prohibuerit ne Crucès humi pingerentur vel sculperentur, v. g. in lapidibus monumentorum, ob periculum eas pedibus calcandi.

Quo sensu canit Ecclesia, " O Crux ! ave spes unica ?"

R. Cum Sylvio, quòd per fictionem Personæ inducatur Crux pro pendente in Cruce : et sic sensus est : " O Christe crucifixe ! ave spes unica."

IV. Nota finaliter, quòd licèt veræ Reliquiæ privatim possint honorari, non possint tamen publicæ venerationi in templo exponi, nisi sint ab Ordinario seu Episcopo approbatæ. Ita Concilium Tridentinum, Sess. 25.

DE MYSTERIIS

VITÆ ET MORTIS

CHRISTI.

N. 30 DE ANNUNTIATIONE B. V. ET CONCEPTIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 30, 31, 32, 33, *et* 34.

I. *Annuntiatio.* II. *Conceptio.* III. *Divæ Virgo est Mater naturalis Christi.* IV. *Spiritus S. non est Pater Christi.* V. *S. Joseph Pater nutritius.* VI. *Inter Divam Virginem et S. Joseph fuit verum matrimonium.* VII. *Sed non consummatum.*

I. Annuntiatio Incarnationis Filii Dei describitur Lucæ 1. facta Beatæ Virgini per Gabriëlem Archangelum à Deo missum, qui in humana specie apparuit.

Concepit autem Diva Virgo quando consentiens dixit: " Fiat mihi secundùm verbum tuum."

II. Conceptio illa peracta est miraculosè, sola virtute Spiritûs Sancti, qui ex purissimo sanguine Beatæ Mariæ Virginis formavit in utero ejus corpus sufficienter organizatum pro infusione animæ: atque ita eodem momento anima unita est corpori, et utrique unita est hypostaticè Personalitas Filii Dei.

Si conceptio illa sit miraculosa, quomodo ergo Diva Virgo est Mater naturalis Christi?

III. R. cum S. Thom. quæst. 33. art. 4. in *Corp.* " Si " consideremus id, quod est ex parte materiæ conceptûs, " quam Mater ministravit, totum est naturale: si verò " consideremus id, quod est ex parte virtitus activæ, totum " est miraculosum."

An ergo Spiritus S. fuit Pater Christi?

IV. R. Negativè: quia illa Spiritûs Sancti operatio non fuit per modum generationis; quia de sua substantia non produxit sibi similem in natura: unde fuit illa Spiritûs Sancti operatio opus *ad extra*, commune toti SS. Trinitati; quod tamen Spiritui S. attribuitur tanquam opus amoris.

An S. Joseph potest dici Pater Christi?

V. R. 1°. Non potest dici Pater naturalis, sed Pater nutritius: 2°. Dicitur etiam Pater Christi, quia communi opinione Pater Christi putabatur: et 3°. Quia Christus conceptus et natus est ex Beata Virgine ut fructus legitimus uxoris ejus cujus corporis dominium jure conjugali penes Joseph erat.

An ergo fuit verum matrimonium inter Divam Virginem et Sanctum Josephum?

VI. R. cum S. Th. q. 29. art. 2. affirmativè, ut patet ex Matth. cap. 1. v. 16. " Jacob genuit Joseph Virum Mariæ." Idem patet ex v. 19. et 20.

Idem probatur ex communi opinione vulgi, qui Jesum vocabat filium Joseph, Filium Fabri; hujus enim opinionis non alia fuit causa, quàm quia notum erat, Divam Virginem et Josephum fuisse veros conjuges; et alioquin Judæi etiam indubiè exprobrassent Christo ipsum ex fornicatione esse natum.

VII. Dicitur autem Beata Virgo potiùs desponsata, quàm nupta, ut Lucæ cap. 1 v. 27. quia eorum matrimonium *nunquam* fuit consummatum, vixeruntque ad instar

sponsorum: et illo sensu negat S. Hieronymus, S. Josephum ad nuptias Divæ Virginis, pervenisse.

Visitatio Beatæ Virginis, quâ post Conceptionem Christi invisit Elisabeth cognatam suam, habetur etiam Lucæ cap. 1.

N. 31. DE VIRGINITATE B. V. MARIÆ.

S. Thom. quæst. 28.

I. *Maria fuit Virgo ante partum, et in partu.* II. *Et etiam post partum.* III. *Beata Virgo habuit votum Castitatis.*

PROBA quòd Maria semper manserit Virgo.

I. R. Probatur, quòd fuerit Virgo ante partum et in partu ex prophetia Isaïæ, cap. 7. v. 14. "Ecce Virgo concipiet et pariet Filium:" ubi non tantùm significatur, quòd, quæ ante fuit Virgo, sit conceptura et paritura; quale enim signum vel prodigium foret, quòd, quæ fuit Virgo, conciperet et pareret, amissa virginitate; ubi tamen Propheta pro magno et extraordinario signo prædicit, quòd concipiet et pariet.

Idem probatur ex Symbolo Apostolorum: "Natus ex Maria Virgine."

II. Quòd etiam manserit Virgo post partum, probatur ex Traditione Divina contra hæreticos Jovinianum et Helvidium; idque definitum est in variis Conciliis.

Obj. I. Matth. c. 1. v. 25. dicitur de Joseph, "Non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum:" ergo cognovit post partum, et peperit Diva Virgo secundogenitum.

R. Nego conseq. Quia particula *donec* negat, id factum esse ante partum, ut significetur, virginitatem fuisse illæsam usque ad partum, cujus contrarium videbatur erui ex ipso partu; de sequenti verò tempore nihil affirmatur, imò clarè supponitur, multò minùs post partum fuisse amissam; sic dum dicitur Gen. cap. 8. v. 7. "Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquæ;" non significatur, quòd postea redierit, sed potiùs, quòd nunquam reversus sit. Ad secundam partem consequentis respondetur, quòd in Scriptura omnis ille dicatur primogenitus, ante quem nullus est natus, licèt ipse sit unigenitus.

Obj. II. Matthæi cap. 12. Christus legitur habuisse fratres: ergo, &c.

R. Illos non propriè fuisse fratres Christi, nec ex Beata Virgine, nec ex S. Josepho, sed phrasi Scripturæ sic vocari cognatos seu consanguineos, etiam extra primum gradum.

III. Sancti Patres communiter existimant, Beatam Mariam Virginem habuisse votum Virginitatis servandæ: unde dicit S. August. lib. *de Virginitate*, cap. 4. "Annuntianti Angelo Maria respondit: 'Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?' quod profectò non diceret, nisi priùs se Virginem Deo vovisset." Vide latiùs S. Thom. art. 4.

N. 32. DE NATIVITATE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 35.

I. *In Christo duplex est nativitas.* II. *Diva Virgo peperit sinè dolore.*

QUOTUPLEX datur in Christo Nativitas?

I. R. Duplex: una ab æterno, quâ secundùm Naturam Divinam procedit à Patre; altera in tempore secundùm humanam naturam ex Maria Virgine, quæ describitur Lucæ cap. 2. cum suis circumstantiis.

Notat S. Thom. art. 1. in *Corp.* quòd *nasci* tribuatur hypostasi, sive personæ, seu quòd denominet Personam ut subjectum; unde intulimus N. 7. Divam Virginem esse Matrem Dei.

II. Peperit autem Beata Virgo absque dolore vel infirmitate, ut dicitur Can. 79. Concilii Trullani; egressus est enim Christus ex utero clauso Matris: quia decebat, ut, quæ sinè libidine conceperat, sinè dolore pareret, neque tantùm sinè dolore, sed cum ingenti jucunditate et lætitia Beata Virgo peperit, juxta illud Isaiæ, cap. 35. v. 2. "Germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans."

N. 33. DE CIRCUMCISIONE CHRISTI,

S. Thom. quæst. 37.

I. *Circumcisus est Christus.* II. *Volens legem adimplere.* III. *Quod fecit variis modis.* IV. *Et accepit Nomen* Jesus. V. *Nomen* Christus *est nomen officii.*

I. Lucæ cap. 2. v. 21. dicitur Christus circumcisus octavo die, cujus septem causas assignat S. Thomas, art. 1. in *Corp.*

Ubinam et à quo Christus est circumcisus?

R. Verisimiliùs in eodem stabulo, in quo natus est, et probabiliùs à S. Josepho: quia nullus locus ad hoc erat determinatus, nec illud ministerium erat sacrum.

An Christus ligabatur præcepto Circumcisionis?

II. R. Negativè; quia Legi veteri non erat subjectus: voluit tamen legem adimplere, juxta illud Matth. cap. 5. v. 17. "Non veni solvere *(legem)* sed adimplere."

Quomodo dicitur Christus legem adimplevisse?

III. R. 1°. Quia, licèt non fuerit legi obnoxius, plenè tamen illam servavit.

2°. Præcepta moralia explicatiùs perfectiùsque tradendo, et dando verum sensum; præceptis etiam Evangelica Consilia, quæ perfectiora sunt, adjungendo.

3°. Exhibendo rem figuratam per Legem, scilicet seipsum et Legem Evangelicam.

4°. Gratiam dando, quâ lex moralis adimpleretur, quam Lex vetus dare non poterat.

5°. Etiam dici potest adimplevisse legem, dum per Passionem et Mortem suam illam consummavit.

Quale nomen fuit Christo impositum in Circumcisione?

IV. R. Venerabile Nomen *Jesus*, latinè *Salvator*: quod Nomen priùs ab Angelo revelatum est Mariæ, Luc. cap. 1. v. 31. et Josepho, Matth. cap. 1. v. 21.

Quare secundùm Rubricas Ecclesiæ et usum fidelium ad pronuntiationem Nominis *Jesus* specialis exhibetur reverentia potiùs, quàm ad Nomen *Deus?*

R. Quia hoc Nomen est Christo proprium, significans *generalem nostram redemptionem*: quamvis ergo quidam in *veteri Lege (ut Josuë filius* Nun, Syrach et Josedech), sic

etiam vocati sint; soli tamen Christo perfecta ejus significatio convenit, utpote qui solus spiritualem, universalem et æternam salutem attulit: ideo Deus Pater voluit Nomen hoc specialiter esse venerandum, juxta illud ad Philipp. cap. 2. v. 9. " Dedit illi Nomen quod est super omne Nomen, ut in Nomine Jesu omne genu flectatur."

Hinc facilè patet abusus multorum, qui hoc venerabile Jesu Nomen continuò et irreverenter in ore habent.

V. Salvator noster etiam vocatur *Christus*, Hebraïcè *Messias*, et Latinè *Unctus*, (unctus nimirùm à Patre tanquam Pontifex, Propheta et Rex); et sic est nomen officii et dignitatis.

Alia plura nomina attribuuntur Christo, ut " Emmanuël, Princeps pacis, Oriens, Admirabilis;" sed S. Thomas demonstrat in omnibus iis significari Nomen Jesu.

N. 34. DE EPIPHANIA, SEU ADORATIONE MAGORUM.

S. Thom. quæst. 36.

I. *Christus natus, manifestatus est Pastoribus.* II. *Magis.* III. *Qui venerunt ex Arabia Felici.* IV. *Duce novâ stellâ.* V. *In Bethleëm.* VI. *Die* 13. *post Nativitatem.* VII. *Et singuli obtulerunt Aurum, Thus et Myrrham.*

I. PRIMO die, seu ipsa nocte Nativitatis manifestatus est Christus Pastoribus Judæis, Luc. 2. qui erant veluti primitiæ Judæorum; deinde Magis gentilibus, Matth. 2. et hi fuerunt primitiæ Gentium.

II. Vocantur Magi, id est, sapientes, qui communiter etiam dicuntur Reges juxta Psalm. 71. " Reges Arabum et Saba dona adducent;" quia fortè erant Reguli seu Toparchæ alicujus civitatis, sicut dicitur Genes. cap. 14. Rex Sodomiæ, Rex Gomorrhæ, &c.

Quot fuerunt Magi?

R. Id scriptura non dicit; vulgaris tamen et communis traditio refert, fuisse tres, eosque vocatos fuisse Melchior, Gaspar, et Balthazar.

Undenam venerunt Magi?

III. R. Ex Oriente, verisimiliter ex Arabia Felici, ubi Aurum, Thus et Myrrha abundant: huic convenit Psalmus

71. "Reges Arabum," &c. Item illud: "Dabitur ei de auro Arabiæ."

IV. Venerunt autem ex eadem regione interne à Deo illuminati, duce novâ stellâ ex elementari aliqua materia, non in cœlo stellato, sed in aëre terræ vicino miraculosè formatâ, quæ eis die Nativitatis Domini apparuit.

V. Adoraverunt Christum in Bethleëm, ut patet ex Matth. cap. 2. v. 8. Et verisimiliter in loco Nativitatis Christi.

VI. Juxta S. Thomam et communem Traditionem advenerunt in Bethleëm, die 13. post Christum natum, quo die Ecclesiæ eorum memoriam, sive festum Epiphaniæ celebrat; nam si post Purificationem venissent, non invenissent Christum in Bethleëm. Objectiones vide apud Daelm et alios.

Quid Magi obtulerunt Christo?

VII. R. An singuli singula, an verò singuli tria dona obtulerint, disputatur; verius tamen videtur, quòd singuli obtulerint tria dona, Aurum, Thus et Myrrham; Aurum scilicet tanquam Regi, Thus tanquam Deo, et Myrrham tanquam Homini mortali, juxta hunc versum Juvenci apud S. Hier. "Thus, Aurum, Myrrham, Regique, Hominique, Deoque dona ferunt."

In sensu morali hæc dona significant: Aurum charitatem (et juxta alios sapientiam vel misericordiam); Thus orationem, et Myrrha mortificationem.

N. 35. DE PURIFICATIONE B. V. M.

S. Thom. quæst. 37. *art.* 3. *et* 4.

I. *Legi Purificationis.* II. *Non subdebatur Maria.* III. *Nec Christus legi primogenitorum.* IV. *Fuga in Ægyptum.*

I. Expletis 40. diebus à Christo nato, Parentes ejus Jerosolymam se contulerunt, ut secundùm legem Moysis sisterent eum Domino.

Nota quòd duplex esset lex spectans ad præsens Mysterium.

Prior Levitici cap. 12. v. 2. et seq. agit de immunditia mulieris et ejus purificatione.

Posterior Exodi cap. 13. v. 2. ut, si proles sit masculina et primogenita, sistatur et offeratur Deo, tanquam ipsi specialiter debita et sanctificata.

An Diva Virgo fuit subjecta priori legi de Purificatione?

II. R. Negativè: Quia sub illa lege non comprehendebatur; lex enim dicit: " Si mulier suscepto semine pepererit;" jam autem Diva Virgo, non ex suscepto semine, sed de Spiritu S. concepit.

Deinde partus Divæ Virginis fuit purissimus, omnium sordium expers: unde solus sanguis fuit necessarius ad nutrimentum prolis, quâ natâ, reversus est ad beatissima ubera, ut lac fieret.

Convenienter tamen Diva Virgo se legi subjecit; decebat enim ut sicuti Filius, ita et Mater humilitatis et obedientiæ præberet exemplum, legem approbaret, et occasionem calumniæ Judæis eriperet.

III. Posteriori legi seu legi primogenitorum Christus non erat in rigore subjectus: quia lex dicit: " Omne masculinum aperiens vulvam;" Christus autem clauso Virginis utero natus est.

In hanc rem damnata est infamis propositio 24. ab Alexandro VIII. " Oblatio in Templo, quæ fiebat à Beata " Maria Virgine in die Purificationis suæ per duos pullos " columbarum, unum in holocaustum et alterum pro pec- " catis, sufficienter testatur, quod indiguerit Purificatione, " et quòd Filius, qui offerebatur, etiam maculâ Matris " maculatus esset secundùm verba legis."

IV. Fuga Christi in Egyptum, sicut et occisio puerorum in Bethleëm illam subsecuta, et reditus ex Ægypto in civitatem Nazareth, describuntur à Matth. cap. 2.

N. 36. DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI.

S. Thom. quæst. 40.

I. *Christus in medio Doctorum.* II. *Usque ad Baptismum.* III. *Egit vitam communem et socialem.* IV. *Habuit plures vestes.* V. *Usus est sandaliis.*

I. Ab infantia Christi usque ad ejus Baptismum nihil dicit Scriptura; nisi quòd duodennis in Jerusalem perditus sit à parentibus, et 3a. die inventus in medio Doctorum: vide Luc. cap. 2. v. 46, &c.

Christus litteris discendis non vacavit; quia nulla in ipso poterat esse ignorantia: non tamen otio indulsit; sed Josepho cohabitans opus corporale exercuit: unde

dixerunt concives: " Nonne hic est Fabri Filius ?" Matth. cap. 13. v. 55; imò Marci cap. 6. v. 3. *Faber* appellatur.

An S. Joseph fuerit faber ferrarius, an lignarius, disputatur: ex mente tamen veterum Christianorum et vulgari traditione posteriùs apparet verisimiliùs.

II. Christus Dominus pauperem duxit vitam, non tamen adeo inopem, ut ex mendicato viveret: nam usque ad Baptismum vixit labore manuum, et tempore prædicationis sequebantur eum mulieres, quæ ei ministrabant de facultatibus suis, Luc. cap. 8. v. 3. Paupertatem suam declaravit dicens, Matth. 8. v. 20. " Filius autem hominis " non habet, ubi caput reclinet:" id est, non possidet particulari dominio; quandoque tamen quædam communi dominio habuit cum Apostolis, ut patet ex loculis, quos Judas portabat.

III. Christus vitam egit communem et socialem; quia illa magis conveniebat fini Incarnationis et Missionis suæ: et ideo etiam communi cibo et potu ac vestitu usus est: exinde calumniosè traducebatur, Matth. cap. 11. v. 19. " Ecce homo vorax et potator vini," per respectum scilicet ad austeritatem Joannis Baptistæ.

Quandoque tamen etiam vitam solitariam, austeram et contemplativam commiscuit, ut dum 40 diebus jejunavit, et dum erat pernoctans in oratione.

An Christus habuit plures vestes ?

IV. R. Affirm. Ut patet ex Joan. cap. 13. v. 4. et cap. 19. v. 23.; quot autem habuerit, incertum est; communiùs dicitur habuisse ad minus tres, scilicet tunicam inconsutilem in modum subuculæ, et aliam vestem pro indusio gestari solitam, et pallium.

Obj. Christus id prohibuerat Apostolis, Matth. cap. 10.: ergo, &c.

R. Solùm ibi prohibuit plures vestes ejusdem generis, seu mutatorias; non autem plures diversi generis, aut necessitatis.

V. Non nudis pedibus sed sandaliis incessit, ut colligitur ex Marci 6.; calceis verò non est usus; quia videtur id prohibuisse, Matth. c. 10. v. 10. et Lucæ c. 22. v. 35. Hæc tamen prohibitio etiam exponi posset de calceis mutatoriis.

N. 37. DE BAPTISMO, JEJUNIO ET TENTATIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 39. *et* 41.

I. *Baptizatus à Joanne.* II. *Miracula tunc facta.* III. *Jejunium Christi.* IV. *Triplex Christi tentatio.* V. *Tantùm externa.*

I. CHRISTUS incipiens quasi annorum 30. ut ait Luc. cap. 3. v. 23. et jam prædicationem suam incepturus, priùs baptizari voluit non suo, sed Joannis Baptismo; idque ad humilitatem et exemplum; utque illud comprobaret, aquas sanctificaret et destinaret ad materiam Baptismi novæ Legis.

Hoc Joannis Baptisma non erat Sacramentum, nec gratiam conferens; sed nudum signum et præparatio ad pœnitentiam.

Miracula facta in Baptizatione Christi, hæc refert Evangelium: II. " Cœlum apertum est, Spiritus Sanctus in " specie columbæ descendit, et vox Patris de cœlo au- " dita: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene " complacui."

Tunc verisimiliter Christus instituit suum Baptisma, ut infra dicetur.

Post Baptismum secessit in desertum, ubi post perfectum III. jejunium quadragesimale virtute supernaturali perfectum, postea esuriit: et hinc diabolus occasionem sumpsit Christum tentandi.

Quotuplex fuit tentatio Christi?

IV. R. Triplex: secundùm ordinem Matth. cap. 4. Prima in deserto pertinet ad gulam; secunda, in Pinnaculo Templi Jerosolymitani pertinet ad superbiam; et tertia in monte excelso spectat ad avaritiam.

Per has tentationes significantur omnium vitiorum fontes, qui sunt juxta 1. Joan. cap. 2. v. 16.: ' Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.'

V. Tentationes autem illæ in Christo tantùm fuerunt externæ, non internæ; has enim non est passus nec pati potuit.

N. 38. DE DOCTRINA ET MIRACULIS CHRISTI.

S. Thom. quæst. 42, 43, *et* 44.

I. *Christus incepit prædicare.* II. *Solis Judæis.* III. *Venientes gentiles admisit.* IV. *Verbo, non scripto docuit.* V. *Non obstante scandalo Judæorum.* VI. *De miraculis Christi.*

I. INCARCERATO Joanne Baptistâ, cœpit Christus publicè prædicare, ut dicitur Marci cap. 1. v. 14. "Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium Regni Dei."

Quibus Evangelium prædicavit?

II. Solis Judæis; hoc enim significant verba ejus Matth. cap. 15. v. 24. 'Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, Domus Israël.' Hoc est, inquit S. Augustinus, quod præsentiam suam corporalem non exhibuerit nisi populo Israël; ad gentes autem ipse non iverit, sed ipse miserit post Ascensionem suam: ad Israël verò et misit, et venit ipse: et hinc dicitur 'Minister Circumcisionis,' ad Rom. cap. 15. v. 8.

III. Quandoque tamen gentiles admisit ob excellentiam fidei et devotionis eorum: ut Chananæam Matth. c. 15. v. 22. et Samaritanam et Samaritanos Joan. cap. 4. &c.

IV. Doctrinam suam non scripto, sed verbo proposuit, quæ partim ab Evangelistis et partim per Traditionem ad nos derivata est; quia ille est excellentior Doctor, qui cordi, quàm qui chartæ suam doctrinam imprimit: et hinc ut Apocrypha communiter rejicitur responsalis epistola Christi ad Abgarum Regem Edessæ in Syria.

Quantumvis veritas aliqua quandoque ob scandalum reticenda sit; observat tamen S. Thomas, quæst. 42. art. 2. quòd veritas Evangelica, V. non obstante Judæorum scandalo, (quod non erat datum, sed acceptum tantùm) debuerit ipsis prædicari: eò quòd esset veritas populo sive communitati necessaria ad salutem.

VI. Miracula à Christo convenienter sunt facta, quibus probavit, se esse Deum, et Doctrinam suam esse evidenter credibilem. Multa, non tamen omnia, referuntur ab Evangelistis.

N. 39. DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 45.

I. *Transfiguratio Christi.* II. *Non fuit intrinseca.* III. *Sed fuit miraculosa.* IV. *Coram quinque testibus.*

QUID importat Christi Transfiguratio?

I. R. Significat, quod in Monte Thabor (ut communis habet opinio) manente omnino immutatâ corporis et faciei substantiâ et figurâ, splendorem clarissimum adinstar solis emiserit. Ita S. Thom. et S. Hieron. in cap. 17. Matth. idque conformiter Matth. cap. 17. "Et resplenduit facies ejus sicut sol, &c."

II. Unde notat S. Thomas, quòd vox illa *Transfiguratio* hìc proprè et strictè sumi non possit pro intrinseca mutatione Corporis Christi; quia talis mutatio fieri non potest sinè magna alteratione, quam tunc fieri non decebat.

Notant etiam Sancti Patres, per faciem tanquam per partem corporis magis aspectabilem totum corpus intelligi.

III. Porrò hæc claritas Christi Corporis fuit claritas Gloriæ, qualem habebant Corpora Beatorum post resurrectionem; cum hac tamen differentia, quòd claritas Corporis Christi sit miraculosa, non illorum; quia Christi Corpus erat passibile, ut explicatur N. 15. et sic etiam Corporis agilitas, dum ambulavit super aquas, et subtilitas, dum exivit ex utero clauso Divæ Virginis, fuerunt miraculosæ.

An fuerunt adhibiti testes in Transfiguratione?

IV. R. Affirmativè: Quinque, scilicet: Moyses et Elias, qui, ut dicit Luc. cap. 9. v. 30. et 31. loquebantur cum Christo de excessu, quem completurus erat in Jerusalem, id est, de Passione et Morte Christi. Adfuerunt etiam tres Apostoli, Petrus, Jacobus et Joannes.

N. 40. DE PASSIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 46.

I. *Passio Christi in cruce.* II. *Fuit omnium maxima.* III. *Quæ facta est luna* 15 *Nisan.* IV. *Horâ* 6. *Judæorum, usque ad* 9. V. *Pia reflexio.*

I. Historiam Passionis Christi referunt omnes quatuor Evangelistæ.

Adfert S. Thom. art. 4. plures rationes, ob quas conveniebat Christum pati in Cruce.

Modum Crucifixionis vide apud Jansenium, apud Pauwels, et alios Authores.

II. Ostendit S. Thom. art. 5. quòd Christus passus sit omnes Passiones secundùm genus: et art. 6. quòd dolor Passionis Christi fuerit maximus inter dolores præsentis vitæ.

III. Legenti dictos articulos satis longos evidenter patebit acerbitas doloris, et immensa Dei charitas erga nos, sicut et obligatio nostra perpetuæ illarum meditationis et gratitudinis: art. 9. agit S. Thom. de die Crucifixionis Christi, quæ fuit Luna 15. mensis Nisan, ut constabit *ex Tractatu de Eucharistia*, ubi agitur de tempore institutionis ejusdem.

Quâ horâ Christus crucifixus est?

IV. R. Circa horam sextam Judæorum, quæ est nostra duodecima meridiana; Joannes enim dicit: " Erat hora quasi sexta;" et mortuus est circa horam nonam, id est, circa tertiam nostram pomeridianam.

Nota, quòd Judæi computum horarum inciperent ab ortu Solis usque ad ejus occasum, dividendo diem in 12 horas: præterea dividebant diem in quatuor partes, quarum prima continebat tres horas, tertia tres horas, et similiter sexta et nona.

Obj. Marci c. 15. v. 25. dicitur: " Erat hora tertia et crucifixerunt eum:" ergo non hora sexta.

R. Quia Marcus intellexit de hora tertia finiente, et Joannes de hora sexta appropinquante; nam hora tertia durabat usque ad sextam, sive usque ad meridiem, juxta mox dicta.

V. Scriptores quidam spirituales piâ meditatione obser-

vant, Christum Dominum toto vitæ suæ tempore sensisse in anima dolores mortis, quos passus est in cruce: quia præcognoscens illos futuros, sibi eos vivacissimè et perfectè omni tempore representabat et acceptabat tanquam præsentes.

N. 41. DE RESURRECTIONE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 53.

I. *Surrexit post tres dies.* II. *Non integros.* III. *Quomodo Christus sit primogenitus ex mortuis.* IV. *Christus resurrexit ex sepulchro clauso.*

De Triduo Mortis Christi vide N. 10.

Quandonam Christus resurrexit?

I. R. Tertiâ die, quando Anima Christi reunita est Corpori cum dotibus gloriosis: et eatenus dicitur resurrexisse à mortuis ad vitam immortalem, idque propriâ virtute.

II. Sepultus est autem Feriâ sextâ ad vesperam ante Solis occasum, et resurrexit die Dominicâ manè in aurora: quod spatium non comprehendit tres dies integros; unde dum Matth. cap. 12. dicit Christus: "Sic erit Filius hominis tribus diebus et tribus noctibus in corde terræ;" hoc intelligitur per Synecdochen, seu ponitur pars pro toto; dies enim et noctes accipiuntur hìc computu Astronomico; à media nocte usque ad mediam noctem sequentem.

Quo sensu dicitur Christus ad Coloss. cap. 1. v. 18. "Primogenitus ex mortuis:" et 1. ad Cor. cap. 15. v. 20. "Primitiæ dormientium," cùm ante Christum resurgentem varii à mortuis surrexerint, ut dicitur Matth. cap. 27. v. 52?

III. R. Imprimis illi Matth. cap. 27. v. 52. tantùm resurrexerunt post Resurrectionem Christi, ut significatur v. 53. "Et exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus" (Christi): deinde quia Christus primus omnium resurrexit ad vitam immortalem; ubi alii ita Resuscitati sunt, ut iterum morerentur postea: unde primus est qui resurrexit Resurrectione perfectâ.

IV. Observa contra Hæreticos, quòd Christus resurrexerit ex sepulchro clauso; Corpus enim gloriosum penetravit lapidem, sicut januis clausis postea intravit ad Discipulos: lapis autem revolutus est à monumento per Ange-

lum, solummodo ad accessum mulierum ad sepulchrum: proinde quidam pictores erroneè depingunt Christum resurgentem ex sepulchro aperto.

N. 42. DE APPARITIONIBUS CHRISTI POST RESURRECTIONEM.

S. Thom. quæst. 55.

I. *Decem Christi Apparitiones.* II. *Adhuc aliæ Apparitiones.* III. *Et sæpius Discipulis facta.* IV. *Primò apparuit Matri suæ.*

I. Observat S. Thom. art. 3. cum S. Augustino, apud Evangelistas enumerari decem Apparitiones Christi, scilicet quinque primo die Resurrectionis, et quinque postea.

Prima facta est Mariæ Magdalenæ, Marci cap 16. v. 9. et Joannis cap. 20. v. 14.

Secunda, Mulieribus à sepulchro regredientibus, Matth. cap. 28. v. 9.

Tertia, Apostolo Petro, Luc. cap. 24. v. 34.

Quarta, duobus Discipulis euntibus in Emmaüs, Luc. cap. 24. v. 15. et seq., et Marc. cap. 16. v. 12.

Quinta, dum Christus stetit in medio Discipulorum, absente Thoma, Luc. cap. 24 v. 36. et Joan. cap. 20. v. 19: atque hæ sunt quinque Apparitiones, quæ contigerunt ipsâ die Resurrectionis.

Sexta facta est post octo dies Apostolis cum Thoma congregatis, Joan. cap. 20. v. 26.

Septima facta est septem Discipulis piscantibus in mari Tiberiadis, Joan. cap. 21. v. 1. et seq.

Obj. Ibidem v. 14. dicit Joannes "Hoc jam tertiò manifestatus est Jesus Discipulis suis:" ergo non est septima, sed tertia.

R. Nego conseq. Quia hæc Apparitio vocatur tertia inter eas, quæ factæ sunt multis Discipulis simul; et sic prima et secunda ex his tribus fuerunt quinta et sexta jam enumeratæ.

Vel etiam potest dici tertia, intelligendo scilicet numerum dierum, quibus apparuit.

Octava, in monte Galilææ, Matth. c. 28. v. 17.

Nona, recumbentibus undecim in domo Jerosolymæ, Marci cap. 16. v. 14.

Et decima, ipsâ die Ascensionis in monte Oliveti, Lucæ cap. 24. v. 51. et Actor. 1.

S. Gregorius nonam et decimam conjungit tanquam unam continuatam, ita ut Christus immediatè ex illa domo exiverit cum Discipulis in montem Oliveti, in Cœlum ascensurus.

An præter has ab Evangelistis recensitas referuntur adhuc aliæ Apparitiones Christi?

II. R. Affirmativè: Nam 1 ad Cor. 15. v. 6. dicitur: "Visus est plus quàm quingentis fratribus;" nisi fortè sit eadem cum una ex superioribus, sed S. Thomas illam distinguit.

Prosequitur Apostolus v. 7. "Visus est Jacobo;" et addit "Visus est et mihi," quæ non leguntur in Evangelio.

III. Denique cùm Actor. 1. legatur, quòd per 40 dies apparuerit discipulis, loquens de Regno Dei, insinuatur, quòd Christus crebrò conversatus sit cum eis, docens eos materias et formas Sacramentorum, &c. omnia enim non sunt scripta, ut dicitur Joan. cap. 21. v. 25.

An Christus non apparuit Matri suæ?

IV. R. Communiter cum S. Ambrosio affirmativè, idque primo die Resurrectionis: sic enim ait S. Pater lib. 3. *de Virginibus*: "Vidit ergo Maria Resurrectionem "Domini, et prima vidit, et credidit:" idque affectus Christi in Matrem dilectissimam suadere videtur.

Obj. Marc. cap. 16. v. 9. dicitur: "Apparuit primò Mariæ Magdalenæ:" ergo non Matri suæ.

R. Nego conseq. Nam Marcus loqui videtur de istis personis, quæ testes et nuntii esse deberent Resurrectionis Christi, vel quæ de ea dubitantes confirmari deberent; illa autem locum non habent in Diva Virgine.

S. Thomas plura alia hìc inquirit de Christi Resurrectione, Ascensione et judiciaria potestate; sed illa partim habentur in expositione Symboli Apostolorum, et partim *in Tract. de* 4. *Noviss.*

FINIS TRACTATUS DE INCARNATIONE.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTIS

IN GENERE.

S. Thom. 3. *parte, à quæst.* 60. *usque ad* 66.

Finito Tractatu de Incarn., *transit S. Thom. ad* Sacramenta, *utpote quæ à Verbo Incarnato omnem suam efficaciam hauriunt, et in ejus meritis fundantur.*

N. 1. QUOMODO ACCIPITUR ET DIVIDITUR SACRAMENTUM.

I. *Sacramentum accipitur tripliciter.* II. *Sacramenta triplicis statûs.* III. *Differentia inter veteris et novæ Legis Sacramenta.* IV. *Sacramentum novæ Legis sextupliciter dividitur.*

QUOTUPLICITER sumitur vox *Sacramentum ?*

I. R. Sumitur potissimùm tripliciter.

1°. Pro re secreta et occulta, quomodo vox Latina *Sacramentum* Græcè idem est, quod Mysterium : et ita sumit

Apostolus ad Ephes. cap. 1. v. 9. "Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ."

2°. Accipitur pro signo rei Sacræ, ut ad Eph. cap. 5. v. 32. "Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia." Ubi loquitur Apostolus de matrimonio primorum Parentum, quod dicit fuisse signum conjunctionis Christi cum Ecclèsia.

3°. Ut in sequentibus sumitur, est signum Rei Sacræ, non nudum, sed ut sanctificans homines.

II. Quomodo dividuntur Sacramenta?

R. In Sacramenta Legis naturæ, Legis Moysaïcæ, et Legis novæ.

III. Inter Sacramenta novæ et veteris Legis hæc præcipua est differentia, quòd hæc gratiam ex opere operato non causarent, sed eam per Passionem Christi dandam præfigurarent: Sacramenta autem novæ Legis eam sic conferant: differunt deindè penes ritum, statum, authorem, &c., quòdque Sacramenta novæ Legis pauciora sint et faciliora. Vide *Analog. Becani* cap. 15. quæst. 1. et seq.

Quomodo dividuntur Sacramenta novæ Legis?

IV. Hæc, quæ sunt numero septem, dividuntur 1°. in Sacramenta vivorum et mortuorum.

2°. In imprimentia characterem et initerabilia, et in non imprimentia characterem et iterabilia.

3°. Alia sunt necessaria necessitate medii: alia præcepti tantùm; alia liberæ electionis.

4°. Alia unicuique particulari competunt; alia directè communitati, ut Ordo et Matrimonium.

5°. Aliud est validum simul et fructuosum; aliud validum, sed informe, seu non conferens gratiam ob indispositionem suscipientis; quod in Sacramento pœnitentiæ locum non habet.

6°. Denique Sacramentum informe aliud est, quod reviviscit; aliud non reviviscens.

2. DE DEFINITIONE SACRAMENTI.

S. Thom. quæst. 60.

amentum in genere. II. *Veteris Legis.* III. *Et* *Legis.* IV. *Sacramentum est in genere signi.* *Respectu trium rerum.*

UOMODO definitur Sacramentum ?
acramentum propriè sumptum, et prout complecti- veteris, tum novæ Legis Sacramenta, à S. Thom. ir: " Signum rei Sacræ, in quantum est sanctificans s," id est, ceremonia sacra, externa divinitùs in- ad hominum sanctificationem, et frequentanda à Dei.
Sacramentum autem veteris Legis definire poteris lefinitioni addendo : " tanquam præfigurativum gra- Christum dandæ."
nodo definitur Sacramentum novæ Legis ?
R. Invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanc- nem divinitùs institutum. Per *visibile* intellige *sen-* hoc est, aliquo sensu perceptibile ; sive immediatè ne suî, (ut aqua et ablutio in Baptismo), sive mediatè liud, ut contritio per externam manifestationem, Cor- risti per species consecratas.
sensu dicit S. Th. art. 1. quòd Sacramentum sit in signi, et non in genere causæ ?
Quia res aliqua Sacramentum est, quatenùs signum quatenùs causa est, seu quòd significet, facit ut ramentum, non quòd aliquid causet : ut patet ex entis veteris Legis, quæ gratiam non causabant, sed bant.
nam est illa res sacra, cujus signum est Sacramen-

.. S. Thomas. art. 3, quòd Sacramentum tria signi- assionem scilicet Christi, Gratiam sanctificantem, am æternam.
e Sacramenta novæ Legis sunt signa commemora- ssionis Christi, demonstrativa Gratiæ, quâ homo er sanctificatur, et prognostica Gloriæ ; in quan- m Sacramenta ordinantur ad significandam nos- nctificationem, tria possunt considerari : scilicet

ipsa causa justificationis, quæ est Passio Christi; forma justificationis, quæ est Gratia; et finis justificationis, qui est Gloria.

Respectu horum trium erant Sacramenta veteris Legis signa tantùm prognostica.

N. 3. QUALE SIGNUM SIT SACRAMENTUM?

I. *Est signum sensibile.* II. *Ob quatuor rationes congruentiæ.* III. *Arbitrarium.* IV. *Stabile et permanens.* V. *Efficax et practicum.* VI. *Et Sacrum.* VII. *Varia à ratione Sacramenti excluduntur.*

I. Resp. primò, est signum *sensibile*, seu visibile et externum.

II. Quare Sacramenta instituta sunt in re sensibili?

R. Præter voluntatem instituentis variæ sunt rationes congruentiæ: scilicet 1°. quòd sic homo magis congruè ad suam naturam juvetur, à sensibilibus ad insensibilia perveniendo.

2°. Ut sic aptè humilietur, dum à rebus sensibilibus et infra se positis sanctitatem amissam quasi repetere cogitur.

3°. Quia Sacramenta sunt cæremoniæ Ecclesiæ visibilis, quibus Dei cultores in una religionis norma colligantur, et quibus ab aliis distinguuntur.

4°. Ut omnipotentia Dei demonstretur, quæ per res sensibiles salutis remedium præstat.

III. Secundò, Sacramentum est signum *arbitrarium*, non naturale; quamvis enim fundetur in aliqua similitudine rei significantis ad rem significatam, v. g. in Baptismo ablutionis corporalis ad ablutionem spiritualem, (quo sensu dicit S. Augustinus, Epist. 68. alias 23. "Sacramenta "habent quamdam similitudinem earum rerum, quarum "sunt Sacramenta,") non habent tamen, quòd Gratiam significent, præsertim modo sacramentali et practico, nisi ex institutione divina.

IV. Tertio debet esse "Signum stabile et permanens," à populo illius religionis frequentandum.

Nota tamen, quòd Sacramenta non debeant semper durare, sed tantùm tamdiu, quàm permanet religio, cujus sunt signa; ut patet in Sacramentis Legis Naturæ.

V. Quartò, est signum "efficax et practicum," scilicet

efficiens id, quod significat, non quidem respectu omnium, quæ significat, (sic, v. g. significat futuram Gloriam), sed respectu sanctitatis, quam significat. Sic signum practicum non proprium est Sacramentis novæ Legis.

Verùm in latiori sensu possunt etiam Sacramenta veteris Legis vocari signa practica, inquit Steyaert, non præcise respectu sanctitatis legalis et externæ, quam conferebant, (in eo enim nihil erat mysticum et arcanum), sed respectu veræ et internæ Sanctitatis, in quantùm eam significabant, non undè representatione, sed homini suo tempore dandam: quod generali sufficit ratione ad signum practicum.

VI. Quintò, est signum *Sacrum*, tum in se, quatenùs est res sive cæremonia sacra ad cultum Dei ordinata; tum ex parte rei significatæ, quatenùs Sacramenta sunt signa Gratiæ sanctificantis.

VII. Ex dictis varia excludes à ratione Sacramenti; et ita excluduntur transitus Maris rubri, Petra fundens aquas, Manna, Serpens æneus, immolatio Isaac, &c. quia etiamsi rem aliquam spiritualem præfigurarent, non erant tamen cæremoniæ sacræ, vel quid stabile à tota religione frequentandum.

Excluditur etiam Sacrificium, utpotè quod ordinatur ad ipsi Deo cultum exhibendum, Sacramentum autem ad sanctificationem hominum.

Pariter excluditur Martyrium, quod non est à Deo institutum, sed à dæmone ejusque ministris adinventum: similiter excluditur aquæ benedictæ aspersio, et alia sacramentalia: quia ex pietate tantùm operantia, aut ex suffragiis Ecclesiæ vim aliquam habent in ordine ad sanctitatem, cùm non sint Institutionis Divinæ, sed Ecclesiasticæ.

N. 4. DE ESSENTIALIBUS SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS.

I. *Sacramenta tribus perficiuntur.* II. *Cur non exprimatur subjectum.* III. *Differentiæ Eucharistiæ ab aliis Sacramentis.* IV. *Cur non dicantur Sacramenta tribus componi.*

I. Eugenius IV. seu (ut communiter dicitur) Concilium Florentinum in decreto unionis ait: "Hæc omnia

" (novæ legis) Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet " rebus, tanquam materiâ; verbis, tanquam formâ, et " Personâ Ministri conferentis Sacramenta cum intentione " faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, " non perficitur Sacramentum."

Quare non additur subjectum suscipiens Sacramentum?

II. R. Quia subjectum non concurrit activè, sed tantùm passivè; voluit autem Concilium tantùm exprimere, quæ ad Sacramentorum perfectionem activè se habent.

Deindè, quia intendit tantùm designare ea, quæ omnibus Sacramentis sunt essentialia; Sacramentum autem Eucharistiæ perficitur et subsistit sine subjecto.

Quænam est ratio hujus differentiæ inter Sacramentum Eucharistiæ et sex alia?

III. R. Quòd illud Sacramentum consistat in re permanente; sex alia verò perficiantur et consistant in re transeunte.

Incidenter hìc nota aliam palmarem differentiam; scilicet quòd sex alia *instrumentaliter* tantùm contineant Gratiam, quam proximè significant; Sacramentum verò Eucharistiæ *formaliter* contineat ipsum Authorem Gratiæ Christum Dominum, qui proximè et principaliùs significatur per modum spiritualis refectionis, et sic cum ordine ad nostram sanctificationem, dum hoc Sacramentum reipsâ sumitur.

Quare dicit Concilium *tribus perficiuntur*, et non *componuntur*?

IV. R. 1°. Quia loquebatur etiam de Persona Ministri, quæ, licèt ad Sacramentum necessariò requiratur, non ingredìtur tamen compositionem Sacramenti.

2°. Id dicit ratione Eucharistiæ, quæ pane et vino perficitur, ex quibus tamen non componitur; cùm enim hoc Sacramentum sit permanens, ex rebus transeuntibus intrinsecè componi non potest: unde Sacramentum Eucharistiæ illis tribus perficitur ut Sacramentum *in fieri*, aliis constituitur seu componitur ut Sacramentum *in facto esse*: cætera verò Sacramenta eâdem materiâ et formâ quibus perficiuntur, etiam componuntur *in facto esse* Sacramenti.

N. 5. DE MATERIA ET FORMÂ SACRAMENTORUM.

I. *Sacramenta constant duobus tanquam partibus.* II. *Scilicet materia.* III. *Et formâ.* IV. *Quæ rectè sic vocantur.* V. *Ob analogiam totius physici.*

I. SACRAMENTUM, quod est ens quoddam morale, duobus constat tanquam partibus essentialibus & intrinsecis, ex quibus componitur; scilicet rebus tanquam materiâ, et verbis tanquam formâ; excipitur tamen Eucharistia secundùm mox dicta.

Quid hìc intelligitur per materiam ?

II. R. Intelligitur illud sensibile, quod magis confusè Gratiam significat; sive illud sit res quædam per se subsistens, seu substantia, ut aqua in Baptismo; sive sit actio quædam circa illas res, ut ablutio, &c.

Quid hìc intelligitur per formam ?

III. R. Intelliguntur verba, quibus Minister rem sensibilem in Sacramento arctiùs et clariùs restringit ad significandam Gratiam et spiritualem effectum; ut in Baptismo: "Ego te baptizo," &c.

Quâ ratione Partes Sacramentorum appellantur nomine materiæ et formæ ?

IV. R. Utimur his terminis philosophicis explicationis gratiâ; rectè tamen, ob analogiam inter totum morale Sacramentale et totum aliquod physicum, ob quam post S. Thomam Concilia Trid. et Florent. nomina illa usu comprobarunt.

Illa autem analogia præsertim consistit in his duobus:

V. 1°. Sicut forma physica accedens materiæ eam determinat ad hoc vel illud esse, eamque perficit; sic in Sacramentis forma materiæ accedens eam determinat et perficit in esse significationis sacramentalis.

2°. Sicut materia et forma physica constituunt unum totum physicum, ita in Sacramentis constituunt unum totum morale, quod est Sacramentum: hinc, inquit S. Augustinus, *Tract.* 80. *in Joannem:* "Detrahe verbum, et quid "est aqua nisi aqua ? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum."

Notandum igitur, in Sacramentis propriè non haberi materiam et formam, sed quasi materiam et formam, ut sæpe

addit S. Thomas; brevitatis tamen gratiâ jam invaluit simpliciter dicere materiam et formam.

N. 6. DE SIMULTATE MATERIÆ ET FORMÆ.

I. *Requiritur simultas moralis.* II. *In quo consistat.* III. *Latior in Sacramento Pœnitentiæ.* IV. *Et Matrimonii.* V. *Major in cæteris.* VI. *Nota pro praxi.*

I. QUALIS requiritur simultas sive conjunctiò materiæ et formæ ad validitatem Sacramenti?

R. Cùm Sacramentum sit compositum morale, sufficit etiam simultas moralis; excipe tamen Sacramentum Eucharistiæ, in quo requiritur simultas physica: quia in hujus confectione pronomina *hoc et hic* demonstrant, materiam esse præsentem eo tempore, quò verba proferuntur ab initio.

In quo consistit illa simultas moralis?

II. R. Quòd juxta communem existimationem verba formæ verificentur afficiendo materiam Sacramenti quacùm unà et conjunctim constituant unum totale signum Sacramentale: hinc hæc simultas moralis diversa est in diversis Sacramentis juxta cujusque Sacramenti naturam: III. unde Sacramentum Pœnitentiæ non exigit tam strictam unionem; quia institutum est per modum judicii, in quo sententia non semper statim sequitur causæ examen: unde potest quis post plures dies, v. g. confessionis generalis absolvi, modò Confessarius retineat ideam statûs pœnitentis: IV. in Sacramento Matrimonii, quod fundatur in natura contractûs, idem obtinet.

V. De Eucharistia dictum est initío hujus Num. in cæteris quatuor Sacramentis materia et forma debet esse quasi simul tempore; cùm eorum forma significet actualem materiæ applicationem in præsenti, et consistant in actione transeunte.

Quia tamen moraliter loquendo tempus præsens admittit aliquam latitudinem, ideo plerique veriùs arbitrantur, confici Sacramentum, licèt ea non fiant omnino simul: v. g. si Minister Baptismi post ablutionem mox diceret: "Ego te "baptizo," &c.

VI. Notandum tamen in praxi pro his quatuor Sacramentis, tutiorem et consequenter esse sequendam eorum *sententiam*, qui dicunt, illorum Sacramentorum materiam

et formam reipsâ simul debere conjungi; ita ut simul materia applicetur et forma proferatur; aut non priùs applicatio materiæ finiatur, quàm forma inchoetur, vel è contra: undè ad hoc attentus sit Minister: et sic Billuart à mortali non excusat illum, qui baptizando v. g. partem saltem formæ non pronuntiaret ante finitam ablutionem.

Sic etiam practicè in Sacramentis Pœnitentiæ et Matrimonii convenit, ut materia et forma statim conjungantur; ubi scilicet aliunde nihil obest.

N. 7. DE DETERMINATIONE MATERIÆ ET FORMÆ.

S. Thom. quæst. 60. *art.* 5 *et* 7.

I. *Christus determinavit materias et formas.* II. *Non in individuo.* III. *Sed plerasque in specie.* IV. *Et in Sacramento Ordinis tantùm in genere.*

An Christus instituendo Sacramenta Novæ Legis determinavit eorum materias et formas?

I. R. Affirmativè; id autem erat conveniens, tum quia est Author Sacramentorum et Caput Ecclesiæ, tum propter bonum Ecclesiæ, nempe ad ejus uniformitatem et Catholicitatis signaculum.

Id autem factum esse, constat partim ex Scriptura sacra, partim et potissimùm ex Traditione divina, quam nobis manifestat et explicat Ecclesia.

Quomodo Christus determinavit materias et formas?

II. R. Imprimis certum est, quòd non determinaverit materias *in individuo*: quia v. g. in Baptismo nihil refert, an aqua sit pluvialis, an fontana, modo sit naturalis, apta ad abluendum; idem etiam certum est de formis, scilicet determinata non esse verba materialiter individua, vel idiomatis determinati.

III. 2°. Constat, Christum eas determinasse *in specie* in Sacramentis Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis et Matrimonii: hæc tamen determinatio, quantùm est ex parte rerum, arctior est in uno, quàm in altero Sacramento, ut patebit materias singulorum consideranti.

Idem etiam videtur de Sacramento Confirmationis.

IV. 3°. De Sacramento Ordinis communior sententia docet, illius materiam et formam à Christo esse determinatas tantùm *in genere*, id est Sacramentum Ordinis à Christo esse institutum, in genere tantùm determinando, ut pro materia et forma adhiberetur signum aliquod visibile, reale et vocale, expressivum potestatis conferendæ seu effectûs hujus Sacramenti: Ecclesiæ autem committendo authoritatem ex rebus et verbis ejusmodi generis eligendi et determinandi, v. g. impositionem manuum et traditionem instrumentorum cum formis correspondentibus.

Obj. Ergo Ecclesia potest instituere vel mutare essentialia Sacramentorum: quod repugnat Concilio Trid. Sess. 21. cap. 2. ubi Ecclesiæ potestatem circa Sacramentorum dispensationem restringit his verbis: "Salvâ eorum substantiâ."

R. Nego sequelam, quia salva manent substantia Sacramenti Ordinis, ejusque essentialia, cùm supponatur hæc ipsa Ecclesiæ determinatio esse Institutionis Divinæ; ut proinde, dum Ecclesia pro hoc vel illo tempore, pro hac vel illa Ecclesia certam materiam aut formam determinat, eo ipso essentialis ea fiat vi Institutionis Divinæ; simili modo sicuti simplex Sacerdos, accedente commissione Summi Pontificis, sit Minister Confirmationis.

N. 8. DE DIVISIONE MATERIÆ SACRAMENTORUM.

I. *Sacramentorum materia dividitur.* II. *In remotam* III. *Et proximam.* IV. *In essentialem.* V. *Et integralem.* VI. *In totalem.* VII. *Et partialem.* VIII. *In transeuntem, et permanentem.*

Quomodo dividitur materia Sacramentorum?

I. R. 1°. In remotam et proximam.

Hæc divisio locum habet in omnibus Sacramentis, exceptâ Eucharistiâ.

2°. In essentialem et integralem.

3°. In totalem et partialem.

4°. In transeuntem et permanentem.

Quid intelligitur per materiam remotam?

II. R. Res ipsa, quæ adhibetur, seu circa quam actio *Sacramentalis* versatur, mediante materia proximâ; v. g.

aqua elementaris in Baptismo : materia autem remota alia est *ex qua*, quæ scilicet remotè concurrit ad perfectionem Sacramenti, ut aqua in Baptismo ; alia est solùm *circa quam*, ut peccata in Sacramento Pœnitentiæ.

Quid est materia proxima ?

III. R. Est materiæ remotæ applicatio, seu actio, quæ eidem illam vendicatur ; ut applicatio aquæ, seu ablutio in Baptismo.

Quid intelligitur per materiam essentialem ?

IV. R. Illa, sine qua Sacramentum perfici non potest, ut in Baptismo aqua et ablutio.

Quid est materia integralis ?

V. Est ea, quæ verè ad rationem Sacramenti concurrit, summque effectum operatur ; sine qua tamen Sacramentum essentialiter subsistere potest ; talis est satisfactio in Sacramento Pœnitentiæ.

Unde res, quæ non est materia essentialis vel integralis, non est propriè Sacramenti materia ; sed venit nomine cæremoniarum vel sacramentalium ; talis est v. g. inunctio digitorum in ordinatione Presbyteri.

Quid est materia totalis ?

VI. R. Est illa quæ in ratione materiæ remotæ vel proximæ se solâ sufficit ad constituendum Sacramentum essentialiter et integraliter integrum ; ut in Baptismo aqua et ablutio.

Quid est materia partialis ?

VII. R. Est ea, quæ est Sacramenti materia, sed præter quam alia requiritur, ut sit essentialiter et integraliter integrum Sacramentum : ut v. g. in Sacramento Pœnitentiæ contritio.

Quid intelligitur per materiam transeuntem ?

VIII. R. Illa, quæ consistit in re transeunte ; ut panis et vinum in Eucharistia.

Per materiam permanentem illa intelligitur, quæ consistit in re permanente ; ut v. g. instrumenta in Sacramento Ordinis.

N. 9. DE FORMIS SACRAMENTORUM EARUMQUE DIVISIONE.

I. *Forma constat verbis strictè dictis,* II. *Non promissoriis,* III. *Nec concionatoriis,* IV. *Sed ritualibus.* V. *Divisiones formæ.*

I. DICTUM est Num. 5. per formam intelligi verba; illa autem debent esse propriè dicta et vocalia: excipe tamen Sacramentum Matrimonii in sententia illorum, qui docent, contrahentes esse Ministros.

Qualia verba requiruntur ad formam Sacramenti?

R. Controversia nobis est contra Calvinum et ejus sequaces de *verbo*, quod in Sacramento adhibetur: nempe an debeat esse promissorium, an concionatorium, an rituale, an consecratorium.

II. Verbum promissorium vocant id, quod vel expressè promissiones divinas continet, vel ad eas jam factas mentem revocat.

III. Concionatorium dicitur illud, quod profertur altâ et intelligibili voce ad adstantium instructionem, vel certè ad excitandos affectus Fidei; cui soli justificationem attribuunt per imputationem justitiæ Christi.

Verbum Rituale est, quod proximè ordinatur ad rei vel personæ benedictionem, consecrationem aut sanctificationem.

His præmissis,

IV. R. contra hæreticos: ad essentiam Sacramenti non requiritur concio, nec verba Sacramentorum sunt simpliciter promissoria et concionatoria, sed sunt verè ac propriè consecratoria, seu ritualia.

Probatur prior pars; aliud est officium baptizandi, aliud evangelizandi juxta illud 1 ad Cor. cap. 1. v. 17. "Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare:" ergo forma Baptismi non est concionatoria; aliàs enim illa duo non distinguerentur.

Deinde infantes et amentes validè baptizantur; atqui eis non adhibetur concio, cùm sint illius incapaces; sicut etiam ridicula foret concio, quæ dirigeretur ad calicem per verba *formæ* calicis.

Altera pars probatur: finis primarius et immediatus ver-

borum sacramentalium non est, ut divinas in nobis explicent promissiones, vel fidem excitent, sed ut hominem sanctificent; ergo, &c.

Objicit Calvinus: S. August. *Tractatu* 80. *in Joannem*, dicit: "Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?" ergo, &c.

R. Nego conseq. Illa enim verba S. August. "Non quia dicitur, sed quia creditur," hunc habent sensum: verbum sacramentale dat aquæ vim mundandi cor, non in quantùm est sonus quidam exterior, seu strepitus transiens, sed secundùm sensum verborum, qui fide tenetur, et est objectum fidei; nam subjungit S. Doctor: "In ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus permanens."

Quomodo dividitur forma Sacramentorum?

V. R. 1°. Alia est transiens, alia permanens: hæc tantùm pro Sacramento Eucharistiæ.

2°. Alia est totalis, alia partialis.

3°. Alia est absolata, alia conditionata.

N. 10. DE MUTATIONE MATERIÆ ET FORMÆ.

S. Thom. quæst. 60. *art.* 8. *et art.* 7. *ad* 3.

I. *Duplex mutatio Materiæ et Formæ.* II. *Mutatio Materiæ substantialis.* III. *Et accidentalis.* IV. *Mutatio Formæ substantialis.* V. *Et accidentalis.*

I. QUOTUPLICITER distinguitur mutatio materiæ et formæ Sacramentorum?

R. Dupliciter; scilicet substantialis, seu essentialis, et accidentalis.

Quid facit illa mutatio circa Sacramentum?

R. Omnis mutatio substantialis, sive materiæ, sive formæ, invalidum reddit Sacramentum: secus autem si sit tantùm accidentalis.

Quandonam mutatio materiæ censetur substantialis?

II. R. Quando non remanet res pro materia Sacramenti à Christo Domino instituta: id autem colligitur, si juxta usum communem et æstimationem hominum non conveniat in *eadem ratione et nomine* cum illa materia, quam ex

Christi instituto adhibet Ecclesia; v. g. si quis in Baptismo loco aquæ uteretur vino, aut succo ex herbis expresso.

Quandonam mutatio materiæ erit tantùm accidentalis?

III. R. Quando remanet eadem, quam Christus instituit, sed mutata circa aliquod accidens contra præscriptum Ecclesiæ, vel reverentiam Sacramenti: v. g. si quis extra necessitatem baptizaret in aqua non benedicta.

Quandonam mutatio formæ erit substantialis?

IV. R. Si verba non habeant debitum et per se intentum sensum, quem habet forma à Christo instituta: v. g. si quis in hac forma Eucharistiæ: "Hoc est enim Corpus meum," loco *hoc* diceret *hic*.

V. Erit autem accidentalis tantùm, si maneat debitus sensus, sed fiat quædam mutatio accidentalis: v. g. si in forma statim dicta omitteret particulam *enim*.

Nec refert, quòd hoc casu tolleretur sensus causalis: quia equidem maneret sensus formæ per se intentus, quo scilicet proprius effectus ipsius formæ aut Sacramenti significatur, qui est ipsa transubstantiatio.

Nota itaque cum S. Thoma: verba formæ operari in Sacramentis et determinata esse, non materialiter quoad sonum, sed quoad significationem et sensum: unde licèt non maneant eadem verba, modò maneat idem sensus, perficitur Sacramentum.

N. 11. DE VARIIS MODIS MUTATIONIS FORMÆ.

I. *Mutatur Forma.* II. 1°. *Mutatione idiomatis.* III. 2°. *Per synonyma.* IV. 3°. *Per transpositionem.* V. 4°. *Per interruptionem.* VI. 5°. *Per additionem.* VII. 6°. *Per subtractionem.* VIII. 7°. *Per corruptionem.* IX. *Balbutiens conficit Sacramentum.*

QUIBUS modis mutari potest forma?

I. R. Multi tales assignantur; quandonam verò per illos inducatur mutatio substantialis vel accidentalis, colligendum est ex num. 10.

II. 1°. Mutari potest forma mutatione idiomatis, v. g. ex Latino in Flandricum; et eatenùs præcisè mutatio est tantùm accidentalis. Peccatur tamen, nisi adsit justa causa;

qualis foret, si Laïcus latinæ linguæ ignarus baptizaret in necessitate in lingua vulgari; imò sic fieri tutius foret.

Sic etiam cum Cajetano plures notant, mutationem tantùm esse accidentalem præcisè ex eo, quòd forma partialiter proferatur diversis idiomatibus.

III. 2°. Mutatur forma, si intra idem idioma sumantur verba synonyma pro illis, quibus Ecclesia utitur; eritque mutatio tantùm accidentalis, si ex communi sensu idem significent, non tantùm quoad rem, sed etiam explicitè et distinctè, sive si idem significent eodem modo. Hinc valeret Baptismus, si loco *Baptizo*, diceretur *abluo* vel *tingo*; non tamen, si diceretur *mundo* vel *purgo*: quia debet significari in Baptismo peccatorum mundatio per modum ablutionis. Nec etiam valeret, si quis diceret: " Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis:" quia vox *Trinitas* non significat idem eodem modo; non enim significat *èxpressè* Patrem, Filium et Spiritum Sanctum.

IV. 3°. Mutatur forma per transpositionem verborum, de qua idem sit judicium ac supra. Hinc valori Baptismi non obesset, si quis diceret: " In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti *ego te Baptizo*; hæc tamen foret substantialis: *Patris* ego te baptizo, et in nomine Filii, et Spiritûs Sancti;" sicut et hæc forma Eucharistiæ, juxta Wiggers: " Hoc corpus est meum," ita ut *corpus* se teneat ex parte subjecti.

V. 4°. Per interruptionem in prolatione verborum formæ; an autem inducatur mutatio substantialis vel accidentalis, pendet ex eo, an mora interruptionis juxta sensum communem separet, an verò moraliter relinquat unam orationem et unum sensum; et hinc foret tantùm mutatio accidentalis, si quis inter verba formæ semel sternuerit vel tussiret: sic etiam, postquam Minister dixit: " Ego te Baptizo," si diceret fabulantibus *tacete*, et mox subjungeret, *in nomine Patris*, &c. subsisteret Sacramentum.

Rectè notat Gonet, quòd discontinuatio inter duas syllabas ejusdem dictionis faciliùs tollat sensum verborum, quàm si fiat inter duas dictiones; et hinc obiter notandum cum Steyaert, quosdam ita pronuntiare verba sacra Consecrationis, ut neque cum præcedentibus, neque inter se satis cohæreant tanquam una quædam oratio: quod ut minimùm indecens et vitiosum est.

VI. 5°. *Mutatur forma* per additionem, de qua est eadem *ratio ac supra*: *et hinc* si quis cum Arianis baptiza-

ret: "In Nomine Patris majoris, et Filii minoris," &c. non conficeret Sacramentum.

VII. 9°. Per subtractionem verbi vel syllabæ; quæ mutatio erit substantialis vel accidentalis, secundùm quod ipsum verbum omissum est de essentia formæ, vel non.

VIII. 7°. Mutatio formæ fieri potest per corruptionem verborum: de qua sic loquitur S. Thomas art. 7. ad 3. "Si tanta sit corruptio, quæ omninò auferat sensum locu-"tionis, non videtur perfici Sacramentum; et hoc præ-"cipuè contingit quando fit corruptio ex parte principii "dictionis: putà si loco ejus quod est *in Nomine Patris*, "dicat *in nomine Matris*.

"Si verò non totaliter auferatur sensus locutionis... ni-"hilominus perficitur Sacramentum: et hoc præcipuè con-"tingit, quandò fit corruptio ex parte finis: putà si aliquis "dicat: 'In nomine Patrias, et Filias,' &c." Prout de simili forma ex imperitia linguæ prolata rescripsit Zacharias Papa Bonifacio Episcopo.

IX. Sic etiam omnes judicant, balbutientem conficere Sacramentum, licèt repetat primam syllabam: v. g. *E ego te te bap baptizo, &c.* item *ho hoc est co corpus me meum;* item si loco *corpus* dicatur *copus*, loco *calix*, *calis*, &c. Unde hæc advertant scrupulosi, inquit Billuart, qui sæpe irreverenter et ridiculè formæ verba repetunt.

Horum omnium rationem dat S. Thomas loco citato: "Quamvis enim hujusmodi verba corruptè prolata nihil "significant ex virtute impositionis, accipiuntur tamen ut "significantia ex accommodatione usûs; et ideo licèt mu-"tetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus."

Considerandum hic est, ait Sylvius, an verba corrupta non habeant alium sensum legitimum, id est, correspondentem verbis secundum communem intelligendi modum; quòd si talem non habeant, communiter retinent eundem sensum, quem incorrupta, et sic perficitur Sacramentum. Quando autem per corruptionem novus sensus inducitur, vel est mutatio substantialis, vel certè forma redditur dubia.

N. 12. DE INTENTIONE MINISTRI CIRCA MUTATIONEM FORMÆ.

I. *Quid faciat intentio Ministri.* II. *In forma æquivoca* III. *In forma essentialiter invalida.* IV. *In forma mutata accidentaliter.* V. *Requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia.* VI. *De Baptismo collato* In nomine Patria, &c.

I. An intentio Ministri efficere potest, ut mutatio formæ sit substantialis vel accidentalis?

II. R. 1°. Si ratione mutationis forma sit ambigua vel æquivoca, ita ut juxta communem loquendi modum recipiat duplicem sensum, scilicet legitimum sensum formæ et falsum; tunc ab intentione Ministri dependet, an mutatio sit substantialis vel accidentalis; vel enim intendit sensum verum et legitimum, et erit tantum accidentalis; aliàs substantialis.

Igitur si petatur, quid dicendum sit de hac forma: "Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs "Sancti, et Beatæ Mariæ Virginis?"

R. Distinguendo cum S. Thom. art. 8. in *Corp.* mutatio substantialis erit; "Si sic intelligatur in Nomine Beatæ "Virginis baptizari, sicut in Nomine Trinitatis..... talis "enim sensus..... tolleret veritatem Sacramenti. Si vero "sic intelligatur, quod additur (et in nomine B. Virginis) "non quasi Nomen B. Virginis aliquid operetur in Bap- "tismo, sed ut ejus intercessio prosit baptizato ad conser- "vandam Gratiam baptismalem, non tollitur perfectio Sa- "cramenti."

Hanc distinctionem rejicit Tournelly dicens, talem baptismum omnino esse invalidum.

III. 2°. Si forma sit essentialiter invalida, non potest Minister per intentionem suam supplere defectum; forma enim consistit in determinato verborum sensu: verba autem significant ex impositione et usu communi, non autem cujuscumque particularis.

IV. 3°. Si forma mutata eundem omnino sensum cum forma essentiali retineat, tunc qualiscumque sit privata Ministri *intentio circa verborum* significationem, mutatio

tantùm erit accidentalis, et perficitur Sacramentum quantùm est ex parte formæ.

Dicitur: "quantùm est ex parte formæ;" quia in Ministro requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia, et Christus instituit: et hinc qui sciens inducit mutationem accidentalem, quam erroneè putat esse essentialem, regulariter non perficit Sacramentum; non quidem defectu materiæ vel formæ, sed defectu intentionis faciendi, quod facit Ecclesia.

An ille, qui putat, aliquam formæ partem non esse de essentia, quæ tamen est de essentia, et illam interim advertenter profert, conficit Sacramentum?

R. Probabiliùs affirmativè: quia cum illo errore speculativo stat adhuc vera intentio faciendi, quod facit Ecclesia.

V. Quo sensu dicit S. Thomas art. 8 in *Corp.* quòd ille, qui corruptè profert verba, intendens per hujusmodi additionem vel diminutionem alium Ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non perficiat Sacramentum?

R. Rationem subjungit S. Thomas: quia non videtur facere id, quod facit Ecclesia: per hoc insinuans, illum validè collaturum, si habeat hanc intentionem, et mutatio non sit substantialis; unde, licèt meritò de tali tam malitiosè agente suspicio sit de defectu intentionis, non est tamen signum certum, sed tantùm probabile; potuit enim sic agens habere intentionem generalem faciendi, quod vera Christi Ecclesia facit.

VI. Ex jam dictis intellige, quomodo Zacharias Papa supra relatus dicat, Baptismum collatum sub hac forma; "Ego te baptizo in nomine Patria, et Filia, et Spiritua Sancta," esse validum, si id factum sit per ignorantiam linguæ latinæ, non ex motivo introducendi errorem aut hæresim: in hoc enim casu (ut mox vidimus ex S. Thom.) talis non videretur facere, quod facit Ecclesia; tum et præcipuè, quòd illa corruptio sensum redderet ambiguum; unde haberet sensum illegitimum juxta intentionem, introducendi hæresim vel errorem: v. g. si quis in forma præfata vellet significare in Deo Personam sexûs feminei, filiam, non filium.

N. 13. DE USU MATERIÆ VEL FORMÆ DUBIÆ.

I. *Non licet uti materiâ vel formâ dubiâ.* II. *Ut patet ex propositione damnata.* III. *Nisi in casu necessitatis.* IV. *Proportionata periculo irreverentiæ.* V. *In Baptismo et Pœnitentiâ tantùm.*

LICETNE in Sacramentorum administratione uti materiâ vel formâ dubiâ?

I. R. Id nunquam licet extra necessitatem: idque non tantùm ex regula generali contra Probabilistas, sed etiam specialiter ex hac ratione, quòd qualiscumque sit intentio, opinio, inadvertentia, vel ignorantia non possit supplere, si quid desit ad substantiam Sacramenti spectans: quia valor et efficacia Sacramenti pendent à sola institutione Christi.

Idem dicendum est de materia vel forma probabiliori minùs tuta ob eandem rationem.

II. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc Propositionem, quæ est prima inter 65. "Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis." III. Videri potest Steyaert in hanc propositionem. In casu tamen necessitatis licet uti materiâ vel formâ dubiâ, dum certa haberi non potest. Sic v. g. infans in mortis periculo baptizari potest, imò et debet in materia dubia, si certa præstò non sit: absolvendus est moribundus dubiè tantùm dispositus, &c. Dictat enim lex charitatis, ut proximo in tali necessitate constituto quantùm fieri potest succurramus, in extremis extrema tentando: quia sicut medicus crudelitatis notam incurreret, qui extremè laboranti probabiliter profuturam subtraheret medicinam; sic etiam in casu probabiliter profuturum subtrahens Sacramentum.

Nec fit irreverentia Christo vel Sacramento; quia, cùm Christus illud instituerit pro hominum salute, vult, ut magis provideamus salutis proximi securitati, quàm Sacramenti, ubi utriusque periculum vitari nequit.

IV. Necessitas tamen illa debet esse proportionata peri-

culo irreverentiæ Sacramenti: adeoque tantò debet esse gravior, quantò majus est periculum irreverentiæ: et hinc notandum malè intellectum à Laxistis axioma: " Sacramenta sunt propter homines, non homines propter Sacramenta."

V. Rectè etiam notat Pater Antoine, supradictam necessitatem solùm habere locum in Sacramentis Baptismi et Pœnitentiæ; unde nunquam licet adhibere materiam vel formam dubiam in Eucharistia, Ordine, &c.

Nota, facilius posse contingere casum utendi materiâ dubiâ, quàm formâ dubiâ; extraordinarius tamen posset esse casus licitè utendi formâ dubiâ; ut si puer sit in periculo mortis, et nemo adstantium sciret formam certam Baptismi.

Ex dictis varia deduci possunt, quæ suo loco in decursu proponuntur.

N. 14. DE PECCATO MUTANTIS MATERIAM, VEL FORMAM.

I. *Mutatio substantialis est peccatum mortale.* II. *Contra Religionem.* III. *Contra charitatem proximi.* IV. *Et quandoque contra justitiam.* V. *Mutatio accidentalis.* VI. *Est mortale ex genere.* VII. *Non licet formam repetere.* VIII. *Si absit dubium rationabile.*

QUALE peccatum est mutare materiam vel formam Sacramenti?

I. R. si sit mutatio substantialis, tunc est mortale ratione sui, seu non admittens parvitatem materiæ; potest tamen esse veniale ex imperfecta deliberatione actus, ex inadvertentia, &c. Item extra necessitatem uti materiâ vel formâ dubiâ.

Et idem est de cæteris, unde contingit, valorem Sacramenti aut deficere, aut periclitari, v. g. in dubio de jurisdictione Confessarii.

Cujus speciei est illud peccatum?

II. R. Imprimis est peccatum sacrilegii contra Religionem: quia gravem continet irreverentiam in ipsum Sacramentum, et in ipsum Christum Sacramentorum Authorem.

III. 2°. Est etiam contra charitatem proximi; et hoc tantò gravius, quantò pluris interest de valore Sacramenti, v. g. Baptismi et Ordinis.

IV. 3°. Est specialiter contra justitiam, si Ministro incumbat cura animarum ex officio.

Quale peccatum est materiam vel formam mutare accidentaliter?

V. R. 1°. Si id fiat ex justa causa, nullum est peccatum.

2°. Si id fiat ex contemptu, cum gravi scandalo, vel ex animo inducendi Ritum ab Ecclesia alienum, &c. indubiè est mortale peccatum, etiamsi mutatio esset levis.

VI. 3°. Hujusmodi sepositio, est peccatum ex genere suo mortale in specie sacrilegii; quia est contra præceptum Ecclesiæ et usum ejus habentem vim Legis, idque in materia Religionis.

Quandonam autem tunc sit mortale vel veniale, morali et prudenti judicio discutiendum est, respiciendo ad quantitatem mutationis.

Notant Authores, quòd, licèt ignorantia possit à mortali eximere quosdam Laïcos in necessitate baptizantes cum forma essentialiter vel accidentaliter mutata; non tamen excuset obstetrices, quæ ritum baptizandi callere debent, antequam ad officium obstetricis admittantur, ut præscribit Rituale Romanum et Synodus Provincialis secunda Mechliniensis, tit. 3. cap. 7. Pariter ignorantia non excusabit Ministrum ex officio, cùm scire debeat, quæ sunt sui officii.

An licet super eandem materiam repetere formam?

VII. R. Si constat de invaliditate Sacramenti, debet absolutè repeti Sacramentum, adhibitâ formâ validâ.

2°. Si sit dubium rationabile, an forma sit legitimè prolata, tunc licet eam repetere, sed sub conditione et servatâ simultate debitâ inter materiam et formam.

VIII. 3°. Si absit dubium rationabile, tunc est illicitum: quia, ubi est unica materia, non potest confici nisi unicum Sacramentum; proinde secunda forma erit prorsus inanis, omnique effectu vacua: unde talis iteratio formæ videretur quasi ipsius Sacramenti irrisio; nec hoc, ait Necsen, à gravi excusatur ex eo, quòd forma repetatur sub conditione.

Notant tamen Authores passim, quòd, quamvis leves crupuli sint contemnendi, nec ullo modo propterea forma

sit repetenda; ex scrupulosa tamen anxietate sic agentes aliunde communiter excusentur, saltem à gravi, modò hoc in consuetudinem non ducant: non est enim credibile, quòd Deum graviter offendant per actionem, quam ideo ponunt, ne ipsum offendant.

Jam dictis non obstat, quòd forma absolutionis sæpius super eadem peccata sinè ulla irreverentia possit proferri: quia tunc nova datur materia, scilicet nova contritio et renovata confessio.

N. 15. DE SACRAMENTORUM NECESSITATE.

S. Thom. quæst. 61. *art.* 1.

I. *Necessitas institutionis Sacramentorum.* II. *Non est absoluta.* III. *Sed congruentiæ.*

I. Duplex distingui potest necessitas Sacramentorum, scilicet necessitas usûs, de qua infra; et necessitas institutionis, de qua hic agitur.

Nota, quòd S. Thomas hic agat de statu hominis post lapsum, abstrahendo tamen, an ante, an post Christum.

Quomodo institutio Sacramentorum est necessaria ad humanam salutem?

II. R. Non necessitate absolutâ: certum enim est, Deum potuisse absolutè aliis mediis hominem salvare; cùm ejus potestas ad Sacramenta non sit restricta: III. sed necessitate congruentiæ, ut scilicet homo juxta modum sibi congruentem cœlestem Gratiam et Gloriam obtineat.

Quænam sunt illæ rationes congruentiæ?

R. S. Thom. hìc in *Corp.* tres allegat, quæ ferè eædem sunt cum tribus prioribus assignatis num. 3. Quare Sacramentum sit institutum in re sensibili: tres insuper affert Catechismus Rom. *parte* 2. *de Sacramentis*, num. 13.

N. 16. AN IN OMNI STATU FUERINT SACRAMENTA.

S. Thom. quæst. art. 2, 3 et 4.

I. *Quadruplex hominum status.* II. *In statu innocentiæ non fuerunt Sacramenta.* III. *Nec fuissent si perdurasset.* IV. *In statu Legis naturæ fuit Sacramentum.* V. *Fuerunt plura in Veteri Lege.* VI. *Et septem in nova Lege.*

I. QUADRUPLEX generis humani status distinguitur: Primus status Innocentiæ, qui fuit à creatione Adami usque ad ejus lapsum.

Secundus est status Naturæ, qui fuit à lapsu Adæ usque ad Legem Moysaïcam pro descendentibus ex Abraham per Isaac et Jacob, sicut et pro Proselytis : pro aliis verò, seu Gentibus, usque ad Legem Evangelii.

Tertius est status Legis veteris in Populo Israëlitico et Proselytis à Lege Moysaïca usque ad Legem novam perdurans.

Quartus est status Evangelii, seu Legis novæ à Christo usque ad mundi finem.

An in omni statu fuerunt Sacramenta?

II. R. In primo statu nulla fuisse, communis est sententia: tùm quia de illis nihil habetur in Scriptura vel Traditione, tum quia brevissimo tempore duravit.

An si status innocentiæ perdurasset, futura fuissent Sacramenta?

R. Certò non fuissent talia, qualia fuerunt, post peccatum: quia hæc præsupponunt peccatum, et significant Medicum Christum, ejusque Gratiam tanquam medicinam.

An saltem non fuissent quædam alia Sacramenta?

III. R. Id omnino incertum est; attamen communior est sententia negativa S. Thomæ: tum quia in illo statu non fuisset indigentia remedii medicinalis; jam autem, ut dicit S. Thom. supp. q. 42. art. 2. in " Corp. De ratione Sacramenti est, quòd sit signum et remedium:" tum quia in illo statu (in quo superiora dominabantur inferioribus, &c.) minùs dignum videbatur illis subjici.

Obj. In illo statu fuissent Sacrificia: ergo et Sacramenta.

R. Disp. est, quòd ratio et debitum cultûs interni et externi conveniat homini per se ratione subjectionis, quam habet ad Deum: et sic ratio Sacrificii pertinet ad jus naturale, juxta S. Thomam, 2. 2. q. 85. art. 1. in *Corp*; ratio verò Sacramenti est per accidens homini propria post lapsum, et non ante.

IV. Quantùm ad secundum statum, scilicet Legis Naturæ, fuisse saltem unum pro parvulis, scilicet remedium aliquod ad tollendum originale peccatum, communis est sententia: de quo dicit S. Augustinus, lib. 5. contra Julianum, cap. 9.: " Non est credendum, ante datam Circum-" cisionem famulos Dei (quandoquidem illis inerat Me-" diatoris fides) nullo Sacramento ejus opitulatos fuisse " parvulis suis: quamvis, quid illud esset, aliquâ necessariâ " causâ Scriptura Sacra latere voluerit."

Illud autem Sacramentum, seu remedium, verosimiliùs consistebat in aliqua cæremonia indeterminata actûs externi protestativi fidei in venturum Messiam.

V. Postmodùm pro posteritate Abrahæ congreganda in populum peculiarem, undè Messias nasceretur, verisimilius remedium pro peccato originali est in particulari determinatum ad Circumcisionem pro masculis octo dierum: pro puellis autem, et etiam masculis ante octavam diem periclitantibus, et aliis quibusdam occasionibus remedium commune relinquebatur, sicut et pro Gentibus.

Quantum ad tertium statum, seu Legis veteris, illi tanquam Pædagogo ad Christum conveniebant plura et magis determinata Sacramenta, congrua præfigurare Christum et Legem Gratiæ.

Præter Circumcisionem enumerat S. Thomas, 1. 2. quæst. 102. art. 5. in *Corp.* triplicis generis Sacramenta. Primi generis erat consecratio Sacerdotum, &c. secundi generis erat esus Agni Paschalis, &c. et tertii generis erant quædam lustrationes, quibus Israëlitæ ab immunditiis legalibus purgabantur: horum omnium causas litterales et figurales latè ibidem producit S. Thom.

VI. Quantùm denique ad quartum statum, seu Legis novæ, in illo instituta sunt septem Sacramenta, virtute majora, actu faciliora, numero pauciora, &c. quæ, sicut status ille, ad sæculi consummationem sunt durata.

N. 17. DE MODO CAUSALITATIS GRATIÆ PER SACRAMENTA.

S. Thom. quæst. 62.

I. *Sacramenta novæ Legis causant gratiam.* II. *Ex opere operantis.* III. *Et ex opere operato.* IV. *Quid causalitas physica?* V. *Quid moralis?*

I. An Sacramenta novæ Legis causant Gratiam?

Responsio Fidei contra Sectarios est, ea verè et propriè causare Gratiam non ponentibus obicem, non tanquam causas principales, (hoc enim solius Dei est), sed tanquam instrumentales.

Quemodo causant Gratiam?

R. Prænotandum primò, quòd aliud sit causare Gratiam 'ex opere operantis,' aliud 'ex opere operato,' et aliud tanquam 'conditio sine qua non.'

2°. Aliud est conferre gratiam ex opere operato *physicè*, aliud tantùm *moraliter*.

Quid est causare Gratiam 'ex opere operantis?

II. R. Est causare Gratiam ex merito operantis, vel Ministri, vel suscipientis, seu intuitu operis, quatenùs egreditur ab operante, v. g. ex singulari devotione Ministri, &c.

Quid est causare Gratiam 'ex opere operato?'

III. R. Est causare Gratiam, non ex meritis Ministri, vel suscipientis, sed ex vi, seu ratione operis, seu actionis Sacramentalis, quæ ex divina institutione exercetur, efficiendo in suscipiente (secluso tamen obice) id quod significat.

Rem, quamvis non ipsum nomen, clarè explicat S. Aug. lib. 4. contra Cresconium, c. 16. dicens: "Non eorum "meritis, à quibus ministratur, nec eorum, quibus minis-"tratur, constare Baptismum, sed propriâ sanctitate atque "veritate propter eum à quo institutus est."

Quid est causare, seu potiùs valere ad Gratiam tanquam "conditio sinè qua non?"

R. Non est nisi remotio obicis Gratiæ, seu conditio, sinè qua effectus sacramentalis non poneretur, nullo modo tamen influendo in ipsum effectum: talis "conditio sinè

quâ non" est, v. g. dispositio debita in subjecto suscipiente Sacramentum.

Salvâ autem fide, inter Catholicos disputatur, an Sacramenta novæ Legis conferant suos effectus *physicè*, an tantùm *moraliter*.

IV. Quidam tenent causalitatem physicam, et sese explicant, quòd Sacramenta, tanquam Divinæ Omnipotentiæ instrumenta, verè et realiter concurrant ad productionem effectuum in anima, per virtutem supernaturalem à principali agente sibi communicatam, et per modum actionis transeuntis sibi unitam.

V. Qui verò adstruunt causalitatem moralem tantùm, dicunt quidem Sacramenta non esse nuda quædam signa, nec merè talia, quibus positis, Deus Gratiam infundat, sed esse velut chirographa et authentica monumenta pacti, quo Deus se quodammodo obstrinxit, ut ad præsentiam signorum Sacramentalium Gratiam conferret debitè suscipientibus. His præmissis, quæritur:

N. 18. AN SACRAMENTA NOVÆ LEGIS CONFERANT GRATIAM 'EX OPERE OPERATO.'

I. *Conferunt gratiam ex opere operato.* II. *Eamque continent instrumentaliter.* III. *Probatur ex Scriptura.* IV. *Et à ratione.*

I. DOGMA Catholicum est, Sacramenta novæ Legis Gratiam continere, eamque conferre ex opere operato, definitum in Concilio Trident. sess. 7. can. 8. "de Sacramentis in genere:" "Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis "Sacramenta ex opere operato non conferri Gratiam, ana-"thema sit."

Quo sensu dicit ibidem Concilium, canone 6. Sacramenta novæ Legis Gratiam continere?

II. R. Non quasi Gratia sit in Sacramentis, ut accidens in subjecto, res in loco, vel liquor in vase, (ut turpiter calumniatur Calvinus); sed quòd Gratiam contineant causaliter et instrumentaliter, vel, ut dicit Steyaert, quatenùs non sunt tantùm signa Gratiæ, ut illa veteris Legis, sed et causæ instrumentales, de quibus eam depromere liceat.

Proba contra Hæreticos hoc Dogma Catholicum.

III. R. Probatur imprimis ex Scriptura Sacra, quæ cum tanter sanctificationem nostram attribuit ipsi actioni sa-

transeuntali, tanquam illius effectum: sic Joan. cap. 3. v. 5. dicitur: " Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei:" ubi regenerandi vis non minùs tribuitur aquæ, quàm Spiritui Sancto; aquæ scilicet ut instrumento, et Spiritui Sancto tanquam causæ principali.

Similiter ad Ephes. cap. 5. v. 26. dicit Apostolus: " Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ:", ergo Baptismus aquæ verè mundat. Vide plures textus apud Auctores.

Probatur 2°. Si Sacramenta non conferrent Gratiam ex opere operato, sed tantùm excitarent fidem in promissiones Divinas (ut volunt Sectarii), sequeretur IV. I°. quòd Baptismus collatus infanti, nullius foret efficaciæ: 2°. quod Sacramentum collatum linguâ Latinâ vel Græcâ ei, qui idioma illud non intelligit, nihil efficeret.

3°. Quòd Sacramentum aliquando Gratiam adferret adstantibus, in quibus fidem excitaret et non ipsi suscipienti, in quo fortè fides non excitaretur.

Objicit Calvinus: 1. Petri cap. 3. v. 21. dicitur: "octo " animæ salvæ factæ sunt per aquam; quod et vos nunc " similis formæ salvos facit Baptisma; non carnis depositio " sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum:" ergo Baptismus non confert Gratiam, sed fides, quæ dicitur conscientiæ bonæ interrogatio.

R. Nego conseq. Sensus enim istius loci est, quòd Baptismus nos non salvet præcisè per lotionem externam, quâ abluuntur sordes corporis, prout faciebat Baptismus seu purificatio Judæorum; sed mundando interiùs animam à peccatis per debitam dispositionem interioris conscientiæ. Vide latiorem explicationem apud Authores

Obj. II. Si Sacramenta conferant Gratiam ex opere operato, non requiritur dispositio in suscipiente, nec illa contribuit ad majorem vel minorem Gratiæ collationem; atqui hæc sunt falsa: ergo, &c.

R. Nego majorem: certum enim est, ad fructuosam Sacramenti susceptionem requiri dispositionem in adultis, et quo hæc major est vel minor, eò majorem vel minorem conferri Gratiam, ut dicit Conc. Trid. sess. 6. cap. 7.

Sed illa dispositio non est nisi " conditio sine qua non:" quia Sacramenta agunt ad modum agentium naturalium, quæ plus vel minus efficiunt secundùm majorem vel mino-

rem capacitatem seu dispositionem subjecti, quæ tamen dispositio nihil efficientiæ habet: ut patet in igne, qui efficaciùs lignum siccum comburit quàm viride, licèt siccitas sit merè "removens prohibens, seu conditio sine qua non," et non causa efficiens combustionis.

Simile quid invenitur in iis, quos Christus miraculosè sanabat; à quibus licèt requireretur, ut crederent, sanitas tamen non efficiebatur à fide ipsorum, sed à virtute Christi.

N. 19. AN SACRAMENTA GRATIAM CAUSENT PHYSICE, AN MORALITER.

I. *Sacramenta causant physicè effectus.* II. *Dum suscipiuntur.* III *Probatur ex Sacra Scriptura,* IV. *Et Sanctis Patribus.*

QUOMODO Sacramenta conferunt suos effectus, an physicè, an moraliter tantùm?

I. R. Probabilior videtur sententia, quæ adstruit causalitatem physicam, loquendo nimirum de effectibus, qui conferuntur in ipsa susceptione Sacramenti.

II. Dicitur: "Qui conferuntur in ipsa susceptione Sacramenti:" quia effectus per Sacramentum reviviscens, cùm non existat ampliùs, tantùm moraliter conferuntur.

Idem videtur esse probabilius de Gratia actuali seu sacramentali, quæ postea datur.

III. Probatur sententia: quia talis causalitas conformior est locutionibus Sacræ Scripturæ Numero superiori allegatis; magisque demonstrat Sacramentorum dignitatem, et efficaciam Omnipotentiæ Divinæ ac meritorum Christi.

IV. Deinde conformior est locutionibus Conciliorum et SS. Patrum, qui, ut Sacramentorum novæ Legis causalitatem explicent, variis utuntur similitudinibus, quæ certò causalitatem plus quàm moralem designant: sic v. g. Baptismum comparant semini, ex quo generatur, aquæ ferventi, &c. Et S. Thomas, quæst. 62. art. I. in *Corp.* comparat efficientiam Sacramenti securi, quæ physicè et instrumentaliter secat.

Obj. I. Causa physica non agit, nisi cùm physicè existit; *atqui dum Sacramenta* producant Gratiam, non ampliùs

physicè existunt, cùm jam quædam verba transiverint: ergo etc.

R. Quòd licèt, ultimâ tantùm positâ syllabâ, effectus Sacramenti conferatur, illud autem non tantùm agit vi sua, sed et vi omnium præcedentium verborum formæ: quia entia successiva, (qualia sunt Sacramenta, exceptâ Eucharistiâ), tunc censentur existere, quando eorum partes aliquo instanti copulantur; quod fit, dum Sacramentum administratur.

Obj. II. Res corporales non possunt physicè agere in animam, quæ est spiritualis: ergo aqua in Baptismo, quæ est res corporalis, non potest agere in animam, illam mundando.

R. Imprimis falsum est antecedens; quia anima plurima sentit quæ à corporibus proveniunt, ut verbera, punctionem aciculæ, &c.

Deinde, cùm Sacramentum consideretur ut instrumentum divinum, sic nullatenus absonum est, quòd res corporalis agat in spiritualem; sic enim ignis infernalis agit in Angelos malos, et in animas à corpore separatas.

N. 20. DE EFFECTIBUS SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS.

S. Thom. quæst. 62.

I. *Effectus primarius Sacram.* II. *Est gratia habitualis.* III. *Comprehendens virtutes infusas, &c.* IV. *Et gratias actuales.* V. *Seu Sacramentales.*

QUOTUPLEX est Sacramentorum effectus?

I. R. Duplex distinguitur, scilicet effectus primarius, qui est Gratia: et secundarius, qui est character, tribus tantùm proprius, nempe Baptismo, Confirmationi et Ordini.

Quænam comprehenduntur nomine Gratiæ, prout est communis omnibus Sacramentis?

II. R. Gratia habitualis seu sanctificans, prima vel secunda, quæ habitualiter animæ inhærens hominem reddit Deo gratum.

III. Ad Gratiam autem sanctificantem, tanquam eam concomitans, reducitur Gratia virtutum et donorum Spiri-

tùs Sancti; quæ omnia simul cum Gratia sanctificante infunduntur; ita ut, si Gratia prima infundatur, simul infundantur virtutes et dona; si autem infundatur Gratia secunda, etiam proportionatè ad Gratiæ augmentum infundatur virtutum et donorum augmentum.

An nulla alia Gratia datur per Sacramenta?

IV. R. Affirmativè: quia ratio completa Gratiæ cujusque Sacramenti includit quoddam auxilium divinum ad consequendum finem Sacramenti, seu Gratias actuales suo tempore dandas.

V. Illæ autem Gratiæ actuales alio nomine Theologico dicuntur sacramentales.

N. 21. DE GRATIA SANCTIFICANTE PRIMA ET SECUNDA.

I. *Gratia sanctificans prima.* II. *Et secunda.* III. *Sacramenta mortuorum.* IV. *Causant primam per se.* V. *Et secundam per accidens.* VI. *Sacramenta vivorum secundam per se,* VII. *Et primam per accidens.* VIII. *Ut in exemplo.* IX. *Et specialiter in Extrema-Unctione.*

Quid intelligitur per Gratiam sanctificantem primam?

I. R. Illa, quæ aliam habitualem non supponit in subjecto, cui infunditur, seu quæ ex injusto facit justum.

Quænam dicitur Gratia sanctificans secunda?

II. R. Quæ supponit aliam præ existentem, et illam auget, seu quæ de justo facit justiorem.

Quænam Sacramenta causant Gratiam primam, quænam secundam?

III. R. Sacramenta mortuorum scilicet Baptismus et Pœnitentia, per se, seu ex primaria sua institutione causant Gratiam primam; Sacramenta verò vivorum, quæ sunt reliqua quinque, per se causant Gratiam secundam.

Quare Baptismus et Pœnitentia vocantur Sacramenta mortuorum?

IV. Quia per se et directè sunt instituta pro illis, qui privati Gratiâ per peccatum, spiritualiter mortui sunt, sive quia per se primò instituta sunt ad conferendam Gratiam primam: adeoque suscipi possunt ab iis, qui sunt in statu *seu reatu* peccati mortalis.

Quare illa Sacramenta dicuntur conferre Gratiam primam per se?

V. Quia per accidens conferre possunt Gratiam secundam; possunt enim etiam suscipi à justo: ut dum perfectè contritus suscipit Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ, item dum quis in Sacramento Pœnitentiæ non habet confitenda nisi venialia, vel peccatum jam ante remissum.

Quare cætera quinque dicuntur Sacramenta vivorum?

VI. R. Quia per se primò instituta sunt pro iis, qui jam spiritualiter vivunt per Gratiam, sive quæ per se ordinata sunt ad conferendam Gratiam secundam: hinc per se suscipi debent in statu Gratiæ.

VII. Dicuntur etiam illa conferre Gratiam secundam per se; quia per accidens possunt conferre Gratiam primam: quia omnia Sacramenta significant et conferunt Gratiam non ponentibus obicem; atqui dum quis v. g. in peccato mortali existens, cujus inculpabiliter conscientiam non habet, accedit ad Sacramentum Eucharistiæ, non videtur ponere obicem? ergo talis tunc recipit Gratiam, non secundam, cùm sit in statu peccati mortalis: ergo primam.

Da aliquos casus in quibus Sacramentum vivorum confert per accidens Gratiam primam?

VIII. R. Casus esse potest jam mox dictus, dum quis bonâ fide suscipit Eucharistiam, invincibiliter aut saltem citra gravem culpam ignorans, se esse in statu peccati mortalis; modò tunc simul adsit imperfectæ contritionis motus, qui cum Sacramento Pœnitentiæ justificaret.

Ita docet S. Thom. quæst. 79. art. 3. in *Corp.* et similiter de Sacramento Confirmationis, q. 72. art. 7. ad 2. et Extremæ-Unctionis, suppl. q. 30. art. 1. in *Corp.*

Eadem est ratio de aliis Sacramentis vivorum, Ordinis scilicet et Matrimonii.

IX. Hæc interim specialiter vera sunt de Sacramento Extremæ-Unctionis: quia hoc tanquam completivum Sacramenti Pœnitentiæ directiùs quàm alia Sacramenta vivorum remittere potest peccata, prout patet ex verbis Epistolæ Jacobi, cap. 5. v. 15: "Si in peccatis sit, remittentur ei."

Et hinc etiam specialis oritur obligatio administrandi hoc Sacramentum moribundis subitò rationis usu destitutis.

N. 22. DE GRATIA UNICUIQUE SACRAMENTO PROPRIA.

I. *Cuique Sacramento est Gratia propria.* II. *Actualis.* III. *et habitualis.* IV. *Gratia propria Baptismo.* V. *Confirmationi.* VI. *Eucharistiæ.* VII. *Pœnitentiæ.* VIII. *Extremæ Unctioni.* IX. *Ordini.* X. *Et Matrimonio.*

An unumquodque Sacramentum confert Gratiam sibi propriam?

I. R. Affirmativè; sicut enim singulum Sacramentum institutum est ad finem specialem, ita et habet effectus speciales conferendi Gratias illi fini subservientes.

Quales Gratias speciales confert unumquodque Sacramentum?

II. R. admittunt omnes, quòd conferat specialem Gratiam actualem, seu sacramentalem.

III. Deinde juxta Steyaert, Wiggers, &c. similis quædam est diversitas quoad Gratiam sanctificantem, et quoad virtutes et dona Spiritûs Sancti, eorumque augmentum: ratio est, quòd Sacramenta ultra Gratiam, sive actualem, sive habitualem, quam significant, conferant et operentur effectus convenientes finibus, ad quos sunt instituta: sicut ergo significatio et finis cujusque Sacramenti est specialis, ita et gratia, tam habitualis quàm actualis.

Assigna breviter cujusque Sacramenti Gratias propriæ.

IV. II. In Baptismo est Gratia habitualis, quatenùs est regenerativa, et ut tribuit homini primum esse spirituale, delensque omnem culpam et pœnam.

Gratia actualis est auxilium, quod postea suo tempore datur ad conservandam animæ puritatem, vitam Christianè peragendam, et alia Sacramenta dignè suscipienda.

V. In Sacramento Confirmationis Gratia habitualis, seu ejus augmentum, est *roborativa* et *augmentativa* regenerationis.

Actualis sunt adjutoria ad constanter fidem tenendam et profitendam, tentationesque contrarias superandas.

VI. In Eucharistia Gratia sanctificans est *nutritiva* vitæ spiritualis, et *unitiva* hominis cum Deo per ferventiores *virtutum actus.*

Actualis sunt auxilia ad perseverandum in vita spirituali, t proficiendum in charitate aliisque virtutibus.

VII. Sacramenti Pœnitentiæ Gratia habitualis est *repa-ativa* per modum spiritualis sanationis et resuscita-ionis.

Actualis sunt auxilia ad satisfaciendum pro peccatis præ-eritis, ad futura vitanda, et quæcumque detestanda.

VIII. Extremæ-Unctionis Gratia habitualis est *pleniùs anativa* animæ.

Actualis sunt auxilia ad morbi incommoda leviùs perfe-enda, et ad faciliùs dæmonis tentationibus resisten-lum.

IX. Sacramenti Ordinis habitualis Gratia est in ordine d functiones Sacras ex officio et ritè peragendas.

Actualis sunt auxilia ad illud officium.

X. Denique Sacramenti Matrimonii Gratia habitualis st *unitiva animorum*, et *refrænativa* concupiscentiæ arnis.

Actualis sunt auxilia ad resistendum carnis libidini, fi-em conjugalem servandam, proles christianè educandas, tc.

Hæc latiùs deducta reperies, dum agetur de Sacramen-is in specie.

N. 23. DE INÆQUALITATE GRATIÆ SACRAMENTORUM.

. *Sacramenta specie distincta.* II *.Inæqualem confe-runt Gratiam.* III. *Baptismus ampliorem Gratiam confert.* IV. *Sacramenta numero solo distincta æqua-lem.* V. *Nisi dispositio sit inæqualis.* VI. *Disposi-tio actualis prævalet.*

I. PRÆNOTANDUM, quòd Sacramenta dupliciter possint ici distincta, scilicet solo numero, ut v. g. duo Baptismi; l speeie, ut v. g. Baptismus et Confirmatio.

An Sacramenta specie distincta æqualem conferunt Gra-am?

II. R. Conferunt de se, seu supposita æquali disposi-one, Gratiam inæqualem.

Rationem dat Billuart: quia juxta Concilium Trident.

sess. 7. can. 3. *de Sacram. in genere,* unum Sacramentu novæ Legis est altero dignius; atqui causa nobilior et di nior de se nobiliorem seu majorem producit effectum ergo, &c.

Obj. Ergo Sacramentum Eucharistiæ, quod est dignis mum, per se majorem præ cæteris confert Gratiam.

R. Hoc probabiliter dici potest: quia tamen hoc Sacr mentum institutum est veluti ad continuam nutritionem; e consequenter ut frequentiùs recipiatur, ideo non neces videtur, ut, quoties sumitur, toties majorem Gratiam con ferat, quàm Baptismus semel susceptus, vel Confirmatio e Ordo.

III. Et hinc docet Neesen, quòd Baptismus, quia pe modum regenerationis est institutus, ampliorem videatu per se conferre Gratiam, quàm alia Sacramenta: item Sa cramenta Confirmationis et Ordinis, per quæ peculiarite dicitur conferri Spiritus Sanctus, conferre videntur uberi ores Gratias, quàm Sacramenta iterabilia. Dicitur tame Eucharistia præ aliis conferre digniorem.

An Sacramenta solo numero distincta, ut sunt duo Bap tismi, æqualem conferunt Gratiam?

IV. R. Æqualiter dispositis æqualem conferunt ex oper operato: quia, ut supra dictum est, Sacramenta operantu adinstar causarum naturalium, quæ in subjectis æqualite dispositis æqualem causant effectum.

V. Inequaliter tamen dispositis Gratiam conferunt ina qualem, majorem vel minorem etiam ex opere operato: e ita de Baptismo expressè docet S. Th. quæst 69. art 8. i *Corp.* "Quidam cum majori, quidam cum minori devo "tione ad Baptismum accedunt: et ideo quidam plu "quidam minùs de Gratia novitatis accipiunt."

Obj. Dispositio illa se tenet ex parte operantis: ergo s detur plus Gratiæ ob majorem dispositionem, dabitur e opere operantis.

R. Neg. conseq. Vide solutionem objectionis secund num. 18.

Potest tamen dispositio etiam considerari, inquantùm es opus operantis, et sic esse meritoria augmenti Gratiæ in se ita ut duplex reperiatur Gratiæ augmentum; unum corres pondens dispositioni tanquam meritum, alterum Sacra mento tanquam effectus.

Ex dictis colligitur, Gratiam æqualem conferri parvuli

in Baptismo: item cum, qui recipit Sacramentum in statu Gratiæ, plerumque majorem recipere Gratiam, quàm ille qui per votum Sacramentum justificatur; quia ille meliùs est dispositus, et magis Deo gratus.

VI. Notandum inter dispositiones, cæteris paribus, prævalere actuales; quia per se immediatè subjectum disponunt ad Gratiam recipiendam; habituales verò tantùm mediatè.

Ex dictis facilè concludes, etiam ad instructionem aliorum, quantùm allaborandum sit, meliori se modo disponere, quantùmque salutis nostræ interest Sacramenta dignè frequentare, et è contra quantùm detrimenti patiantur, qui se effectibus Sacramentalibus privant, sive negligendo Sacramenta, sive indignè suscipiendo, vel post eorum susceptionem Gratiis sacramentalibus obicem ponendo.

N. 21. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI IN VOTO TANTUM.

I. *Sacramenta in voto.* II. *Non conferunt characterem.* III. *Nec gratiam ex opere operato.* IV. *Sed ex opere operantis.*

I. PRÆNOTANDUM, quòd votum Sacramenti hic non sumatur pro voto strictè dicto; sed impropriè, seu pro desiderio sumendi realiter hoc vel illud Sacramentum.

An Sacramenta, non realiter, sed solo voto suscepta, conferunt effectus Sacramentales?

II. R. Imprimis certum est, Sacramenta imprimentia characterem, solo voto suscepta, characterem non operari; aliàs enim Cathechumenus per contritionem perfectam cum voto Baptismi justificatus, postmodùm non deberet, nec posset baptizari; cùm ratione characteris impressi Sacramentum sit initerabile.

III. Deinde Sacramenta tantùm in voto suscepta non conferunt quoque Gratiam illam sanctificantem, virtutes et dona, tanquam effectus ex opere operato. Hoc insinuat S. Thom. quæst. 69. art 4. ad. 2. dicens: " Ita etiam ante " Baptismum Cornelius, et alii similes, consequuntur Gra- " tiam et virtutes per fidem Christi et desiderium Bap- " tismi implicitè vel explicitè: postmodum tamen in Baptis- " mo majorem copiam Gratiæ et virtutum consequuntur."

Qualem ergo Gratiam causant et quomodo ?

IV. R. Steyaertius : vix dubium, quin cæteris paribus causent minorem, atque etiam non tam ex opere operato, quàm operantis; majorem tamen, quàm si solus actus sine relatione ad Sacramentum consideraretur. Idem pariformiter dic de Gratiis sacramentalibus, quas causare possunt similis rationis, ac Sacramenta realiter suscepta.

Unde licèt v. g. Baptismus realiter susceptus deleat etiam omnem reatum pœnæ, non tamen id ordinariè efficit susceptus tantùm in voto.

Obj. S. Thom. quæst. 80. art. 1. ad 3. sic ait : " Dicendum, quòd effectus Sacramenti ab aliquo percipi potest " si Sacramentum habeat in voto, quamvis non accipiat in " re."

Similiter Concilium Trid. Sess. 13. cap. 8. *de Eucharistia*, dicit : " Alii tantùm spiritualiter accipiunt, qui voto " propositum illum cælestem panem edentes fide vivâ, " quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem " sentiunt." Ergo per Sacramenta in voto tantùm suscepta conferuntnr iidem effectus, quos Sacramenta causant ex opere operato.

R. Nego cons. In neutro enim loco dicuntur eodem modo iidem percipi effectus ; sed tantùm dicuntur conferri et sentiri effectus et fructus Sacramenti ; vocantur autem fructus Sacramenti, non quasi ex Sacramento provenirent, sed quia sunt similes ad similitudinem effectuum ex Sacramento realiter suscepto, et quia dantur ad illud, et ad ejus votum.

N. 25. AN ET QUOMODO SACRAMENTA VETERIS LEGIS CONTULERINT GRATIAM ?

S. Thom. quæst. 62. *art.* 6.

I. *Sacramenta Veteris Legis non conferebant sanctitatem internam.* II. *Sed tantum legalem.* III. *Nisi ex opere operantis.* IV. *Circumcisio.* V. *Justificabat parvulos.* VI. *Non ex opere operato.* VII. *Sed ut conditio sine qua non.*

An Sacramenta veteris Legis contulerint Gratiam ?

I. R. 1°. Non causabant Gratiam ex opere operato,

quemadmodum nec Sacrificia istius Legis: hinc Eugenius IV. in Concilio Florentino dicit: "Illa non causabant "Gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam "præfigurabant: hæc autem (novæ Legis) continent Gra- "tiam, et eam dignè suscipientibus conferunt."

Probatur ex Apostolo ad Gal. cap. 4. v. 9. ubi illa vocat *Infirma et egena elementa: infirma* (inquit S. Thom. 1. 2. quæst. 103. art. 2. in *Corp.*) quia non poterant à peccato mundare; *egena*, quia non continebant in se Gratiam. Vide etiam ad Hebr. cap. 9. v. 9. et cap. 7. v. 18.

II. R. 2°. Sacramenta veteris Legis habebant vim conferendi munditiem et sanctitatem, aliosque similes effectus, sed legales tantùm; quæ cùm vera et interna non esset mundities, vocatur ab Apostolo ad Hebr. c. 9. v. 13. *Emundatio carnis.*

Obj. Scriptura Sacra videtur Sacrificiis et Sacramentis veteris Legis tribuere vim remittendi peccata: sic Levitici cap. 4. et 5. sæpius dicitur: "Orabit pro eo Sacerdos, et dimittetur ei."

R. Id intelligendum esse de peccati remissione legali tantùm, scilicet quoad pœnam legalem: quâ remissione fiebat, ut peccatum homini non imputaretur ad pœnam lege comminatam: vel de sublatione immunditiarum legalium, quæ nihil aliud erant, quàm irregularitas quædam.

Hujus ratio est, quòd Sacrificia illa et Sacramenta essent solùm destinata certis quibusdam expiandis peccatis; si autem vim habuissent expiandi peccata quoad culpam et reatum pœnæ æternæ, omnia simul expiassent: cùm unum peccatum mortale sine alio remitti nequeat; jam autem erant quædam Sacrificia instituta singulariter pro expiando peccato ignorantiæ, quædam pro peccato ex malitia, &c.

III. R. 2°. Sacramenta et Sacrificia veteris Legis conducebant tamen ad obtinendam Gratiam ex opere operantis; per illa enim æquè ac per alias actiones meritorias impetrabant Gratiam et merebantur, si cætera adesseut ad meritum requisita.

Sed quid de remedio Legis Naturæ contra peccatum originale et de Circumcisione?

IV. R. Quoad adultos (qui scilicet jam antea mundati erant à peccato originali) videtur idem ac de aliis Sacramentis.

V. In applicatione tamen hujus remedii et Circumcisionis justificabantur parvuli.

An ergo tunc parvulis non conferebatur Gratia ex opere operato?

VI. R. Negativè; sed tantùm ex privilegio et favore Dei miserentis ob specialem parvulorum necessitatem.

Obj. Parvuli in Circumcisione non justificabantur ex opere operantis: ergo ex opere operato.

VII. R. Neg. conseq. etenim inter illa duo datur medium, scilicet quod non includit causalitatem respectu justificationis, sed tantùm est conditio sine qua non: quâ conditione positâ, Deus infundebat Gratiam sanctificantem eodem modo, sicut aspectus æneï Serpentis sanabat læsos à serpentibus ignitis.

Alii dicunt, collatam fuisse Gratiam in Circumcisione ex opere operato, non *activè*, quasi Circumcisio activè concurreret ad ejus collationem; sed *passivè*, quia Deus Gratiam dabat, non per tale opus ut per instrumentum, sed ad illius præsentiam, seu positionem.

N. 26. DE CHARACTERE SACRAMENTALI.

S. Thom. quæst. 63.

I. *Character.* II. *Est signum.* III. *Spirituale.* IV. *Et indelebile.* V. *Animæ impressum.* VI. *Tres effectus characteris.* VII. *In Christo non fuit character.*

QUID est character sacramentalis?

I. R. Est signum spirituale et indelebile animæ impressum, quo homo ad divina deputatur, et ab aliis distinguitur.

II. Est ergo *Signum*, sive res, quæ est signum, scilicet deputationis ad divina, configurationis cum Christo, et distinctionis ab aliis.

III. Dicitur *spirituale*, non tantùm quia anima, cui imprimitur, est spiritualis, sed etiam quia formaliter et causaliter spirituale est.

IV. Est signum *indelebile*, ita ut nunquam, sive in hoc, sive in futuro sæculo deleatur; sed manebit, inquit S. Th. *art. 5. ad 3. in* bonis ad eorum Gloriam, et in malis ad eorum *ignominiam*.

Hinc si Sacerdos à mortuis resuscitaretur, non esset iterum baptizandus, confirmandus vel ordinandus. Aliud foret, si unus conjugum resuscitaretur; tunc enim iterum essent conjungendi; quia vinculum matrimonii morte dissolvitur.

V. Cùm autem character animæ imprimatur, non est ens rationis, neque animæ solùm tribuitur per denominationem extrinsecam; sed est quid reale ipsi animæ inhærens et realiter superadditum.

Quare ille character est indelebilis?

R. Quia est qualitas ex natura sua incorruptibilis, utpotè spiritualis, et in subjecto incorruptibili: cùmque habeat nihil sibi contrarium; non enim peccato, sicut Gratia sanctificans, deperditur.

2. [Thom. art. 5. repetit indelebilitatem ejus partim ex eo quòd sit participatio Sacerdotii Christi, quod est æternum; partim ex natura Consecrationis: quia per illam Sacerdotii Christi participationem consecratur quis ad aliquid sacrum; res autem semel Deo consecrata, semper manet talis, quamdiu existit.

Ex indelebilitate characteris sequitur Sacramentorum characterem imprimentium initerabilitas; ita ut tale Sacramentum semel validè susceptum, quamvis indignè, nunquam possit validè ab eodem rursus suscipi.

Quinam sunt effectus seu officia characteris?

VI. R. Hæc tria: primò hominem deputare ad divina: hæc autem potestas, vel est passiva, ut in Baptismo; vel activa, ut in Ordine; vel utraque simul, ut in Confirmatione.

2°. Hominem charactere signatum, quasi per quamdam tesseram distinguere ab aliis, qui illud Sacramentum non receperunt.

3°. Configurare Christo tanquàm Capiti et Duci, cum quadam participatione potestatis et Sacerdotii ejus.

An in Christo ut Sacerdote fuit character?

VII. R. Negativè: quia character est signaculum militiæ, non verò ducis; deindè Christi Sacerdotium non est accidentale, sed substantiale.

N. 27. QUÆ SACRAMENTA IMPRIMANT CHARACTEREM?

S. Thom. quæst. 63. *art.* 6.

I. *Tria imprimunt characterem.* II. *Cur tantùm tria.* III. *Probatur character contra hæreticos.* IV. *Officia characteris Baptismi.* V. *Confirmationis.* VI. *Et Ordinis.*

QUOT et quænam Sacramenta imprimunt characterem?

I. R. Est Dogma fidei in decreto Conc. Florent. pro Armenis his verbis traditum: "Inter hæc Sacramenta "(novæ Legis) tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, "quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum im- "primunt indelebile in anima: unde in eadem persona "non reiterantur. Reliqua verò characterem non impri- "munt, et reiterationem admittunt." Idem definivit Conc. Trid. sess. 7. can. 9. *de Sacr. in gen.*

Quare illa tria Sacramenta præ aliis imprimunt characterem?

II. R. Primaria ratio est voluntas et institutio Christi nobis manifestata per traditionem.

Ratio autem congruentiæ est, quòd sicuti antiquitùs milites et alii, qui ad aliquid deputabantur, solebant quibusdam characteribus insigniri; ita et congruum sit, ut per hæc tria Sacramenta character imprimatur, ut mox patebit ex ratione officioque cujusque.

Quomodò contra hæreticos probatur, hæc tria Sacramenta ex institutione Christi imprimere characterem?

III. R. 1°. Illustria, inquit Steyaert, Scripturæ loca pro charactere Baptismi et Confirmationis sunt, 2. ad Cor. cap. 1. v. 21. et 22. Item ad Ephes. cap. 1. v. 13. et cap. 4. v. 30. ex quibus, licèt non omnino certum, tamen admodum probabile deducitur argumentum.

2°. Potissimùm ex traditione: et sic characteris etiam meminit S. Dionysius *de Ecclesiastica Hierarchia* cap. 2. et alii Sancti Patres.

3°. Contra Lutheranos et Calvinistas Bellarminus urget hoc argumentum ad hominem: sublato charactere baptis-

mali, nulla apparet ratio, quâ absolutè improbent reiterabilitatem contra Anabaptistas.

Dic speciales rationes et officia characteris cujusque.

IV. R. 1°. Per Baptismum constituitur quis servus Christi, ac domesticus ejus Ecclesiæ; accipitque potestatem passivam, quâ capax redditur ad alia Sacramenta validè et fructuosè suscipienda: et hinc dicitur Baptismus *Janua aliorum Sacramentorum*. Charactere verò baptizatus à non baptizato distinguitur.

V. 2°. Per Confirmationem assumitur quis ad militiam Christi, accipitque potestatem partim *activam*, ad Christi fidem strenuè ex officio profitendam tanquam ejus miles; partim *passivam*, quâ redditur aptior ad cætera Sacramenta (quamvis alioquin validè, et etiam quædam licitè) suscipienda. Charactere autem suo à non confirmato distinguitur.

Notandum cum Bellarmino, quòd character Confirmationis sit principaliùs activus quàm passivus; cùm sine illo subsistant reliqua Sacramenta.

VI. 3°. Per Ordinem constituitur quis Dux in Ecclesia Christi, et accipit potestatem *activam* conficiendi ac ministrandi Sacramenta, vel circa ea proximè vel remotè ministrandi: et illo charactere distinguitur à non ordinato: sicuti autem ordines ac eorum potestates distinguuntur, ita et characteres.

Notandum itaque, quòd character proximè et directè non disponat ad Gratiam, sed ad actus divini cultûs: dum ergo dicit S. Th. art. 4. ad 1. "Ex consequenti divina "Largitas recipientibus characterem largitur Gratiam;" non vult, characterem esse Sacramenti effectum principalem; Gratiam verò (quam dixit effectum principalem initio quæst. 62.) esse secundarium; sed tantùm vult, quòd character immediatè ordinetur ad actus divini cultûs; ad Gratiam verò (quæ datur ad illos actus bene exercendos) solùm ex consequenti: unde addit: "Per quam dignè impleant ea, ad quæ deputantur, &c."

N. 28. QUANDONAM SACRAMENTA CONFERANT SUOS EFFECTUS?

I. *Non datur effectus Sacramenti ante ipsum Sacramentum.* II. *Character statim datur.* III. *Gratiæ actuales suo tempore.* IV. *Sed statim jus ad illas.* V. *Et mox gratia habitualis per se.*

I. PRÆNOTANDUM, quòd Sacramenta nunquam conferant suos effectus ex opere operato, antequam realiter suscipiantur; quia promissio effectuum Sacramenti non est à Christo facta, nisi reali Sacramentorum susceptioni.

Proinde hìc voluntas efficax non habetur pro facto, quamvis etiam necessitas factum excluderet, ut patet in moribundo habente contritionem imperfectam cum voto Sacramenti Pœnitentiæ tantùm.

Quæ hìc objici possunt de Sacramento in voto tantùm, vide Num. 24.

II. An Sacramenta conferant omnes suos effectus eo tempore, quo actualiter suscipiuntur?

R. 1°. Sacramenta imprimentia characterem (modò sint valida) producunt illum necessariò, et in eodem instanti, quo aut Gratia producitur, aut produceretur, si non esset obex.

III. 2°. Gratiæ actuales seu sacramentales suo loco et tempore dantur adultis, quando nimirum erunt necessariæ vel utiles ad finem Sacramenti consequendum; modò tamen per peccatum jus ad illas non amittatur, nec earum receptioni ponatur obex.

IV. Licèt autem illæ Gratiæ actuales statim à suscepto Sacramento non conferantur, tamen cum Gratia habituali statim recipitur jus quoddam ad illas suo tempore recipiendas, et sic statim dantur quodammodo in actu primo.

V. 3°. Gratia habitualis seu sanctificans eodem instanti confertur, quo Sacramentum essentialiter est completum, si in suscipiente non sit obex: quare de obice seu fictione nunc agendum.

DE FICTIONE SEU POSITIONE OBICIS.

ctio seu obex. II. *Est duplex.* III. *Essentialis. Et accidentalis.* V. *Qui est positivus.* VI. *Vel ativus.* VII. *Positio obicis est de se gravis.* VIII. *i excusetur per ignorantiam, &c.*

FICTIO Sacramenti nihil aliud est, quàm simulatio s, quod ad Sacramentum requiritur, et quod hîc et ion subest: et ideo Sacramenti obex vocatur; unde ctionem tantùm habere locum in adultis.

tuplex est Fictio Sacramenti?

R. Duplex; essentialis et accidentalis; priorem vo- aliqui voluntatis, posteriorem fictionem disposi-

nam dicitur fictio essentialis?

R. Est illa, quæ reddit Sacramentum nullum, ut uis exteriùs simulat, se velle recipere Sacramentum mi, interiùs tamen absolutè non vult: vel dum quis nentum suscipit cum defectu aliquo essentiali, v. g. ionis requisitæ in Sacramento Pœnitentiæ.

d est fictio solùm accidentalis?

R. Est carentia dispositionis necessaria ad recipien- Sacramenti effectum; sive est defectus alicujus non ens valorem Sacramenti, sed ejus effectum seu col- m Gratiæ ob indispositionem suscipientis; ut si quis ctu peccati mortalis, vel cum ignorantia necessario- necessitate medii, suscipit aliquod Sacramentum, Pœnitentiam.

tupliciter contingit, poni obicem accidentalem?

Dupliciter: scilicet per obicem Sacramenti positi- u contrarium, et per obicem negativum seu privati-

Obex positivus seu contrarius Sacramenti consistit sposition actuali repugnante infusioni Gratiæ sanc- is.

s est quodcumque peccatum actuale mortale, sive actus vel effectus in suscipiente Sacramentum adhuc er dici potest perseverare; sive quod in ipsa Sacra- cujuscumque susceptione committitur.

Obex negativus consistit in carentia dispositionis

necessariæ ad effectum Sacramenti ex ignorantia vel inadvertentia nullo modo, vel saltem non graviter culpabili: v. g. ignorantia inculpabilis necessariorum necessitate medii.

Solet hìc etiam inquiri, an peccatum veniale sit obex Gratiæ Sacramenti: sed cùm illa quæstio potissimùm tractetur ob Sacramentum Eucharistiæ, hinc ad illum tractatum remittimus, et ad S. Thom. quæst. 79. art. 8.

Quale peccatum est Sacramentum aliquod suscipere cum fictione seu positione obicis?

VII. R. Qualiscumque sit obex, est peccatum mortale Sacrilegii ex objecto et ratione suî: ita ut non possit fieri veniale ex parvitate materiæ. Potest tamen excusari à mortali ex parte indeliberationis actûs, sicque esse tantùm veniale vel nullum: putà aliquis accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ bonâ fide existimans, se esse sufficienter contritum, ubi tamen non est; vel aliquis Sacramentum aliquod suscipit cum ignorantia invincibili necessariorum necessitate medii.

VIII. Patet itaque, quòd possit quis suscipere Sacramentum informe, vel etiam invalidè, sic tamen ut suscipiendo vel nullo modo peccet, vel tantum venialiter.

N. 30. DE REVIVISCENTIA SACRAMENTORUM.

I. *Sacramentum reviviscens.* II. *Confert Gratiam.* III. *Sed tantum moraliter.* IV. *Baptismus reviviscit.* V. *Et verisimiliter Confirmatio et Ordo.* VI. *Fortè Extrema Unctio et Matrimonium.* VII. *Non Eucharistia,* VIII. *Nec Pœnitentia.* IX. *Quæ non potest esse informis.*

QUID est Sacramentum reviviscens?

I. R. Est Sacramentum informe, seu validè, sed infructuosè susceptum, quod, remoto obice in subjecto seu suscipiente, operatur suos effectus.

Sacramentum autem invalidum ob fictionem essentialem (v. g. ob defectum intentionis in adulto) reviviscere non potest: cùm enim nunquam extiterit, seu vixerit, reviviscere non potest.

Obj. Etiam Sacramentum informe, recedente fictione, non ampliùs existit: ergo etiam non potest producere suum *effectum.*

II. R. Dist. ant. Non ampliùs existit physicè, concedo: moraliter et virtualiter, nego ant. Sacramentum enim reviviscens adhuc moraliter et virtualiter existit, in quantum virtus illius (putà applicatio meritorum Christi,) manet in acceptatione divina: et sic quasi movet excitatque Deum, ut, sublato obice, Gratiam conferat.

III. Patet tamen ex hac solutione, quòd, ut dictum est num. 19. Sacramentum reviviscens non physicè, sed moraliter tantùm producat suos effectus.

Quænam Sacramenta possunt reviviscere?

IV. R. De Baptismi reviviscentia communis, et certa est Doctorum sententia, fundata in traditione ac in ratione theologica, desumpta ex charactere et initerabilitate Baptismi simul et necessitate Gratiæ baptismalis. Hæc latiùs ubi de Baptismo. De aliis Sacramentis variant Authores; nec mirum, cùm totum hoc dependeat ex arbitraria instituentis voluntate, quæ non scitur revelata: et hinc quidam, inter quos Pauwels et Van Roy, denegant reviviscentiam reliquis Sacramentis.

V. Communior interim, non tamen certa, est sententia, etiam Sacramenta Confirmationis et Ordinis reviviscere; idque tum ratione characteris, in quo virtualiter manent; tum quia iterari non possunt, hominemque constituunt in statu immutabili, ad quem speciali Gratiâ opus est; et licèt hæc Gratia aliundè obtineri possit, non ita tamen facilè et perfectè.

VI. Probabilis etiam (licèt minùs quàm opposita) est sententia, dicens etiam reviviscere Sacramenta Extremæ-Unctionis, eodem morbi statu durante, et Matrimonii, vivente comparte; rationem congruentiæ dant, quòd illa sint etiam sic initerabilia, quorum tamen Gratia in illis statibus est necessaria.

In hac ergo incertitudine, an illa Sacramenta reviviscant, necne, specialis esse debet solicitudo, ut dignè suscipiantur.

VII. De Sacramento Eucharistiæ non videtur apparentia: tum quia iterabile est; tum quia aliàs sequeretur, quòd qui toto vitæ tempore sæpissimè communicasset sacrilegè, fieret in fine vitæ sanctissimus, si verè pœniteret: quod est absurdum.

Sunt qui excipiunt casum, quo obex tollitur ante consumptas species sacramentales; sed, ut observat Dael-

man, tunc Sacramentum Eucharistiæ non reviviscit, cùm reviviscentia supponat, Sacramentum actu transiisse, et dispositionem necessariam postea tantùm supervenire.

VIII. De reviviscentia Sacramenti Pœnitentiæ minor est apparentia: tum ob rationes statim de Eucharistia datas; tum quia verisimilliùs Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse informe, sicut alia Sacramenta.

Quare potiùs alia Sacramenta possunt esse informia, quàm Sacramentum Pœnitentiæ?

IX. R. Ratio est, quòd dispositio Pœnitentis necessaria ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sit etiam pars essentialis (quia contritio est materia partialis proxima); adeoque, si debita desit Pœnitentis dispositio, non subsistunt essentialia hujus Sacramenti: implicat ergo, ut Sacramentum validum sit, et simul infructuosum. In aliis verò Sacramentis dispositio necessaria ad eorum effectum omninò distinguitur ab essentialibus eorum.

N. 31. DE CAUSA SACRAMENTORUM.

S. Thom. quæst. 64. *art.* 1.

I. *Quintuplex causa activa in Sacramentis.* II. *Potestas excellentiæ Christi.*

Duplex secundùm S. Thom. distingui potest causa Sacramentorum, scilicet quoad efficientiam interiorem effectuum, et quoad institutionem Sacramentorum. De priori hìc agitur.

Quotuplex est causa activa ad efficientiam justificationis, quæ fit in Sacramentis?

I. R. Distingui potest quintuplex.

1°. Causa principalis est solus Deus.

2°. Causa meritoria est Passio Christi, cujus merita in Sacramentis nobis applicantur.

3°. Causa ministerialis et instrumentalis, sed minùs principalis, est homo minister conficiens et applicans Sacramenta subjecto.

4°. Causa instrumentalis proxima est ipsum Sacramentum.

5°. Causa ministerialis et instrumentalis principalis est humanitas Christi: etenim hæc respectu eorum, quæ ad

nostram salutem spectant, est instrumentum conjunctum Divinitati in Persona Verbi: adeoque in genere causæ ministerialis quamdam habet principalitatem, quæ vocatur *Potestas Excellentiæ.*

In quibus consistit illa potestas excellentiæ Christi?

II. R. cum S. Thom. art. 3. in *Corp.* potissimùm consistere in his quatuor: 1°. In eo, quòd virtus et merita Passionis ejus operentur in Sacramentis ad eorum effectum.

2°. Quòd Christus instituere potuerit et instituerit Sacramenta, eligens pro sua voluntate hæc aut illa signa, determinando eorum materiam et formam, quibus annexuit effectus speciales.

3°. Quòd Sacramenta in Nomine Christi administrentur; et ita omnes, qui Sacramenta conficiunt et administrant, id tanquam Vicarii Christi, et Nomine ejus tanquam principalis agant.

4°. Quòd etiam Sacramentorum effectus sòlo voluntatis suæ imperio sine Sacramentis operari potuerit: prout et fecit Lucæ cap. 5. v. 20. per hæc verba: "Homo, remittuntur tibi peccata tua:" et his Lucæ cap. 22. v. 19. "Hoc facite in meam commemorationem;" effectus Sacramenti Ordinis dedit absque Sacramento.

N. 32. DE AUTHORE SEU INSTITUTORE SACRAMENTORUM.

S. Thom. quæst. 64. *art.* 2 3 *et* 4.

1. *Sacramenta antiqua sunt à Deo.* II. *Novæ Legis Sacramenta Christus.* III. *Per potestatem authoritativam* IV. *Immediatè instituit.* V. *Quod variè probatur.*

QUISNAM est Author Sacramentorum?

I. R. 1°. Communis est sententia, omnia Sacramenta antiqua a Deo esse immediate instituta; ab Angelis autem et Moyse solùm promulgata, sicut ipsa Lex.

II. 2°. Omnia et singula novæ Legis Sacramenta instituta sunt à Christo Domino, Apostolis tradita, et ab his orbi promulgata. Ita definitum est in Concilio Trident. sess. 7. can. 1. "de Sacram. in genere," et sess. 14. can. 1. "de Extrema Unctione" specialiter, de qua maximè poterat esse dubium.

Qua potestate Christus Sacramenta instituit?

III. R. Duplex in Christo secundùm S. Thomam considerandæ est potestas: una scilicet Authoritatis supremæ, quæ ei competit secundùm quod Deus est; alia potestas Ministerii principalis, seu excellentiæ quæ ei competit secundùm quod homo est. Utrâque potestate simul Sacramenta instituit, sed sub diverso respectu.

An Christus Sacramenta etiam immediatè instituit?

IV. R. Affirmativè; id enim ipsi competebat ut Authori novæ Legis et salutis nostræ; cùm Sacramenta sint veluti fundamenta, quibus Ecclesia nititur; deinde id magis Sacramentorum dignitati congruebat, et veræ Ecclesiæ notas confirmabat.

V. Probatur: Si Christus tantùm mediatè illa instituisset, seu alicui dedisset potestatem Sacramenta instituendi, id maximè fecisset Apostolis; atqui hi declarant, se esse dumtaxat Ministros et dispensatores, non Authores Mysteriorum Dei, ut dicit Apostolus 1. ad Cor. cap. 3. v. 5. et cap. 4. v. 1.

Deinde Concilium Tridentinum in locis supra citatis simpliciter definit Sacramenta à Christo esse instituta: ergo sufficienter subintelligendum relinquit, id "immediatè" factum esse: quia aliàs non possent simpliciter dici à Christo instituta, sicut non possunt dici ab ipso præcepta simpliciter, nisi quæ immediatè præcepit.

Deinde idem Concilium, sess. 21. cap. 2. declarans Ecclesiæ potestatem circa sacramentalia, limitando ait: "salvâ eorum substantiâ;" ergo si materiam aut formam essentialem mutare nequeat, nec instituere potest.

Ex dictis patet, hanc sententiam, licèt non sit de fide, tamen esse omnino certam; tantò magis quòd etiam habeamus institutiones aliquorum Sacramentorum à Christo traditas, ut Baptismi, Matth. cap. 3. et 28. Eucharistiæ et Ordinis apud Matth. Marc. et Lucam, et Pœnitentiæ Joan. cap. 20. ergo idem à paritate rationis deducimus de cæteris.

N. 33. DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

S. Thom. quæst. 46.

I. *Quadruplex Sacramentorum Minister.* II. *Christus est principalis.* III. *Secundarius homo viator.* IV. *Extraordinariè etiam Angelus.* V. *Non omnis homo est Minister Sacramenti.* VI. *Est de fide contra Lutherum.* VII. *An quis sit sibi Minister?*

QUOTUPLICITER distinguitur Minister Sacramentorum?

1. R. 1°. Alius est Minister principalis, alius minùs principalis, seu secundarius.

2°. Minister secundarius subdividitur in ordinarium et extraordinarium.

3°. In Ministrum solemnitatis seu ex officio, et in Ministrum necessitatis. Prior dicitur, qui speciali consecratione ad Ministerium Sacramentorum est deputatus; necessitatis verò est ille, qui non est sic consecratus, sed merè deputatur ob necessitatem, ut Laïcus tunc baptizans.

4°. Quoad Sacramentum Eucharistiæ aliud est loqui de Ministro conficiente hoc Sacramentum, et aliud de Ministro id solùm ministrante.

Quis est Minister principalis Sacramentorum novæ Legis?

II. R. Christus Dominus etiam hodie est Minister principalis omnium Sacramentorum: et hoc spectat ad potestatem excellentiæ.

Quis est Minister minùs principalis seu secundarius?

III. R. De lege Dei ordinaria solus homo viator et ratione utens potest esse Sacramentorum Minister, non Angelus.

Ratio à priori non est alia nisi voluntas Christi, nobis manifestata ex eo, quòd Christus solos homines viatores alloquatur, dum in Evangelio de Sacramentorum confectione vel dispensatione agit, ut Matth. cap. 28. v. 19. Lucæ cap. 22. v. 19. et Joan. cap. 20. v. 23.

Similiter facit Jacobus in Epistola sua, cap. 5. v. 14.

IV. Dictum est *de Lege Dei ordinaria:* quia inquit S. Thomas, a. 7. in *Corp:* "Sicut Deus virtutem suam non

" alligavit Sacramentis, quin possit sinè Sacramentis ef-
" fectus Sacramentorum conferre : ita etiam virtutem
" suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Ange-
" lis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramen-
" tis."

Et sic quidem in Sanctorum quibusdam Historiis legitur, quòd Sacramentum Eucharistiæ ab Angelo acceperint. Idem posset fieri de anima separata.

De comprehensore homine resurgente in corpore glorioso dicunt plures cum Gonet, eum fore Ministrum ordinarium hoc sensu, quòd non egeret potentiâ seu commissione extraordinariâ; licèt ut non viator foret Minister extraordinarius.

An omnis homo viator utens ratione est Minister Sacramentorum ?

V. R. Responsio negativa est de fide contra Lutherum; qui, quamvis fateretur, neminem nisi legitimè vocatum posse usum Sacri Ministerii sibi arrogare, contendebat tamen, potestatem Ministerii omnibus baptizatis, etiam mulieribus et parvulis, esse concessam; è contrario Calvinus eam ita restringit, ut nequidem necessitate urgente permittat Laicis, præsertim feminis, baptizare.

VI. Ratio est, quòd illi soli sint Ministri, quos Christus suâ institutione designavit; atqui tales respectu omnium Sacramentorum non sunt omnes homines; ut patet ad Ephes. cap. 4. v. 7. et 11. et etiam ex Traditione Divina, universalisque Ecclesiæ usu et consensu. Constat quoque ex Tridentino sess. 7. can. 10. *de Sacramentis in genere*, proscribente errorem Lutheri jam antea damnatum per Leonem X.

Deinde in veteri Lege, ubi Sacramenta erant minùs perfecta, non omnes poterant illa ministrare, sed ordinariè soli Sacerdotes, ergo à fortiori in nova Lege.

Quinam autem sint Ministri Sacramentorum secundarii, ordinarii, vel extraordinarii, patebit ex dicendis *de Sacramentis in specie*.

Potestne quis sibi ipsi conferre Sacramentum, sive requirituine distinctio inter Ministrum et suscipientem ?

VII. R. Requiritur talis distinctio, excepto Sacramento Eucharistiæ, et etiam Matrimonii, in sententia, quæ docet contrahentes esse Ministros.

N. 34. DE FIDE ET PROBITATE MINISTRI.

S. Thom. quæst. 64. art. 5. et 9.

I. *Non requiritur fides et bonitas Ministri ad valorem et effectum Sacramenti.* II. *Nec facit ad majorem Gratiam.* III. *Nisi ex opere operantis.* IV. *Monitum.*

An ad valorem Sacramenti requiritur fides et sanctitas in Ministro?

R. I. Nec probitas nec fides Ministri necessaria est ad valorem vel effectum Sacramenti: adeò ut omnes, qui sunt extra statum Gratiæ, tam infideles et Hæretici, quàm fideles sive excommunicati, suspensi, degradati, &c. validè et fructuosè possint Sacramenta conferre, modò adsint cætera ad valorem et effectum requisita.

Conclusio est de fide in variis Conciliis definita, et novissimè in Tridentino, sess. 7. can. 12. *de Sacramentis in genere*, et can. 4. *de Baptismo*. Vide in hanc rem etiam controversiam inter S. Cyprianum et S. Stephanum Pontificem, in tractatu de Pontifice, ubi de ejus infallibilitate.

Ratio est, quod Sacramenta non operentur ex virtute meritorum vel fidei Ministri, sed virtute divinâ, et ex meritis Christi, quæ alienâ malitiâ impediri non possunt: idem proinde est Sacramentorum valor eademque efficacia, cujuscunque vitæ sit Minister secundarius: hinc dicit S. Aug. Tract. 5. in Joan. "Quid tibi facit malus Minister, ubi bonus est Dominus?.. et ideò per Ministros dispares munus æquale est; quia non illorum, sed ejus est, scilicet Christi."

A posteriori idem probat S. Aug. ex eo, quòd omnia forent dubia circa salutem nostram, si Sacramentorum valor et effectus ex probitate Ministri dependeret.

Obj. I. Nullus dat, quod non habet: atqui mali Ministri gratiam non habent: ergo gratiam conferre non possunt.

R. Licèt mali Ministri gratiam non habeant *formaliter*, habent tamen eam ministerialiter et *causaliter*, quatenùs Deus illis utitur tanquam Ministris et instrumentis ad efficiendum Sacramentum, et gratiam conferendam, Vide S. Th. art. 5. in *Corp.*

Obj. II. S. Thom. hìc art. 9. ad 2. de Hæreticis dicit: " Et tales conferant quidem Sacramentum, sed non confe- " runt rem Sacramenti... Quia ex hoc ipso, quòd aliquis " accipit Sacramenta ab eis, peccat: et per hoc impedi- " tur, ne effectum Sacramenti consequatur."

R. cum Sylvio, quòd S. Thom. neget, effectum Sacramenti conferri, non ex defectu potestatis eorum, sed propter obicem, quem ponit recipiens scienter ab Hæreticis Sacramentum: unde si talis per ignorantiam vel necessitatem excusetur, etiam Sacramenti effectum accipiet.

Patet ex responsione ad 3. ubi ait: " Peccat conferen- " do: et similiter ille, qui ab eo accipit Sacramentum. Et " sic non percipit rem Sacramenti, nisi fortè per ignoran- " tiam excusetur."

Similiter intelligenda sunt plura Sanctorum Patrum loca, etiam post tempora S. Cypriani: & ita plures explicant S. Athanasium sermone 3. contra Arianos, ubi eorum Baptisma vocat vanum, inutile ac inane simulacrum; scilicet quoad effectum primarium seu gratiam.

An saltem non est melius Sacramenta suscipere à Ministris fidelibus et bonis, quàm ab infidelibus et malis?

R. Imprimis sæpe illicitum est à malis Ministris Sacramenta suscipere ut infra dicetur.

II. 2o. Melius non est, quantùm est *ex parte Sacramenti*: sive Sacramenta per malos Ministros *ex opere operato* eosdem effectus conferunt, quam ministrata per bonos: cùm effectûs Sacramentalis consecutio non desumatur à dignitate Ministri.

III. 3o. Potest tamen dici melius *ex opere operantis* Ministri, ut exemplo suo ædificantis, devotione suâ impetrantis suscipienti, v. g. bonum aliquem motum seu præparationem.

IV. Veritas tamen hæc (inquit Steyaert) non est jactanda, ne ex propria existimatione venire videatur, et ad schisma tendere; sed potiùs inculcandum cum Apostolo: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat.*

Et quia quilibet reputandus est bonus, donec probetur malus; ideo nemo debet, nec potest animo censorio inuirere in vitam Ministrorum: talis enim inquisitio et odio sa foret suscipientibus, et Ministris injuriosa.

N. 35. DE PECCATO INDIGNE MINISTRANTIS SACRAMENTUM.

S. Thom. quæst. 64. art. 6.

I. *Monitum Rituale Romani.* II. *Indignè ministrans Sacramentum.* III. *Peccat mortaliter.* IV. *Si sit Minister solemnitatis.* V. *Et hoc ex triplici capite.* VI. *Excipitur casus ignorantiæ.* VII. *Casus necessitatis.* VIII. *Et baptismus privatim.* IX. *Sive Sacerdos, sive Laicus.* X. *Monitum.* XI. *Indignè distribuens.* XII. *Et sic absolvens.* XIII. *Parochus assistens matrimonio.* XIV. *Non contrahentes.* XV. *Nisi suscipiendo.*

I. Monet Rituale Romanum: " Cùm igitur in Ecclesia " Dei nihil sanctius, quàm ipsa Sacramenta; Parochus vel " quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio per- " tinet, meminisse imprimis debet, se sancta tractare, atque " omni ferè temporis momento, ad tam sanctæ administra- " tionis officium paratum esse oportere.

II. " Quamobrem illud perpetuò curabit, ut integrè, " castè, pièque vitam agat: nam etsi Sacramenta ab impuris " coinquinari non possint, neque à pravis Ministris eorum " effectus impediri, impurè tamen et indignè ea adminis- " trantes in æternæ mortis reatum incurrunt."

Cujus speciei est illud peccatum?

III. Respondetur communiter, quòd indignè seu in peccato mortali administrare Sacramenta per se loquendo sit peccatum mortale sacrilegii; censetur autem quis sic ministrare indignè, dum sibi conscius peccati mortalis id audet sine sincera pœnitentia.

IV. Id autem verum est, si sit Minister solemnitatis, qui in tali statu Sacramentum conficit vel ministrat ex officio.

In quibus consistit inordinatio hujus peccati?

V. R. Potissimùm in his tribus: 1°. Quia sancta (qualia maximè sunt Sacramenta) sanctè et cum debita reverentia sunt tractanda, juxta illud Isaiæ, cap. 52. v. 11. *Mundamini, qui fertis vasa sancta.* 2°. Quia Ministri secundarii se conformare debent sanctitati sui principalis juxta id Levit. cap. 19. v. 2. *Sancti estote, quia ego Sanctus sum*

hoc autem tantò magis respicit Ministros novæ Legis, quantò dignius est eorum Ministerium. Specialissimè verò Ministros ex Officio, nempe 3°. ex eo, quòd sint deputati et specialiter consecrati, ad dignè fidelibus Sacramenta administranda, atque ad illud specialibus gratiæ auxiliis donati.

An omnis, qui in peccato mortali ministrat Sacramentum, peccat mortaliter?

VI. R. Negativè: 1°. sic excusari potest Minister, qui citra gravem culpam ignorat, se esse in statu tali, aut ex animi perturbatione ad illum non reflectit.

VII. 2°. Excusari potest, si quis quidem sibi conscius peccati mortalis, quod hìc et nunc confiteri non potest, sinè contritione perfecta in necessitate Sacramentum administrat, v. g. ubi subitò impendenda est Absolutio sacramentalis subitaneè morienti.

VIII. 3°. In articulo necessitatis baptizans *privatim* eo modo, quo Laïcus.

An hic tertius casus locum habet tam in Sacerdote, quam in Laïco?

IX. R. De Laïco vix disputatur; sed putat Neesen, Sacerdotem per hoc non excusari; et Wiggers non audet sic agentem excusare Pastorem.

Alii tamen passim de Sacerdote et Laïco indistinctè loquuntur cum S. Thom. art. 6. ad 3. dicente: "In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando in casu, "in quo etiam Laïcus posset baptizare: sic enim patet, "quòd se non exhiberet Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti; secus autem est in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus." Et quia etiam in aliis Sacramentis Minister ex Christi institutione deputatus est, et ex officio conficit Sacramentum.

X. Monent interim, quòd Minister necessitatis, pro temporis angustia teneatur satagere ad contritionem, ut Sancta sanctè tractet: et quia Deus quolibet tempore, etiam minimo, potest concedere contritionem, ideo nullus de facili sibi de temporis defectu aduletur; hinc ait Steyaert: "dubium non videtur, quin et ipse peccet, et quidem non parum, si non disponat se, ut pro angustia temporis potest."

An mortaliter peccat distribuens Eucharistiam in peccato mortali?

XI. R. Indubiè; est enim Ministerium sanctissimum Ordinis Sacerdotalis, vel Diaconalis.

Quidquid autem sit de controversia, an tot sint peccata, quot sunt personæ, quibus distribuitur; an tantùm unum continuatum (quod vide *in tractatu de Peccatis*, ubi de horum coalescentia) practicè equidem exprimendus est in confessione numerus, saltem moraliter; quia vel erunt distincta numero peccata, vel saltem unum eò gravius, quo pluribus distribuit.

XII. Interim omnes conveniunt, quòd sic interruptè distribuens Communionem plura numero peccata committat; eadem veritas illius est de eo, qui continuatè plures absolvit in peccato mortali: quia quælibet absolutio est judicium completum: et idem etiam dicitur de eo, qui plures successivè sic ordinaret.

An Parochus in peccato mortali assistens matrimonio sic etiam peccat?

XIII. R. Affirmativè, saltem practicè: quia licèt fortè formaliter non sit, exponet tamen se periculo valde probabili Sacramentum indignè ministrandi.

XIV. Supposito, quòd contrahentes sint Ministri, communiùs equidem dicitur, eos, inquantùm sunt Ministri, in illo non peccare graviter: quia non sunt ad hoc Ministri consecrati, nec specialibus Gratiæ auxiliis instructi, ut hoc Sacramentum ex officio dignè ministrent.

XV. Dicitur: *inquantùm sunt Ministri*; quia certò graviter peccant per indignam susceptionem hujus Sacramenti.

N. 36. DE ALIIS FUNCTIONIBUS SACRIS INDIGNE FACTIS.

I. *In peccato mortali ministrans.* II. *Mortaliter peccat Diaconus.* III. *Et subdiaconus.* IV. *Et probabiliter exorcista.* V. *Non tamen alii in aliis minoribus.* VI. *Vel in Sacramentalibus.* VII. *De consecrante Chrisma.* VIII. *De ferente Venerabile.* IX. *Concionator non peccat.* X. *Si sit peccator occultus.*

Docet S. Thomas, suppl. quæst. 36. art. 5. in *Corp.*

I. " Quicumque hoc, quod sibi competit ex Ordine, facit indignè.... per hoc mortaliter peccat; quicumque autem cum peccato mortali aliquod Sacrum Officium pertractat, non est dubium, quin indignè illud faciat: unde patet, quòd mortaliter peccet."

Quid ergo dicendum de Diacono, qui in peccato mortali ministrat solemniter in Sacrificio Missæ?

II. R. Peccat graviter: functio enim Diaconi sacra est et Sacerdotali proxima: tantique momenti est, ut Actor. 6. assumpti non fuerint nisi viri pleni Spiritu Sancto et sapientia; et Apostolus 1. ad Timoth. cap. 3. v. 10. de Diaconis dicat: *Hi autem probentur primùm, et sic ministrent, nullum crimen habentes.*

III. Idem verisimiliùs tenetur de Subdiacono sic ministrante, contra Henno et alios quosdam: cùm et Ordo Sacer sit, et ejus ministerium propinquè similiter accedat ad Sacratissimum Sacrificium, atque ad id specialiter deputatus et consecratus sit.

Non tamen hinc sequitur, eum, qui solus celebrans Diaconi et Subdiaconi officio fungitur, plura peccata committere ex hoc capite: quia omnes isti actus spectant ad unum principalem ab eodem exercitum.

An similiter dicendum de illo qui in tali statu exercet Ordines minores?

IV. R. Pauwels cum nonnullis existimat, illum peccare mortaliter, qui in Nomine Christi præsumit Diabolum expellere ex corpore alieno, ubi ipsemet Diaboli mancipium

est; hocque satis conforme est Pastorali tantas requirenti dispositiones in Exorcista.

IV. De tribus aliis minoribus Ordinibus passim contrarium dicitur: tum quia materia gravis non est (valde enim remotè versatur circa Sacrificium), tum quia nunc satis communiter exercentur à Laïcis.

Quid de eo, qui sic exercet Sacramentalia?

VI. R. Suarez, disp. 16. sect. 3. per se loquendo in hujusmodi non intervenire peccatum mortale, sed veniale: et in hoc ferè conveniunt alii communiter, quoad ea quæ pertinent ad Sacros Ordines tantùm quasi secundariò et ex instituto Ecclesiæ, nec speciali titulo sacra sunt: qualia sunt benedicere aquam lustralem, vestes, vasa, conferre tonsuram, aliquem excommunicare, suspendere, vel ab iis absolvere, et hujusmodi.

VII. De Consecratione tamen Chrismatis et Olei infirmorum aliter censent plures: quia est actus potestatis Ordinis et aliquo modo sacramentalis; quatenùs per illum paratur materia Sacramenti: de Consecrante Ecclesias majus est dubium.

VIII. Non ausim quoque à mortali excusare, inquit Bossuyt, qui impiis manibus Venerabile de loco in locum transfert, aut cum illo benedicit populo: item neque illum, qui Ciborium aut Remonstrantiam, ut vocant, Sacerdoti in Missa vel in Vespertinis Laudibus tanquam ex officio porrigit.

Contrarium censent plures, inter quos Pauwels, qui tamen addit; Interim velim, ut omnes Sacerdotes bene attendant ad illud Tridentini sess. 13. cap. 7. *Non decet ad sacras ullas functiones quemquam accedere, nisi sanctè.*

Non tamen graviter peccaret, si quis sacram Hostiam contingeret, ut ex terra vel loco indecenti, levet aut impediat, ne cadat, &c. etiamsi foret Laïcus, quando id cum aliqua reverentia facit, nec dignior adest, qui id facere possit.

Quid de illo, qui concionatur in peccato mortali?

IX. R. Quidam tenent, illum graviter peccare, sive peccatum ejus occultum sit, sive publicum. Nituntur S. Thom. in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2.

X. Plerique tamen existimant communiùs, quôd, si peccatum sit occultum, licèt prædicet indignus, non peccet novo peccato mortali; quod saltem dicendum videtur, si

cum zelo charitatis et proximi ædificatione concionetur: quia concio non est actio sacramentalis, nec peccatum mortale occultum videtur graviter repugnare decentiæ, sanctitati, vel fini istius ministerii. Pro explicatione S. Thom. vide Sylvium hoc loco.

Si autem talis Concionator foret peccator publicus, tunc communiter tenent, illum graviter peccare ratione scandali: quia inde veniret in contemptum prædicatio Evangelii, et in vilipendium etiam aliorum Ministrorum in quibus similia apprehendere vulgo proclive est: hinc specialiter talibus Deus dicit Ps. 49. v. 16.: *Quare tu ennaras justitias meas, et assumis Testamentum meum per os tuum?* v. 17. *tu verò odisti disciplinam*, &c.

N. 37. QUID AGENDUM MINISTRATURO, SI CONSCIUS SIBI SIT PECCATI MORTALIS?

I. *Juxta manuale.* II. *Tunc præmittenda est confessio.* III. *De Eucharistia decisum est.* IV. *Et de aliis Sacramentis.* V. *Practicè certum videtur.*

I. RESPONDETUR cum Manuali nostro: " Itaque si " Sacerdos peccati mortalis, quod absit, sibi conscius, aut " de eo probabiliter dubius fuerit, ad Sacramentorum ad- " ministrationem non accedet, nisi priùs sacramentaliter " confiteatur, si Confessarium ullatenùs habere valeat; sin " minùs, contritionem excitârit."

II. Proinde non sufficit de peccato pœnitere, sed etiam, si occasio ferat, oportet sacramentaliter confiteri; utì et variarum Diœcesium Manualia et Synodi disertè præcipiunt.

III. Et imprimis quantùm ad Eucharistiam, patet ex Trid. sess. 13. cap. 7. quòd nemo, quantumvis sibi contritus videatur, habitâ copiâ Confessarii, possit sic celebrare, nisi præmiserit confessionem sacramentalem.

IV. Quantùm ad Ministrum aliorum Sacramentorum rectè observat Steyaert controv. I. quæst. 2. in Appendice ad Wiggers, hanc quæstionem vel considerari *speculativè*, an scilicet Ecclesia vel Christus ita statuerit, et resp. negat. unde si quis securitatem habere posset de remissione peccati citra confessionem, nihil eum urgeret confiteri.

Vel *practicè* : et tunc omnino dicendum videtur, per
) gravi esse præmittendam confessionem sacramenta-
Hujus ratio est, quòd talis Minister teneatur ad
n gratiæ : ergo tenetur moralem diligentiam adhibere :
ec includit medium ordinarium, ut Gratiam sanctifi-
n obtineat, quod est Sacramentum Pœnitentiæ : ergo
e tenetur.
j. Contritio perfecta justificat : ergo, &c.
sp. Catechismus Rom. num. 46. *de Sacramento tentiæ* ; " Ut hoc concedamus, contritione peccata
ri, quis ignorat, illam adeo vehementem, acrem,
nsam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum
;nitudine æquari conferrique possit ? at, quoniam
ci admodum ad hunc gradum pervenirent, &c.
inc concludit num. 59.) profectò quoties..aliquam
tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis
taminato non conveniat, veluti cum Sacramenta ad-
istramus aut percipimus, toties confessio prætermit-
la non est."
inde in contritione perfecta includitur votum Sacra-
Pœnitentiæ, ut docet Trid. sess. 14. cap. 4. quo-
autem serium poterit dici desiderium suscipiendi
mentum, si habeat copiam Confessarii, et tamen non
satur ?
l neque verisimile est, inquit Daelman, Deum velle
n contritionis perfectæ dare illi, qui renuit adhibere
ria media ad justificationem instituta.
j. Rituale Romanum tantùm dicit : *convenit confi-*
ergo est sola convenientia, non præceptum.
Nego conseq. Rituale enim Romanum non vult, nec
uæstiones in Ecclesia agitatas decidere, sed ab illis
here ; et ideo hic utitur verbo ambiguo *convenit*,
aliquando solam convenientiam significat, aliquando
obligationem : quod ultimum patet, ubi idem
e paulò antę ita loquitur : " Illud ante omnia scire
observare convenit, quòd sacrosancta Tridentina
odus de iis Ritibus decrevit in hæc verba sess. 7.
13. *de Sacramentis : Si quis dixerit, receptos et
obatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, &c.*" ubi notandum,
Steyaert, verbum istud *convenit*, obligationem per-
importare : dum ergo postea dicit idem Rituale,

convenit confiteri, nullo modo inde concludi potest, solam ibi convenientiam significari.

Casus autem, in quibus non peccat Minister prætermittendo confessionem ex eo, quòd non habeat copiam Confessarii, vel temporis locique ratio non permittat, particulariùs inquiri solent in Tractatu *de Sacramento Eucharistiæ*.

Quid si quis cum debita dispositione sit confessus et absolutus, sed oblitus peccati mortalis, cujus jam recordatur?

R. Non tenetur (si Celebrationem Eucharistiæ excipias) peccatum illud confiteri ante administrationem Sacramentorum: quia talis sufficienter certus est de statu Gratiæ.

N. 38. AN LICEAT SACRAMENTA PETERE A MALO MINISTRO.

I. *Quadrupliciter minister malus.* II. *Minister toleratus et non toleratus.* III. *Et sic in mortis articulo etiam à non tolerato.* IV. *Baptismum et Pœnitentiam.* V. *Non tamen alia.* VI. *Nec extra artic. mortis.* VII. *In necessitate peti potest à tolerato.* VIII. *Et à Parocho tolerato ex rationabili causa.* IX. *Non licet petere à malo dum adest bonus.* X. *Nec dum malus id vult in odium Religionis.*

PRÆNOTANDUM, quæstionem non institui de Ministro, qui invalidè est ministraturus, vel qui malus habetur ex conjecturis et vanis rumoribus tantùm, (vide Num. 34. in fine), sed debet de ejus malitia moraliter certò constare: unde non sufficeret, quòd Minister v. g. heri mortaliter peccaverit; quia hodie supponi debet emendatus.

Quotuplex hic considerari potest Minister malus?

I. R. 1°. Alius est toleratus, alius non toleratus.

2°. Toleratus alius tenetur ex officio Sacramenta ministrare, alius non sic tenetur.

3°. Alius dicitur malus solùm quia peccator, alius etiam per censuram.

4°. Alius dicitur non paratus, alius paratus ad Sacramenta ministranda, ut v. g. Confessarius in sede confessionali expositus.

Quis dicitur Minister toleratus, quis non toleratus ?

II. R. Prior dicitur, qui sic ab Ecclesia toleratur, ut vitari non debeat à fidelibus ; non toleratus autem, qui v. g. ob excommunicationem sic vitari debet, ut cum eo non liceat communicare.

Quisnam autem hodie sic vitari debeat, erui debet ex Tractatu *de Censuris*, et præsertim ex cap. AD VITANDA, quod vide num. 105. *de Sacramento Pœnitentiæ*. Hic autem ex illo capitulo summatim dicimus, quòd nemo hodie censeri debeat ob censuram non toleratus seu vitandus, nisi specialiter et expresse talis denuntiatus sit per sententiam Judicis ; quinimo id etiam requirit Daelman et alii pro notorio Clerici Percussore. His præmissis, quæritur :

Utrùm Sacramenta petere liceat à malo Ministro ?

R. Cùm Sacramentum sit res per se bona, quæ licitè præstari potest ; et sicut utilitas spiritualis suscipientis, etiam prævideatur peccatum Ministri indignè ministraturi : hinc tota resolutio pendet à justitia causæ, quam habet suscipiens et sic petens Sacramentum à malo Ministro ; unde si adsit justa causa, tunc talis petitio licita est, eodem modo quo cum justa causa licet petere juramentum à juraturo per falsos Deos, et mutuum ab eo, qui non est daturus nisi sub usura.

Et hinc resolvuntur sequentia.

III. 1°. In casu necessitatis extremæ (ut dum quis sinè Baptismo aut Pœnitentia moreretur) licitum est Sacramentum Baptismi et Pœnitentiæ à Ministro malo, etiam non tolerato, petere et recipere, si absit alius. IV. Ita de Baptismo tradit S. Aug. lib. 1. *de Baptismo* contra Donatistas, cap. 2. et eadem est ratio de Sacramento Pœnitentiæ : unde Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. *de Pœnitentia* declarat, tunc omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis et censuris absolvere posse.

Licetne à Ministro non tolerato alia Sacramenta petere ?

V. R. Negativè : Non tantùm id non licet in gravi necessitate (quamvis id quidam velint) sed nec in extrema : quia non sunt tantæ necessitatis, ut præfata duo ; nec Ecclesia, quæ prohibet cum illo in rebus præsertim sacris communicationem, alios casus hìc excipit.

Exceptio tamen (sed casûs ferè Metaphysici) ponitur à

nonnullis, scilicet quòd, dum jam morituro conferri non potest Sacramentum Pœnitentiæ, per se licitum sit à tali Ministro suscipere Sacramentum Extremæ-Unctionis : idem etiam censent de viatico, si in supposito alia Sacramenta suscipere non possit.

VI. Extra talem seu extremam necessitatem nullam Sacramentum à Ministro non tolerato licet suscipere.

VII. 2°. A Ministro malo, sed tolerato, cui non incumbit Sacramenta ministrare, signanter si non sit paratus, Sacramenta petere non licet, nisi urgeat necessitas : et hæc quidem gravior esse debet, si Minister per censuram aliterve impeditus sit, quàm dum est simpliciter malus.

VIII. 3°. Ut licitè Sacramenta petantur à Ministro malo tolerato, qui ex officio tenetur ad Sacramentorum administrationem, non tantùm sufficit necessitas Sacramentorum, quæ non sunt libertatis, (v. g. Viaticum vel Extrema-Unctio), sed etiam sufficiunt necessitates quædam minores; imò rationabilis causa, v. g. quòd Parochianus Sacramenta pro more christiano suscipere velit. Ratio est, quòd, cùm Parochianus jus habeat, et rationem jure suo utendi seu Sacramenta petendi, non debeat ob impiam Parochi vitam ordinariis salutis subsidiis privari.

Obj. Nec est, quòd dicatur, quòd Parochus v. g. excommunicatus toleratus Sacramenta administrare non possit licitè, quantumvis etiam esset justificatus, nisi priùs à censura fuerit absolutus.

R. Enim, quòd si periculum incommodi spiritualis ipsius subditi moram admittat, ut Parochus interea possit superiorem accedere, obligatur tunc Parochus sub novo peccato id facere ante Sacramenti administrationem, debetque subditus hoc ei tempus dare; si autem superiorem adire nolit, peccat ex mala sua voluntate, ob quam subditus non debet jure suo privari.

Si autem incommodum spirituale subditi nullam, vel non sufficientem admittat moram, non peccabit tunc Parochus Sacramentum administrando, si pro posse suo pœniteat; si autem antea præviderit hujusmodi necessitatem (qualis ferè semper imminet Parochis) et superiorem pro absolutione accedere neglexerit, jam tunc peccatum incurrit propter periculum, cui se voluntariè exposuit.

IX. Notandum, quòd excommunicatus toleratus non possit se ultrò ingerere ad Sacramentum aliquod ministran-

dum; sed quantùm potest, tenetur se substrahere; imò à tali illicitè peteretur Sacramentum, quando alius adest, vel facilè haberi potest; quia capitulum *ad vitanda* merè intendit favere ipsi petenti Sacramentum, et nullo modo Ministro malo: unde juxta Suarez et alios communiter contra Patrem Pauwels malè faceret fidelis petens Sacramentum ab hujusmodi excommunicato, dum alius adest, &c.

Licèt hactenus plura ita generaliter dicta sint, particularia tamen hinc et inde consideranda sunt; quantò enim plus irrogatur irreverentiæ, vel scandalum timetur, tantò major debet esse causa. Imò quandoque nulla poterit esse sufficiens causa: ut in causa Sancti Hermenegildis, qui meritò recusavit Communionem recipere ab Episcopo Ariano, cùm ejus impius pater hoc exigeret in signum professionis Arianæ.

N. 39. DE INTENTIONE NECESSARIA EX PARTE MINISTRI.

S. Thom. quæst. 64. *art.* 8. *et* 10.

I. *Ad valorem Sacramenti requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia.* II. *Intentio ex parte subjecti.* III. *Est quadruplex.* IV. *Actualis.* V. *Virtualis.* VI. *Habitualis.* VII. *Et interpretativa.* VIII. *Non sufficit habitualis.* IX. *Nec interpretativa.* X. *Actualis est optima.* XI. *Sed virtualis sufficit.* XII. *Ut in exemplis.*

An ad validam confectionem Sacramenti requiritur intentio in Ministro?

I. R. Affirmativè: scilicet illa intentio faciendi quod facit Ecclesia: ita ut Sacramentum mimicè et irrisoriè, vel ab amente, ebrio vel alio rationis impote collatum sit nullum.

Hanc Doctrinam tradit Conc. Florent. (vide num. 4.) et similiter Trid. sess. 7. can. 11. *de Sacramentis:* "Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit."

Hujus primaria ratio petitur ex institutione Christi, quæ constat imprimis ex traditione.

Deindè etiam colligi potest ex verbis et modo, quibus Christus Sacramenta instituit, v. g. dum dixit: *Quorum remiseritis peccata...et quorum retinueritis*, &c. quæ verba supponunt, Ministrum ex proposito et deliberatione Sacramenta conferre.

Confirmatur ex ratione S. Thomæ hìc a. 8. in *Corp.*: "Quando aliquid se habet ad multa, oportet, quòd per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat: ea verò, quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimodè agi; sicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptismo, potest ordinari et ad munditiam corporalem, et sanitatem corporalem, et ad ludum. Et ideo oportet, quòd determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum per intentionem ablaentis."

Qualis requiritur intentio ex parte subjecti seu Ministri?

II. R. Notandum, quòd intentio sit actus voluntatis tendentis in finem: unde intentio necessaria in Ministro consistit in actu ejus voluntatis, quo vult actionem externam Sacramenti sub ratione faciendi quòd facit Ecclesia.

III. Intentio autem illa ex parte subjecti distingui potest quadruplex, scilicet actualis seu formalis, virtualis, habitualis et interpretativa.

Quænam dicitur intentio actualis?

IV. R. Est præsens et actualis animi applicatio ad id, quòd deliberatè agitur.

An hæc requirit, ut quis corde vel ore formaliter dicat: intendo, volo hoc facere, &c. v. g. intendo baptizare, consecrare, &c.?

R. Negativè; sed sufficit, quòd ad ministranda Sacramenta vocatus, et ad illa se accingens, reverenter incipiat contrectare materiam, &c. Hæcque intentio erit actualis implicita, seu in actu exercito.

Imò improbandæ sunt scrupulosæ illæ reflexiones super ipsa intentione, utpote quæ impediant devotionem, et super ipso objecto actûs diminuant attentionem.

V. *Virtualis* est illa qua quis vi intentionis actualis ante habitæ, et moraliter adhuc perseverantis, suî compos applicat se ad agendum, et in actione progreditur, sed ob aliquam mentis evagationem non advertit intentionis suæ objectum sive id, quod facit.

VI. Intentio *habitualis* consistit in dispositione quadam solùm habituali: qualis est voluntas præterita interrupta,

em dispositio voluntatis, quæ nec actualiter est, nec nquam fuit, sed quæ eliceretur, si hoc vel illud menti ccurreret.

VII. *Interpretativa* dicitur ea, quæ non procedit à voıntate ut principio eliciente, sed solùm ut effectus voluntarius in causa juxta interpretationem moralem: qualis est ., g. in ebrio, qui novit, se in ebrietate solitum facere ctiones sacramentales. His præmissis:

VIII. Intentio habitualis ad perfectionem Sacramenti on est sufficiens: quia hæc non sufficit ad actum humanum, imò propriè non est intentio.

Obj. S. Thom. hìc art. 8. ad 3. dicit: " Licèt ille, qui liud cogitat, non habeat actualem intentionem, tamen habet intentionem habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti."

R. Quòd per intentionem habitualem intelligat S. Thomas virtualem, ut patet ex contextu; nam subjungit: " Puta, cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actûs cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum." Ubi evidens est, particulas has *ex virtute primæ intentionis* significare intentionem virtualem.

IX. Nec etiam sufficit interpretativa; quamvis enim ex voluntate præcedenti actio Sacramentalis sic possit esse voluntaria ut effectus in causa, tamen hìc et nunc non exercetur à Ministro ut ab agente rationali.

X. Intentio verò actualis certò sufficit, cùm sit optima. Hæc, licèt non sit necessaria, studiosè tamen ad illam conari debet Minister, ut docet S. Thom. art. 8. ad 3. " sed hoc (prosequitur) non est totaliter positum in hominis potestate: quia per intentionem, cùm homo vult multùm intendere, incipit alia cogitare, juxta illud Ps. 39. *Cor meum dereliquit me.*"

XI. Sufficit ergo, et ut minùs requiritur intentio virtualis: quia hæc dicitur virtualis, quæ vi actualis præcedentis influit in actum, et proinde sufficit ad actum humanum.

XII. Unde ille, qui advertenter ivit ad Baptisterium, Confessionale, Altare, &c. ministraturus, validè baptizat, absolvit, consecrat, &c. licèt tempore ministerii distractus foret.

Pariformiter loquendum de Sacerdote, qui super corporale posuisset Hostias minores consecrandas, quamvis tempore Consecrationis de eis non cogitaret.

Similiter dic de Parocho, qui mediâ nocte excitatus ad mox ministrandum Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, &c. sic semi-dormiens currit ad Baptisterium, &c. et ita adhuc turbatus Sacramentum ministrat.

N. 40. DE INTENTIONE NECESSARIA MINISTRI EX PARTE OBJECTI.

I. *Facere quod facit Ecclesia est intentionis.* II. *Quod est.* III. *Quadruplex.* IV. *Non requiritur intentio effectus.* V. *Nec faciendi verum Sacramentum.* VI. *Et S. Th.*

I. LUTHERANI et Calvinistæ consequenter ad suum principium erroneum de Sacramentorum efficacia, quo volunt, Sacramenta non esse nisi signa, quibus in nobis excitatur fides, quâ justificamur, docent, ad valorem Sacramenti sufficere, ut res et verba ponantur, qualiscumque sit intentio Ministri; quia ad excitandam fidem non desinunt esse apta.

Hunc errorem proscripsit Tridentinum superiori Num. 1. citatum docens, requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Quotupliciter distingui potest objectum intentionis faciendi quod facit Ecclesia?

Resp. Quadrupliciter: unde et talis intentio etiam est quadruplex.

1°. Intentio faciendi merè actionem externæ cæremoniæ, quasi materialiter, sumptæ, sine ulla voluntate personali faciendi Sacramentum, vel quod facit Ecclesia: unde hæc vocari solet intentio merè externa.

2°. Intentio potest esse non tantùm exteriùs faciendi ritum externum, sed etiam intùs et animo faciendi generatim quod facit Ecclesia, quidquid interim Minister sentiat de ipsa Ecclesia. Hæc intentio dicitur interna.

3°. Intentio faciendi veri nominis Sacramentum, ut facit Ecclesia Romana.

4°. Intentio conferendi effectus Sacramentales. Deinde quadruplex illa intentio potest esse particularis, sive expli-

cita et expressa, vel generalis, sive implicita et confusa: deinde etiam absoluta vel conditionata. De quibus Num. 41. et seq.

Quænam intentio ex quatuor prefatis requiritur et sufficit ad valorem Sacramenti?

Resp. Imprimis non requiritur quarta, sed sufficit, etiam cum voluntate non conferendi effectum, intentio, quâ simpliciter ac generatim vult facere quod facit Ecclesia; effectus enim non spectat ad essentiam Sacramenti, sed illud, quantùm est de se, necessariò consequitur. Vid. S. Thom. art. 6. ad 1.

Hinc quamvis hæretici negent, per Sacramenta conferri gratiam, validè tamen baptizant, &c.

Sic etiam Paganus, licèt non credat Baptismum aliquid operari posse, baptizat tamen valide: modò formam Ecclesiæ, &c.

Deinde nec requiritur tertia, seu intentio conficiendi veri nominis Sacramentum, vel faciendi quod facit Ecclesia Romana, ut dicitur Numero sequenti.

An sufficit prima, seu intentio merè externa, licèt in animo dicat Minister: nolo conficere Sacramentum?

Resp. Negativè: sed insuper requiritur interna, sive ut Minister actum externum ponat, intendens per illum, saltem implicitè, facere Sacramentum, seu quòd facit Ecclesia. Patet ex Conciliis Florentino et Tridentino, quæ præter materiam et formam, requirunt in Ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia, atqui qui solùm ponit exteriùs materiam et formam non habet intentionem faciendi, sed tantùm simulandi, quod facit Ecclesia: ergo, &c.

Hinc Alexander VIII. damnavit hanc propositionem 28.: "Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat; intùs verò in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia."

Deinde S. Thom. (quem quidam contrarium putant) hâc quæst. 64. art. 10. dicit: "Intentio Ministri potest perverti dupliciter: uno modo respectu ipsius Sacramenti: putà cùm aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere: et talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exteriùs manifestat."

Dicit: *Præcipuè quando suam* &c. ergo etiam, si exteriùs eam non manifestet, et omnia seriò peragat: cùm autem ulteriùs dicat, intentionem Ministri etiam posse perverti per hoc, quòd abutatur v. g. Baptismo ad finem malum, evidenter innuit S. Thom. se utrobique agere de intentione personali Ministri.

Obj. Una ex rationibus, quare non requiratur probitas in Ministro, est, ne dubium sit Sacramentum: ergo ob eandem rationem non requiritur intentio interna Ministri.

Resp. Neg. conseq. Præterquam quòd utrumque dependeat à positiva voluntate Christi, magnum inter utrumque est discrimen; cùm etiamprobitas Ministri non tantùm sit occulta, sed etiam valdè incerta, et de qua nec ipse Minister certus est omninò (nemo enim scit, an odio, an amore dignus sit); si illa igitur essentialiter requireretur, tolleretur certitudo moralis de valore Sacramenti.

Tolleretur quantùm autem ad intentionem, cùm illa quasi sponte habeatur, et in hoc puncto à Ministris vix erretur nisi planè deditâ operâ malignantibus, sic necessitas intentionis certitudinem moralem minimè impedit: adeoque non minùs congruè potuit eam Christus requirere, et requisivit, quàm debitam materiæ et formæ applicationem, et legitimam Ministri potestatem, licèt ex eorum defectu occulto eadem sequantur incommoda.

Cæteras objectiones vide apud Authores.

Notat Steyaert, quòd de intentione parùm disertè egerit antiquitas; speculativè quidem, quia diu nulli circa hoc orti sunt errores, practicè vero, quia ut mox dictum est. vix à Ministris hic errari potest nisi planè deditâ operâ malignantibus.

N. 41. DE INTENTIONE EXPLICITA ET IMPLICITA CONFICIENDI SACRAMENTUM.

I. *Sufficit intentio implicita.* II. *Quam non excludit error circa Sacramentum.* III. *Vel circa Ecclesiam.* IV. *Nec intentio contraria erronea.* V. *Vel abutendi Sacramento.* VI. *Intentio debet esse determinata.* VII. *Saltem quoad materiam præsentem.*

An ad perfectionem Sacramenti requiritur intentio

articularis, seu explicita et expressa faciendi Sacramentum, el faciendi quod facit Ecclesia Romana?

I. R. Negativè: sed sufficit intentio generalis implicita t confusa, sufficienter determinans ea, quæ exteriùs agun-ur, ad esse sacramentale.

II. Hinc S. Thom. in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. uæstiunculâ 2. ad 1. dicit: " Quamvis ille, qui non credit, laptismum esse Sacramentum, aut habere aliquam spiritu-lem virtutem, non intendit, dum baptizat, conferre Sa-ramentum; tamen intendit facere quandoque, quod facit Ecclesia, etsi illud reputet nihil esse: et quia Ecclesia ali-uid facit, ideo ex consequenti et implicitè intendit ali-uíd facere quamvis non explicitè."

III. Similiter non requiritur, ut Minister explicitè inten-at facere quod facit Ecclesia Romana; sed sufficit ut mpliciter et generatim velit facere quod Christus instituit, el quod facit vera Ecclesia, quæcumque illius sit sententia e Ecclesia: ut declarat praxis Ecclesiæ ratum habentis laptisma Hæreticorum. Cùm enim vera Ecclesia sit sola Romana, et hæc faciat veri nominis Sacramentum, sic in-ntione illâ generali continetur intentio implicita faciendi uod facit Ecclesia Romana.

Sed quid, si haberet duas intentiones repugnantes, . g. Hæreticus baptizat intendens facere quod Christus stituit, aut quod facit sua Ecclesia, sed non quod facit Ecclesia Romana?

IV. R. Talis moraliter loquendo validè baptizabit: quia, on obstante illâ voluntatum contrarietate ex ignorantia ut errore conceptâ, habetur intentio absoluta generalis iciendi, quod Christus instituit, vel quod facit vera Eccle-a, qualem putat esse suam. Aliud tamen foret, si ita stringeret intentionem, ut absolutè nollet facere quod hristus instituit, si idem quoque faceret Ecclesia Romana; d talis restrictio est extraordinaria.

An ad perfectionem Sacramenti requiritur in Ministro ntentio recta?

V. R. Modò habeatur recta intentio respectu Sacramenti, ve intentio saltem implicita faciendi Sacramentum, vali-um erit Sacramentum, licet ulterior intentio recta non sit: ide docet S. Thom. hâc quæst. 64. art. 10. in *Corp.* " Si cerdos intendat aliquam feminam baptizare, ut abu-

tatur eâ, vel si intendat conficere Corpus Christi ut eo ad veneficia utatur. Et quia prius non dependet à posteriore, indè est quòd talis intentionis perversitas veritatem Sacramenti non tollit, sed ipse Minister ex tali intentione graviter peccat."

An intentio Ministri debet esse determinata quoad certam personam vel materiam?

VI. R. Affirmativè, ut patet ex ipsis formis Sacramentorum: sic per *ego te baptizo, ego te absolvo*, certa et determinata persona designatur, et in forma Eucharistiæ pronomen *hoc* designat determinatam materiam consecrandam.

VII. Hinc in Missali Romano, ubi de defectibus Missæ, §. 7. sic legitur: "Si quis habeat coram se undecim Hostias, et intendat consecrare solùm decem, non determinans, quas decem intendit, non consecrat in his casibus, quia requiritur intentio." Non enim dari potest ratio, quare in casu una consecrata potiùs foret, quàm altera.

Quid si quis putet, tantùm esse 10 Hostias, et essent 11; vel se tenere unicam, et tenet duas?

R. Omnes regulariter erunt consecratæ; quia habet intentionem consecrandi id, quod ante se positum est, sive ejus intentio fertur simpliciter in materiam præsentem.

Et sic ordinariè intelligi debet, nempe intentionem Ministri dirigi ad materiam personamve præsentem simpliciter: unde si putet, se baptizare masculum, et est femina, vel se absolvere Joannem, et est Petrus, validum conficiet Sacramentum: quia intentio ejus fertur (ut solet et debet) in præsentem, quiscumque sit. Aliud tamen foret, si restringeret suam intentionem ad hanc determinatam personam, et nullo modo ad aliam.

N. 42. DE INTENTIONE CONDITIONATA.

I. *Conditionata intentio subsistens.* II. *De præterito vel præsenti non officit Sacramentum.* III. *Sed dum est de futuro.* IV. *Excepto fortè Matrimonio.* V. *Non tamen Pœnitentiâ.* VI. *Nunquam licet conditionem apponere.* VII. *Sinè justa causa.*

INTENTIO absoluta est illa, ubi nulla ponitur conditio; quæ si apponatur, erit conditionata. Est autem triplex *conditio*, de præterito scilicet, de præsenti et de futuro.

An ad valorem Sacramenti sufficit intentio conditionata?

R. Sufficit sola illa, quæ æquivalet absolutæ.

II. Quid ergo facit intentio conditionata de præterito vel præsenti?

R. Si tunc verificetur conditio, valet Sacramentum; si verò non subsistat non perficitur Sacramentum, idque defectu intentionis: nam voluntas sub conditione, eâ non subsistente, etiam non subsistit.

III. Quid de intentione propriè conditionata de futuro?

R. Cum tali intentione Sacramentum est nullum, excepto fortè Matrimonio: ratio est, quòd illa conditio impediat moralem unionem inter intentionem Ministri et applicationem materiæ et formæ: suspendit enim præsentem intentionem, et facit, ut Minister in præsenti non habeat voluntatem conficiendi Sacramentum: postmodum autem purificatâ conditione, etiam Sacramentum non subsistit: quia tunc non ampliùs existent materia et forma.

IV. Dictum est *excepto fortè Matrimonio:* quia cùm matrimonium sit contractus, in sententia illorum, qui dicunt, contrahentes esse Ministros, cum purificatur conditio, censentur tunc moraliter adesse materia et forma. In aliâ verò sententia manet paritas cum cæteris Sacramentis.

V. Obj. Absolutio Sacramentalis assimilatur sententiæ judiciali; atqui hæc potest subsistere cum conditione de futuro: ergo et Sacramentum Pœnitentiæ.

R. Est similitudo quoad aliqua, sed non quoad omnia: sententia enim judicialis etiam fit scripto, in absentem, nolentem, &c. non verò Sacramentalis: præterea noluit Christus fieri Sacramentum, nisi simul essent intentio, materia et forma.

Quid si quis baptizaret sub hac vel simili conditione: *Ego te baptizo, &c. si sis prædestinatus:* an validè baptizabit, supposito, quòd sit prædestinatus?

Resp. Sylvius ait, partem negativam esse verisimiliorem; quia talis conditio est omnino aliena ab humana cognitione: alii tamen affirmant; quia in supposito omnia essentialia adsunt.

VI. Ex dictis collige, quòd apponere Sacramento conditionem de futuro semper sit grave sacrilegium: quia exponitur Sacramentum periculo nullitatis.

VII. Deinde nec licitum est apponere conditionem de præterito vel præsenti sinè rationabili causa, ut infra videbitur suis locis.

N. 43. QUIBUS SACRAMENTA SINT DISPENSANDA.

I. *Non licet ministrare Sacramenta.* II. *Peccatori publico.* III. *Sæpe tamen licet si occultus publicè petat.* IV. *Numquam licet Sacramentum simulare.* V. *Ut est damnatum.*

LICETNE Sacramenta ministrare indignis ?

Resp. Id per se est grave peccatum sacrilegii, infidelitatis et scandali : sacrilegii quidem, inquantùm datur sacrum profanandum ; infidelitatis verò, quia agitur contra officium boni dispensatoris ; et scandali, quatenùs cooperatur peccato proximi.

An in omni Sacramento requiritur in Ministro æquè exacta notitia dispositionis suscipientis ?

R. Negativè ; in Sacramento enim Pœnitentiæ præ cæteris major requiritur, cùm Minister ibi sit judex ; in Sacramento autem Ordinis (quod plus spectat bonum commune, quàm privatum) et Matrimonii, præmittendæ sunt inquisitiones juxta formam à Tridentino præscriptam : in Baptismo adultorum inquirendum circa fidem, &c. juxta Trid. sess. 6 ; non item sic in cap. 6. cæteris Sacramentis, ubi quis extrinsèriùs reverenter accedens præsumitur bonus, nisi de contrario constet.

An omnibus, qui sciuntur indigni, Sacramenta sunt denegan da ?

II. R. Nullum Sacramentum (inquit Pastorale) conferendum etiam suo subdito, excommunicato, vel existenti in peccato mortali notorio, id est, publicè indigno ; sive publicè, sive occultè petat.

Si verò peccator sit occultus, tunc ipsi occultè petenti etiam sunt deneganda ; modo tamen Minister hoc aliter sciat quàm ex confessione sacramentali.

III. Si tamen hic Sacramenta petat publicè, et sinè scandalo nequeat præteriri, ipsi dari debet Eucharistia, ut expressè docent Ritualia cum Sancto Thoma : et hoc cum proportione etiam locum habere debet in aliis Sacramentis scilicet Baptismo, Confirmatione, Extrema-Unctione et

Matrimonio. Hoc tamen non obtinet in Sacramento Pœnitentiæ, cujus administratio est occulta: nec etiam in Sacramento Ordinis, quod non est pro omnibus; sed electio ordinandorum est penes Ecclesiæ Rectores.

An quandoque licet (v. g. ad avertendum sacrilegium suscipientis) stmulare Sacramentum, v. g. Hostiam non consecratam porrigendo, pro absolutione dando benedictionem, &c.?

IV. R. Hoc semper est grave peccatum, utpotè mendacium sacrilegum, redundans in gravem injuriam Christi et Sacramenti; facto enim suo talis dicit, se in Nomine et Persona Christi v. g. absolvere cùm sciat hoc non fieri; deinde in Hostiæ non consecratæ porrectione Minister, quantùm in se est, facit idolatrare præsentes: nec etiam suscipiens per hoc excusabitur à peccato sacrilegii, cùm ipse putet, se suscipere Sacramentum.

V. Unde etiam condemnata est ab Innocentio XI. hæc propositio 29. *Urgens metus gravis est justa causa Sacramentorum administrationem simulandi:* sicut enim in anterioribus damnatur restrictio mentalis in verbis, ita hìc in factis.

Notari merentur hæc verba Steyaertii in appendice *de Sacramento Pœnitentiæ:* huc pertinet, quòd circa praxim confitentium sæpe, et sola venialia, ac penè semper eadem, saltem nunquam sint ignaris, seseque absolvi putantibus, pro thesauro carbones, ut aiunt, seu pro absolutione verba alia per simulationem obtrudenda.

Probanda tamen est, inquit idem *in damnatas*, Confessariorum praxis in casu, quo ob causas absolutio dari non posset, dantium pœnitenti benedictionem, ne suspicionem apud alios incurrat, ita tamen ut ipse pœnitens noverit, se non absolvi.

N. 44. DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

I. *Subjectum est homo viator.* II. *Non omnis respectu omnium.* III. *Subjectum singuli Sacramenti.*

QUISNAM est Sacramentorum subjectum?

I. Resp. De Lege Dei ordinaria est solus homo viator: hujus ratio petitur tum ex voluntate Christi instituentis, tum quòd Sacramenta sint instituta ad salutem hominis, et in remedium peccati.

II. Non tamen omnis homo capax est cujuslibet Sacramenti: cujus ratio petitur tam ex voluntate Christi, quàm ex natura rei: et ita non baptizatus incapax est aliorum Sacramentorum, feminæ respectu Ordinis, infantes et perpetuò amentes respectu Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis et Matrimonii.

Quisnam ergo est capax singuli Sacramenti?

III. R. Subjectum capax Baptismi est homo viator non baptizatus.

Confirmationis, homo viator baptizatus necdum confirmatus.

Eucharistiæ est homo viator baptizatus.

Pœnitentiæ est homo viator, qui post Baptismum peccavit.

Extremæ-Unctionis est homo viator baptizatus, ratione saltem aliquandò usus, periculosè infirmus, qui necdum in eodem illo periculo suscepit Unctionem.

Ordinis est homo viator baptizatus, masculus, necdum illo Ordine insignitus.

Sacramenti denique Matrimonii est homo viator baptizatus, habilis ad contractum matrimonialem.

N. 45. DE DISPOSITIONE NECESSARIA IN SUSCIPIENTE.

I. *Nulla in parvulis requiritur dispositio ad valorem Sacramenti.* II. *Sed requiritur intentio.* III. *In utentibus ratione.* IV. *Positiva suscipiendi Sacramentum.* V. *Sufficit tamen actualis non retractata.* VI. *Alia tamen in Sacramento Pœnitentiæ* VII. *et Matrimonii,* VIII. *Dispositio pro fructu Sacramenti.*

I. QUANTUM ad parvulos et perpetuò amentes patet necessariam non esse in illis dispositionem, sive ad valorem, sive ad fructum Sacramentorum, quorum sunt capaces: unde quæstio tantùm instituitur de iis, qui ratione utuntur, vel aliquando saltem illâ usi sunt.

De iis, qui quandoque habuerunt usum rationis, sed jam eo carent, judicanda est dispositio secundùm voluntatem et dispositionem, quam habuerunt sanæ mentis existentes.

Observandum tamen, quòd, si aliquando habeant lucida intervalla, tunc Sacramentum eis non sit ministrandum

extra necessitatem, nisi dum mentis compotes sunt: prout expressè præscribunt Ritualia de Baptismo talium adultorum.

Quænam ergo in suscipiente requiritur dispositio ad valorem Sacramenti?

II. R. Imprimis in suscipiente Sacramentum Eucharistiæ requiritur voluntas recipiendi hoc Sacramentum in ordine ad ejus effectum, non autem ad valorem: quia cùm consistat in re permanente, independenter à quavis intentione remanet Sacramentum: in aliis autem Sacramentis necessaria est intentio interna ad valorem Sacramenti: III. ratio à priori est voluntas Christi, quæ nobis innotescit ex doctrina et praxi Ecclesiæ, communique Doctorum sententia. Ita particulariter *de Baptismo* S. Th. infra quæst. 68. art. 7.

IV. Itaque intentio seu voluntas neutralis nec consentiens nec dissentiens, et à fortiori voluntas reluctans non sufficit; sed requiritur aliqua voluntas positiva, seu, ut loquuntur Ritualia, ut aliquod suscipiendi Sacramenti desiderium ostenderit.

Qualis debet esse ista intentio?

R. 1°. Si consideretur ex parte objecti, requiritur talis, qualis est in Ministro Sacramenti.

2°. Si consideretur ex parte subjecti seu recipientis Sacramentum, non requiritur in illo intentio ejusdem actualitatis, ac in Ministro.

V. Sufficit itaque intentio non tantùm actualis et virtualis, verùm etiam quodammodo habitualis, quam alii vocant latè virtualem, ea scilicet, quæ coincidit cum actuali non retractata, licèt jam virtualiter, propriè non perduret. Constat id ex praxi Ecclesiæ administrantis Sacramenta in amentiam lapsis, vel aliter usu rationis destitutis; modò si nihil aliud obstet) aliquando Sacramenti suscipiendi desiderium ostenderint, etiam solùm in genere, quale habetur v. g. in vita christianè peracta.

VI. Notant tamen Preinguè et Billuart, aliam requiri voluntatem ad Sacramentum Pœnitentiæ, quam ad alia Sacramenta: quia cùm actus Pœnitentis sint pars essentialis ejus Sacramenti, sic debent virtualiter permanere et connexi cum forma absolutionis: hinc, inquiunt, quamvis baptizandus foret, qui ab anno in amentiam incidit, tunc itensâ voluntate suscipiendi Baptismum; non tamen similis ret absolvendus: quia nulla est moralis connexio inter ontritionem ab anno præterito cum præsenti absolu-one.

VII. Similiter in Sacramento Matrimonii, quod supponit contractum validum, non sufficit mera illa intentio actualis non retractata.

An præter intentionem adhuc alia requiritur dispositio in suscipiente ad valorem Sacramenti?

R. Negativè, præterquam in Sacramento Pœnitentiæ, ad quod requiruntur contritio, &c. tanquam ejus partes materiales.

VIII. Quænam in adulto requiritur dispositio pro fructuosa Sacramenti susceptione?

R. Si sit Sacramentum mortuorum, non requiritur status Gratiæ, sed sufficit contritio, &c. ut suis locis dicetur.

In suscipiente autem Sacramentum vivorum per se requiritur status Gratiæ, ita ut sibi conscius peccati mortalis præviè teneatur ad confessionem pro suscipienda Eucharistia: quod et de aliis Sacramentis vivorum, practicè saltem, etiam certum est. Vide supra Num. 37.

N. 46. DE NUMERO SACRAMENTORUM.

S. Thom. quæst. 65. art. 1. et 2.

I. *De fide est, septem præcisè esse novæ legis Sacramenta.* II. *Ex traditione divina.* III. *Et insinuatur in Scriptura.* IV. *Congruentia numeri septenarii.*

QUOT sunt Sacramenta novæ Legis?

I. R. Dogma Catholicum est, definitum in Concilio Florentino, et similiter in Tridentino sess. 7. can. 1. *de Sacramentis:* "Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verè et propriè Sacramentum: anathema sit."

II. Hujus ratio primaria habetur ex voluntate Christi, de qua nobis constat ex traditione divina, et quam cum Ecclesia Latina etiam semper agnovit Græca, sæpe licèt in aliis punctis dissentiens.

III. Insinuatur etiam septenarius ille numerus per varia Scripturæ loca: sic Prov. 9. dicitur *Sapientia*, quæ est

Christus, *ædificasse sibi domum*, id est Ecclesiam, *et excidisse columnas septem*, nimirum septem Sacramenta, quæ totidem veluti columnæ sustentant Ecclesiam.

Sic similiter Exodi 25. per septem lucernas, quæ erant in uno candelabro, hoc insinuatur: septem enim Sacramenta totidem velut lucernæ sunt, quæ Ecclesiam illuminant.

Obj. I. S. Augustinus et alii sancti Patres referunt pauciora, quàm septem: ergo, &c.

R. Non ideo tunc excludunt cætera, sed solummodo ad suum propositum de aliquibus Sacramentis mentionem faciunt, de aliis nil dicentes. Dum autem quidam SS. Patres videntur plura quàm septem admittere, tunc Sacramenta non accipiunt strictè, sed sensu quodam latiori pro quocumque Signo Sacro.

Obj. II. Sunt septem Ordines, et quilibet etiam Ordo minor probabiliter est Sacramentum: ergo sunt plura, quàm septem.

R. Nego conseq. dum enim Catholici docent, tantùm esse septem Sacramenta, sumunt Sacramentum secundùm genus, ita ut sensus sit, tantùm esse septem Sacramenta genericè diversa, seu quæ ad diversos genere fines referuntur. Cùm autem septem Ordines ad unum ordinentur, scilicet, Sacerdotium, dicuntur unum genericè Sacramentum. De hoc iterum in Tract. *de Ordine*.

IV. Demonstra, convenienter septem Sacramenta à Christo Domino esse instituta?

R. Rationem cum S. Thom. dat Catechismus Romanus parte 2. num. 18. his verbis: " Cur autem neque plura, neque pauciora numerentur, (quàm septem) ex iis etiam rebus, quæ per similitudinem à naturali vita ad spiritualem transferuntur, probabili quadam ratione ostendi poterit. Homini enim ad vivendum vitamque conservandam, et ex sua reique publicæ utilitate traducendam, hæc septem necessaria videntur: ut scilicet in lucem edatur, augeatur, alatur; si in morbum incidat, sanetur; imbecillitas virium reficiatur; deinde quod ad rempublicam attinet, ut Magistratus nunquam desint, quorum authoritate et imperio regatur: ac postremo legitimâ sobolis propagatione seipsum et humanum genus conservet. Quæ omnia quoniam vitæ, quâ anima Deo vivit, respondere satis apparet, ex iis facilè Sacramentorum numerus colligetur: sic enim

per Baptismum homo Christo renascitur, &c." Vide ulteriùs Catechismum Romanum et supra Num. 22.

Eâdem ratione ostendit S. Th. art. 2. septem Sacramenta præfato ordine congruè recenseri.

N. 47. DE COMPARATIONE SACRAMENTORUM AD INVICEM.

S. Thom. quæst. 65. art. 3. et 4.

I. *Est quadruplex ordo Sacramentalis.* II. *Scilicet Ordo relativus.* III. *Ordo dignitatis.* IV. *Ordo necessitatis.* V. *Et prioritatis.*

I. QUOTUPLEX est ordo seu comparatio inter septem novæ Legis Sacramenta?

R. Distingui potest quadruplex scilicet ordo relativus, dignitatis, necessitatis et prioritatis.

II. Quis dicitur ordo relationis seu relativus?

R. Ordo dicitur relativus per respectum ad proprios Sacramentorum fines, quatenùs ordinantur ad vitam spiritualem, ad similitudinem vitæ naturalis; unde ordine relativo primus est Baptismus; deinde Confirmatio, prout Numero præcedenti recensentur.

III. Quis inter Sacramenta est ordo dignitatis?

R. Longè et absque comparatione omnium dignissimum est Sacramentum Eucharistiæ: cùm in hoc Sacramento contineatur ipse Christus substantialiter, in aliis tantùm virtus quædam instrumentalis à Christo participata.

Deinde, ut ait Trid. sess. 13. cap. 3. " Reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est."

Duas insuper alias rationes tradit S. Thomas art. 3. scilicet quòd reliqua Sacramenta ad Eucharistiam ordinentur, et in illa consummentur.

Inter alia verò Sacramenta unum altero dignius est *secundum quid*: aliud ratione necessitatis, aliud ob excellentiam Ministerii, aliud ob excellentias secundùm quosdam effectus &c. Et sic Baptismus excellit quantùm ad necessitatem, etiam quantùm ad effectum deletionis omnis pœnæ. Confirmatio et Ordo quantum ad viam perfectionis, &c.

. 4. docet S. Thom. (quod postea definivit Trid. sess. 1. 4. *de Sacramentis*) Sacramenta novæ Legis esse utem necessaria, non superflua; etsi non omnia singu- ; patet de Ordine et Matrimonio.

. Quis igitur inter Sacramenta est ordo necessitatis? cum S. Th. art. 4. aliquid necessarium dici respectu lupliciter: uno modo, sinè quo non potest haberi finis, necessarius est cibus respectu vitæ humanæ: alio modo, uo non habetur finis ita convenienter, seu quod valde est; ita equus dicitur necessarius ad iter.

ori itaque modo maximè omnium et absolutè neces- n est Sacramentum Baptismi: et sic etiam Sacramen- 'œnitentiæ, supposito peccato mortali post Baptismum. duo, ait S. Thom. sunt necessaria respectu singulorum: verò est simpliciter necessarius toti Ecclesiæ: quia *on est Gubernator, populus corruet,* ut dicitur 11.

steriori modo necessaria sunt Sacramenta Confir- nis, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis: et idem est acramento Matrimonii in supposito quòd quis ineat monium.

tro alia est necessitas medii, alia præcepti tantùm: alia pti divini, alia ecclesiastici; alia præcepti *per se*, alia *ccidens*, &c.

ic fusiùs suis locis.

An in Sacramentis suscipiendis observari debet ordo atis?

Alius est ordo prioritatis quoad valorem: et hic tan- st respectu Baptismi ad alia Sacramenta. Alius est cessitate præcepti tantùm; sive ut quis non solùm , sed et licitè Sacramentum suscipiat: et sic debet rmatio præcedere Ordinem, Ordo inferior superiorem, cramentum Pœnitentiæ à relapsis præmitti debet tioni Sacramenti vivorum.

N. 48. DE CÆREMONIIS ET SACRAMENTALIBUS.

S. Thom. quæst. 66. art. 10. et quæst. 71.

I. *Cæremonia.* II. *Sacramentale.* III. *Ecclesia potest instituere cæremonias, &c.* IV. *Quæ debent observari.* V. *Sub peccato ex genere suo gravi.* VI. *Utilitates cæremoniarum.*

I. QUID est cæremonia?

R. Est ritus religiosus, sive pertinens ad Dei cultum: vel, ut alii, est actus externus Religionis.

II. Quid est Sacramentale?

R. Est res religioso ritu consecrata, ipseque ritus: *res*, v. g. Aqua benedicta, Agnus Dei, &c.: *ritus*, v. g. signum Crucis, exorcismus, insufflatio, &c.

Sacramentorum cæremonia seu ritus hic intelliginus, quatenùs distinguuntur à Sacramentis, (quæ ipsa alioquin cæremoniæ quædam sunt, et ritu aliquo perficiuntur) sed tamen Sacramentis adhærent, quæque etiam Sacramentalia vocari possunt: intelliguntur etiam quædam alia, ut Aqua benedicta, Agnus Dei, &c. ob similitudinem, quam habent cum Sacramentis.

III. Probatur autem Ecclesiæ competere potestatem cæremonias, &c. instituendi ab ipso exemplo Apostolorum, Actor. 15. novam cæremoniam instituentium, nempe ut gentiles ad fidem conversi abstinerent à sanguine et suffocato, quod tamen non obligabat in nova Lege.

Probatur deinde ex authoritate Ecclesiæ, et vetustate cæremoniarum et Sacramentalium, juxta consuetudinem Patrum et testimonia eorum: quam etiam authoritatem verisimillimè, ait Steyaert, demonstrat locus Script. 1. Petr. 3. v. 21. *Non carnis depositio, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Vide Concilium Trid. sess. 21. cap. 2. *de Eucharistia.*

Denique etiam à ratione probatur, scilicet ex finibus, utilitatibus cæremoniarum, &c. ut mox videbitur.

An est obligatio observandi cæremonias ab Ecclesia præscriptas?

R. Affirmativè: etiam seposito scandalo. Vide Trident. sess. 7. can. 13. *de Sacramentis*, et sess. 22. can. 7.

Illa autem obligatio est ex genere suo gravis : unde extra necessitatem illas in gravi re omittere est peccatum mortale, veniale, si sit in re levi sinè contemptu, &c.

Dum autem propter necessitatem omissæ fuerunt, tunc illâ cessante postea supplendæ sunt : et hinc patet, quanti illas faciat Ecclesia.

Quænam sunt utilitates cæremoniarum Sacramentalium ?

R. S. Thomas quæst. 65. art. 10. occasione Rituum Baptismi illas reducit ad hæc capita.

1°. Ad majestatem et reverentiam Sacramentis concilandam, quam nudè exhibita non haberent : ad hoc non parum conducit, si Minister graviter (ut debet) et cum sacro quodam decore, non per modum levis gesticulationis Ritus illos perficiat.

2°. Ad fidelium instructionem et devotionem ; homo namque per externa et sensibilia ad Spiritualia erigi solet, ad quod plurimùm conducet, si per occasionem illas explicet populo Minister.

3°. Ad vim dæmonis reprimendam, ne effectum sacramentalem impediat, seu et pleniùs hic effectus à suscipiente percipiatur, et firmiùs conservetur. Ad hoc facit, si Minister illos Ritus, præcipuè in orationibus et benedictionibus consistentes, magnâ devotione et spiritûs fervore peragat.

N. 49. DE EFFECTIBUS SACRAMENTALIUM.

I. *Inter varia Sacramentalia.* II. *Illa, quibus res benedicitur vel consecratur.* III. *Habent speciales effectus.*

1. SACRAMENTALIA sic dicta, quòd quamdam cum Sacramentis habeant similitudinem, alia serviunt instructioni, mysticæ significationi, piæ commemorationi, tanquam adminicula externa vel signa devotionis : alia ad solemnitatem et reverentiam Sacramenti, Sacrificii, &c. ; alia sunt instrumenta quædam divini Cultûs, &c.

Itaque cum non omnes cæremoniæ aliave Sacramentalia ordinentur ad eosdem fines et effectus, hinc nec omnibus iidem effectus conveniunt.

Quænam speciali ratione valent ad quosdam effectus peculiares ?

II. R. Hujusmodi, in quibus intervenit Benedictio aut Consecratio (idemque est de rerum benedictarum vel consecratarum usu) specialiter valent ad effectus illos, ad quos instituuntur; idque etiam per modum impetrationis, partim ex precibus Ecclesiæ, partim ex devotione Ministri vel subjecti: effectus autem, quos eâ ratione habent Sacramentalia, præsertim sunt sequentes.

1°. Excitatio piorum motuum Gratiæ per modum impetrationis.

II. 2°. Remissio peccatorum venialium, mediantibus his piis motibus, quibus elicitur pœnitentia expressa vel implicita.

Unde remissio peccatorum venialium non habetur immediatè ex opere operato (ut quidam falsò putant), sed solùm mediatè, quatenùs per illos pios motus homo conatur ad contritionem, &c.

3°. Remissio pœnæ temporalis per modum indulgentiæ aut operis satisfactorii.

4°. Effugatio et repressio dæmonis; idque non tantùm merè per modum impetrationis, sed etiam per modum imperii, ex peculiari potestate Ecclesiæ à Christo datæ adversùs dæmones.

5°. Sanitas corporalis, vel simile beneficium temporale; hic tamen effectus solùm obtinetur per modum impetrationis, loquendo directè et quasi per se: per accidens verò et removendo prohibens interdum obtineri solet, coërcendo dæmonum potestatem, &c. Hæc latiùs apud Bellarmin. et Suarez.

FINIS TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO BAPTISMI.

S. Thom. 3. *parte, à quæst.* 66. *ad* 72.

PROEMIUM.

I. *Instructio Eugenii IV. ad Armenos.* II. *Joan. c.* 3. *v.* 5. *Matth. c.* 28. *v.* 19.

POSTQUAM S. Thomas tradidit ea, quæ omnibus Sacramentis sunt communia, disputat de singulis in particulari; et primò quidem agit de Baptismo, qui ordine alia Sacramenta antecedit: quia est origo vitæ spiritualis, et janua, quâ in Ecclesiam intratur, et jus ad cætera Sacramenta acquiritur.

Quia autem perbrevem Synopsim et compendium continet instructio, quam de hoc Sacramento Eugenius IV. Papa dedit Armenis, hinc juvabit eam hìc præmittere; magnæ enim apud omnes est authoritatis; cùm ab universa Ecclesia probata et recepta sit: I. " Primum omnium Sacramentorum locum tenet S. Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. II. Et cùm per primum hominem mors introierit in universos; nisi ex aqua et Spiritu Sancto renascimur, non possumus (ut inquit Veritas) in Regnum Cœlorum introire. Materia hujus Sacramenti est aqua vera et naturalis; nec refert, frigida sit an calida. Forma autem est: *Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.* Non tamen negamus, quin et per illa verba:

**Baptizetur talis servus Christi in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti,* vel *Baptizatur manibus meis talis, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti,* verum perficiatur Baptisma: quoniam cùm principalis causa, ex quâ Baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit Minister, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio incumbit Baptizare. In casu autem necessitatis non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam Laicus vel mulier, imò etiam Paganus et Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat, quod facit Ecclesia. Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio: sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cœlorum et Dei visionem perveniunt."

N 1. DE VARIIS BAPTISMI ACCEPTIONIBUS ET FIGURIS.

I. *Vox* Baptisma *sumitur.* II. 1°. *literaliter pro ipsa lotione.* III. 2°. *metaphoricè.* IV. *Idque variis modis.* V. 3°. *Pro lotione cæremoniali et Baptismo Joannis.* VI. 4°. *Pro novæ legis Sacramento,* VII. *Quod variè nominatur.* VIII. *Et fuit præfiguratum.*

I. BAPTISMA, vox Græca, generatim significat ablutionem, et principaliter illam, quæ fit per quamdam immersionem.

Quadrupliciter autem sumitur potissimùm vox *Baptismus* in Scriptura Sacra.

II. 1°. Grammaticaliter seu litteraliter pro immersione vel intinctione: et quia, quæ lavantur, solent atquis immergi vel intingi, ideo Baptismus usurpatur pro lotione seu ablutione. Sic sumitur Judith cap. 12. v. 7. *Et exibat noctibus.. et baptizabat se in fonte aquæ.*

* Baptizatur.

III. 2°. Sumitur metaphoricè: imprimis pro passione et afflictione, quâ homo instar aquæ mergitur et absorbetur, et sic Lucæ cap. 12. v. 50. dicit Christus: *Baptismo habeo baptizari:* et inde etiam dicitur Baptismus flaminis et sanguinis. Item eodem sensu intelligi potest Apostolus 1. ad Cor. 15. v. 29. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* Id est, quid facient, qui immerguntur tristitiis et operibus pœnitentiæ pro refrigerio mortuorum?

IV. Alii tamen hunc locum aliter explicant: vide Estium.

Deinde sic etiam metaphoricè sumitur pro immersione in gaudiis per infusionem Donorum Spiritûs Sancti, ut Act. 1. v. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto;* etiam transitus maris rubri metaphoricè dicitur Baptismus 1. ad Cor. 10. v. 2.

V. 3°. Significat lotiones legales et cæremoniales Judæorum, quæ variæ reperiuntur in Scriptura Sacra: *legales* scilicet, ad Hebræos cap. 9. v. 10. *Observantiæ Pharisaïcæ,* Marci cap. 7. v. 3. et 4. et *Baptismus Joannis,* qui Marci cap. 1. v. 4. vocatur *Baptismus Pœnitentiæ;* erat enim etiam cæremonialis, non quidem Sacramentum, sed ad Baptismum Christi per pœnit. præparans.

4°. Denique vox *Baptismus,* usu Scripturæ et Ecclesiæ, significat Baptismum Christi, seu primum novæ legis Sacramentum, à Christo institutum: sic habetur Matth. cap. 28. v. 19. *Baptizantes eos in Nomine Patris,* &c.

VI. Quibus aliis nominibus hoc Baptismi Sacramentum in Scriptura Sacra et apud SS. Patres indigitatur?

VII. R. Variis, quæ desumuntur partim à materia, partim à forma, partim ab effectibus, &c.

Sic dicitur v. g. ad Ephes. cap. 5. v. 26. à materia *Lavacrum aquæ:* à forma vocatur Sacramentum Trinitatis: à materia et effectu dicitur ad Titum cap. 3. v. 5. *Lavacrum Regenerationis et renovationis:* à fidei professione, forma et effectu vocatur *Sacramentum Fidei:* ad Hebr. cap. 6. v. 4. et 6. *Sacramentum illuminationis et renovationis* ab effectu: *Sigillum vel signaculum* à charactere, &c.

VIII. Variæ sunt etiam ejus figuræ: ut Arca Noë, ut habetur 1. Petri cap. 3. v. 21. item columna nubis et transitus maris rubri, ut docet Apostolus 1. ad Cor. 10. v. 2. transitus Jordanis, Josuë cap. 3. lotio Naaman Syri in

Jordane 4. Reg. cap. 5. &c. Præcipuæ tamen figuræ fuerunt Circumcisio et Baptismus Joannis: luculentissima autem ejus adumbratio contigit in baptizatione Christi Matth. cap. 3. v. 16. et 17, quando et verisimiliter fuit instatutum.

N. 2. DE DEFINITIONE ET INSTITUTIONE SACRAMENTI BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 66. art. 1. et 2.

I. *Variæ definitiones.* II. *Institutio facta ante passionem.* III. *Dum Christus à Joanne baptizatus est.* IV. *Christus per semetipsum baptizavit.*

QUID est Sacramentum Baptismi?

I. R. A. S. Thom. art. 1. in *Corp.* definitur: *Ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum*; à Catechismo Romano: *Sacramentum regenerationi per aquam in verbo.*

Vulgariter autem definitur: Sacramentum à Christo Domino institutum, in quo per ablutionem exteriorem corporis sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis homo spiritualiter regeneratur.

Quandonam Sacramentum Baptismi est institutum?

II. R. Cùm Christus ante suam Passionem baptizaverit saltem per suos Discipulos, juxta illud Joan. cap. 3. v. 22. *Post hæc venit Jesus et Discipuli ejus..et baptizabat*; hinc cùm usus Sacramenti supponat ejus institutionem, sequitur, Baptismum ante Passionem Christi fuisse institutum.

Obj. 1. Agitur ibidem de Baptismo Joannis: ergo &c.

R. Neg. Ant. quia sic non Christus, sed potiùs Joannes diceretur per Discipulos baptizare. Deinde contrarium eruitur ex Joan. cap. 3. v. 25. et 26. Marci cap. 1. v. 8.

Obj. II. Passio Christi, cujus merita applicantur per Sacramenta nondum erat posita: ergo, &c.

R. Neg. conseq. Quia Baptismus ex meritis Passionis Christi prævisis (sicut omnis gratia data est ante nova legem) traxit suam efficaciam: deinde jam plurimi præcesserant Christi merita, quamvis redemptio nostra

voluntate Patris non esset consummanda nisi in morte Christi. Deinde probatur hæc sententia ex eo, quòd aliàs Apostoli non baptizati in ultima Cœna recepissent Eucharistiam et Ordinem: hoc autem nullo modo videtur posse dici.

Quonam tempore ante passionem institutus est Baptismus?

III. R. Verisimillimè dum Christus à Joanne baptizatus est in Jordane: quia, ut dicit S. Thom. art. 2. in *Corp.* "Tunc videtur aliquod Sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum; hanc autem virtutem accepit Baptismus, quando Christus est baptizatus."

Etenim juxta SS. Patres Christus tunc determinavit materiam, scilicet aquam, quam suo contactu sanctificavit, eique virtutem regenerativam tribuit. Designata tunc fuit forma; adfuit enim Pater in voce, Filius in carne, et Spiritus Sanctus in specie columbæ. Declaratus etiam fuit præcipuus Baptismi effectus per Cœli apertionem.

Præcipuas rationes, quare Christus à Joanne baptizari voluerit, vide Num. 37. *de Incarnatione.*

An Christus neminem baptizavit per seipsum?

IV. R. Cùm dicatur Joan. cap. 4. v. 2. *Quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus;* verisimile omnino est, quòd aliquem Apostolorum saltem baptizaverit, ne Apostoli non baptizati alios baptizassent: et ideo refert Nicephorus ex Evodio Antiocheno, quod Christus ipse suis manibus baptizaverit Petrum. Alii dicunt, Christum hoc fecisse respectu Matris et Joannis Baptistæ.

N. 3. DE MATERIA REMOTA BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 3. 4. *et* 5.

I. *Materia remota Baptismi.* II. *Est aqua natural.* III. *Quod variè probatur.* IV. *Quatuor rationes quare aqua sit materia.* V. *Species aquæ naturalis.* VI. *Species materiæ insufficientis.* VII. *Et dubiæ.*

I. PRÆNOTANDA est ex Tractatu *de Sacramentis in genere* Num. 8. divisio materiæ in remotam et proximam.

Quænam est materia remota Sacramenti Baptismi?

II. R. Est omnis et sola aqua naturalis, seu elementaris.

III. Probatur 1°. ex Scriptura : sic dicitur Joan. cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. ad Eph. c. 5. v. 26. *Mundans lavacro aquæ*, &c. vide etiam Act. 8. v. et 36. c. 10. v. 47.

2°. Aliis sanctis Patribus prætermissis probatur ex S. Aug. Tract. 15. in Joan. " Quid est Baptismus ? Lavacrum aquæ in verbo : tolle aquam, non est Baptismus : tolle verbum, non est Baptismus."

3°. Præter alias decisiones sic definivit Conc. Florent. in Decreto unionis, et Trid. sess. 7. can. 2. *de Baptismo.*

Obj. Matth. cap. 3. v. 11. Joannes Baptista prouunciat de Christo ; *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni :* ergo materia remota Baptismi non est aqua, sed ignis.

R. Neg. Conseq. quia ibidem non est sermo de Materia Baptismi, sed de effectu et efficacia Baptismi Christi supra Baptismum Joannis : unde ignis sumitur metaphoricè pro gratia et Donis Spiritûs Sancti : juxta aliquos etiam litteraliter textus intelligi potest de linguis ignitis, quæ apparuerunt in Pentecoste, Act 2. et huic consonant verba Act. 1. v. 5.

Unde hallucinati sunt Seleuciani et Jacobitæ, qui baptizabant frontibus baptizandorum per ferrum ignitum stigma imprimendo.

Quare Christus potiùs aquam, quàm aliam rem assumpsit pro materia Baptismi ?

R. Adæquata ratio est sola ejus voluntas ; quatuor tamen rationes congruentiæ allegat S. Thomas art. 3. in *Corp.* dicens :

IV. " 1°. Quidem quantùm ad ipsam rationem Baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam ; quod maximè congruit aquæ : unde et semina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicet plantæ et animalia, humida sunt, et ad aquam pertinent. Propter quod quidam Philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium.

" 2°. Quantùm ad effectus Baptismi, quibus competunt aquæ proprietates, quæ suâ humiditate lavat ; ex quo conveniens est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum. Suâ frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris : et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis. Suâ diaphaneitate est luminis susceptiva : unde competit Baptismo, inquantùm est fidei Sacramentum."

" 3°. Quia convenit ad repræsentandum Mysteria Christi, uibus justificamur. Ut enim dicit Chrysostomus super lud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. sicut in quoam sepulchro, in aqua submergentibus, nobis capita, vetus omo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, et deinde ovus rursus ascendit."

Vide Rom. 6. v. 4. et ad Col. v. 12.

" 4°. Quia ratione suæ communitatis et abundantiæ est onvenieus materia necessitati hujus Sacramenti: potest nim ubique de facili haberi."

Assigna aliquas species aquæ naturalis, quæ sufficiunt ad nateriam Baptismatis?

V. R. Talis est aqua marina, pluvialis, fontana, fluvialis, nineralis; sive turbida sit, sive clara, frigida vel calida; ive benedicta, sive non.

Idem cum S. Thoma tenetur de lixivio et aquis sulphueorum balneorum.

Idem est de aquis ex grandine, nive vel glacie ante ablueionem resolutis.

Similiter dicunt Henno et Billuart de sudore pavimenti el parietum tempore humido, item de aqua expressa x luto.

V. E contra invalidus est Baptismus collatus in luto, vino, ingui cerevisiâ, lacte, oleo, salivâ, sudore, lacrymis, urinâ; tem glacie, nive vel grandine nondum resolutis: item veriimillimè in aqua rosacea, vel alia ex arboribus, herbis aut loribus distillata.

VI. Probabiliter tamen tenent, valere in cerevisia, jusculo, quâ theanâ, et similibus tenuiter et leviter decoctis; certò nim non valeret, si tanta sit facta resolutio corporum lixaorum, ut liquor habeat plus de aliena substantia, quàm de qua. Majus dubium est de aqua ex sale resoluta.

J. 4. NOTANDA CIRCA MATERIAM REMOTAM.

Ex dictis Num. præcedenti collige,

1°. Quemlibet Ministrum Baptismi sub mortali uti dere materiâ certâ, per se loquendo.

2°. Si materia certa desit, et necessitas urgeat, potest et ebet adhibere materiam dubiam, præeligendo semper miùs dubiam.

3°. Si proles taliter in materia dubia baptizata postea ipervivat, rebaptizanda est sub conditione in materia certa.

4°. Uti autem materiâ certò insufficiente (ut vino, oleo, &c.) quæcumque urgeat necessitas, inutile est et illicitum.

Notandum hìc etiam ex Pastorali: ut Baptismus non tantùm validè, sed etiam licitè administretur.

1°. Debet adhiberi aqua ex Fonte Baptismali; hæcque obligatio certò est gravis pro Baptismo solemni.

2°. Idem dicit Braunman de Baptismo privatim administrato: unde Minister ad similem necessitatem vocatus lagenulam aquæ de Sacro Fonte conferat, vel quæri jubeat.

3°. Excipitur tamen urgens necessitas, vel si Baptismus esset administrandus per obstetricem, &c.

4°. Aqua Sacri Fontis servari debet munda: ideoque non nimiùm Chrismatis misceatur, nec alio modo inficiatur: unde proles morbo contagioso infecta non supra Fontem, sed aquâ de Fonte sumptâ baptizari debet extra Fontem.

5°. Si aqua Fontis sit congelata, vel nimiùm frigida, manibus calefiat, vel misceatur (sed in majore quantitate) cum aqua communi calefacta.

6°. Si aqua Sacri Fontis tam imminuta sit, ut timeatur defectus, alia communis admisceri potest, in minore tamen quantitate. Si corrupta sit, vel aliquo modo defecerit, in Fontem ritè mundatum nova infundatur, et benedicatur.

N. 5. DE MATERIA PROXIMA BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 7. *et* 8.

I. *Materia proxima est ablutio.* II. *Quæ fit tripliciter, Etiam validè.* III. *Triplex effusio requiritur.* IV. *Sed ex præcepto Ecclesiæ tantùm.* V. *Quandonam Sacramentum perficiatur.* VI. *Modus formæ.*

QUÆNAM est materia proxima Baptismi?

I. R. Est materiæ remotæ, scilicet aquæ naturalis, applicatio, sive ipsa ablutio corporalis.

Quot modis fieri potest ipsa ablutio?

II. Resp. Tripliciter: 1°. immersione: 2°. aspersione: et 3°. effusione, vel infusione, vel affusione. Ad valorem autem Sacramenti unaquæque ex illis tribus est sufficiens, modo sufficiens habeatur corporis ablutio: quia juxta S. Thom. modus ablutionis per accidens se habet ad Sacramentum.

Obj. *In Baptismo*, juxta Apostolum, *consepelimur Christo;* atqui sepultura non potest significari nisi per immersionem: ergo, &c.

R. Nego minorem: quia, licèt per immersionem expresiùs Christi sepultura repræsentetur, etiam tamen significatur per qualemcumque ablutionem, in qua aliqua saltem orporis pars supponitur aquæ, sicut Corpus Christi fuit sub erra positum. Vide S. Thom. art. 7. ad 2.

Nota quòd à sæculo XIII. usus baptizandi per effusionem ermè ubique invaluerit, saltem apud Latinos.

III. An ad valorem Sacramenti requiritur trina immersio, spersio, vel effusio?

IV. R. Negative: ut ostendit S. Thom. art. 8. hinc Ecclesia liquoties circa hoc ob rationes variavit: plerumque tamen primis Ecclesiæ temporibus in usu fuit trina immersio, sicut nunc in usu est trina effusio, quam Pastorale nostrum præscribit; et quidem juxta S. Thom. graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans, scilicet in re gravi.

Quandonam sub trina effusione, &c. completur Sacramentum?

V. R. Dum inter effundendum, &c. forma absolvitur (suntque tunc effusiones, si quæ restent, partes tantùm velut integrales, inquit Steyaert) nisi certè expresse Minister intenderet, non nisi tribus effusionibus Sacramentum perficere; quo casu, non nisi tertiâ perficitur Sacramentum cum ordine ad duas præcedentes.

VI. Circa trinam effusionem præscribit Pastorale nostrum, ut cum prima aquæ effusione Minister formam incipiat, et (secluso periculo in mora; aliàs enim posset forma ad primam effusionem incessanter pronunciando finiri) cum tertia finiat: ita scilicet ut ad primam effusionem dicat: *Ego te baptizo in nomine Patris:* ad secundam, *et Filii:* ad tertiam, *et Spiritus Sancti.*

N. 6. DE ABLUTIONE NECESSARIA AD VALOREM SACRAMENTI.

I. *Ablutio ad valorem Sacramenti.* II. 1°. *Debet fieri per Ministrum.* III. 2°. *Debet esse successiva.* IV. 3°. *Immediatè ablutiva corporis.* V. 4°. *In notabili aquæ quantitate et parte corporis.*

QUALIS debet esse illa ablutio de necessitate Sacramenti?

I. R. Generatim talis, ut Minister verè dicatur abluere baptizandum; ita ut hic moraliter censeatur lotus seu ablutus: quocirca requiruntur sequentia:

II. 1°. Ut ablutio fiat per Ministrum, seu mediante ejus actione; alioquin enim non posset verè dicere: *Ego te baptizo*; unde si videns cadentem, vel ab alio projectum in flumen, aut aliter aquâ ablutum, verba formæ proferat, nullum erit Sacramentum.

Idem probabiliùs videtur, si baptizetur nive vel glacie à Ministro quidem applicatâ, sed calore corporis baptizandi post applicationem tantum resolutâ.

Non est tamen necesse, ut Minister immediatè tangat aquam vel ipsum baptizandum: unde quibusdam in locis aqua in baptizandi caput effunditur per conchan; possetque etiam tali modo sibi consulere Minister contra morbum contagiosum, v. g. tempore pestis.

III. 2°. Requiritur, ut ablutio sit successiva, ita ut fiat cum aliquo motu contactûs successivi aquæ circa corpus; sive contactus ille successivus oriatur ex applicatione aquæ ad corpus (prout fit in Baptismo per effusionem) sive ex applicatione corporis ad aquam, ut in Baptismo per immersionem.

Hinc invalidus foret Baptismus, si baptizandus teneretur immotus in aqua immota; item si solùm aliquot guttæ immotæ remaneant in ejus fronte absque omni motu locali.

IV. 3°. Debet esse ablutio ipsius corporis per immediatum sive physicum contactum aquæ ad corpus: non est tamen necesse, ut sordes abstergat.

Hinc non valet Baptismus, si aqua tantùm tangat vestes: prout in Baptismo per aspersionem facilè potest contingere.

Si aqua solùm attingat capillos, ungues, pelles secundinas,

eu galeam nativitatis, Baptismus est valde incertus: hinc edulò attendendum monent, ut, dum multùm criniti deeruntur baptizandi, cutis aquâ perfricetur, ne in solis caillis fiat ablutio.

Similiter inculcandum obstetricibus, ut in necessitate baptizantes, priùs frangant pelles secundinas, ut aqua immediatè ad corpus pertingat.

V, 4°. Debet ablutio fieri in tam notabili parte corporis et quantitate aquæ, ut inde homo moraliter denominetur lotus vel ablutus.

Hinc probabiliùs ad Baptismum una vel altera aquæ guttula non sufficit; quia tamen aliqui eam sufficere docent, modò fluat, sic in necessitate hoc servire potest; postea tamen, si supervivat, erit sub conditione rebaptizandus.

Pro majori securitate, ea aquæ quantitas, (si ad manum sit) semper adhibeatur, quæ ad Baptismum certò sufficiens est: unde præstat in quantitate parumper excedere potiùs, quàm deficere.

N. 7. IN QUA PARTE CORPORIS FIERI DEBEAT ABLUTIO.

I. *Caput est abluendum.* II. *Alias est reiterandus sub conditione.*

I. Secundum praxim Ecclesiæ abluendum est caput, tanquam ipsius animæ sedes præcipua, et in quo maximè vigent omnes sensus: non debet tamen totum caput ablui, sed notabilis ejus pars, seu, secundùm praxim Ecclesiæ, ipse vertex.

An ad valorem sufficit ablutio alterius partis notabilis, ut brachii, pectoris, scapularum, &c. ?

Responsio communis Authorum est affirmativa, non tamen omnino certa, quia aliqui contradicunt: unde extra necessitatem fieri hoc non potest. De manu, pede et hujusmodi partibus mediocriter notabilibus dubitatur magis; verisimiliùs tamen etiam sufficiunt, cùm Christus Joan. cap. 13. v. 8. loquens de lotione pedum dicat: *Si non lavero te &c.* De digito et hujusmodi minutioribus etiam affirmant aliqui, sed longè plures negant sufficere.

II. Circa hæc Rituale Romanum tit. *de baptizandis parvulis*, statuit sequentia: " Si infans caput ex utero matris emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur

in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicat motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et tum si natus supervixerit, erit sub conditione baptizandus... si verò ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in Loco Sacro sepeliri."

Vide etiam Pastorale nostrum, et S. Thom. quæst. 68. art. 11. ad 4. Idem dicunt Neesen, Billuart, &c. contra Daelman, quamvis ablutio facta fuisset in pectore vel scapulis.

Quid si infans in illo casu necessitatis baptizatus, v. g. in manu, deinde emittat caput?

R. Sinè dilatione est sub conditione rebaptizandus in capite si periculum perseveret; aliàs autem expectanda esset totalis egressio ex utero.

Idem observandum, si in hujusmodi periculo Baptismus possit notabiliter certior reddi: v. g. infans antea tantùm baptizatus in digitis pedum, jam, periculo adhuc urgente, in ipsis pedibus sub conditione baptizari debet.

Sed quid si in parte prominente ex utero non appareat vitæ signum?

R. Baptizetur in illa parte sub conditione *si vivis*; obstetricum enim experientiâ deprehensum est, quòd, licet in parte sic prominente non appareat signum vitæ, postea tamen vivere deprehendatur. Si tamen, inquit Manuale nostrum, postea non apparuerit signum vitæ, non potest sepeliri in Loco Sacro.

N. 8. DE ABLUTIONE OCCISIVA.

I. *Valet ablutio ex parte materiæ occisivæ.* II. *Idem dum est de se occisiva.* III. *Plures affirmant.* IV. *Sed contrarium est probabilius.* V. *Ob leve periculum accelerationis mortis non est omittendus Baptismus.*

An validò confertur Baptismus per ablutionem occisivam?

I. R. Dupliciter potest esse occisiva: una ratione materiæ, ut si infans aquâ ferventi aut venenatâ baptizetur: et talis ablutio sufficit ad valorem Baptismi; quia vera equidem manet ablutio moralis, &c. Alia dicitur occisiva de se, seu ratione actionis, ut si quis projiciat puerum in puteum vel flumen sinè spe emergendi.

Hæc actio certò est illicita: ut videre est in tractatu *de tre et Justitia*, Num 61.

Sed controvertitur, an sufficiat ad valorem Baptismi, si nul cum intentione baptizandi proferatur forma.

II. R. Tota ratio dubii consistit in eo an talis projectio in men possit dici vera ablutio, et consequenter materia oxima à Christo instituta. III. Sententiam affirmativam entur Saurez, Wiggers, Neesen, Pauwels, Van Roy, oudart, &c. quia videntur salvari conditiones ablutionis; m ablutio non requirat necessariò emersionem; et ideo icunt) v. g. videntes piam matrem, projicientem in pu- um prolem morientem, quam sciunt non esse baptizatam fectu aquæ, censebunt et dicent, illam projicere ad bap- andum: et sic ex circumstantiis hæc projectio deter- inatur, ut sit et dicatur moralis ablutio.

IV. Contrarium tenet Scotus et Scotistæ, Daelman, Pre- guè, &c. horum præcipua ratio est, quòd Christus pro ateria proxima Baptismi instituerit, non quamcumque lutionem, sed ablutionem usualem et moralem, seu quæ , et dicatur ablutio secundùm humanum et communem nsum; atqui qui sic projicit infantem, juxta communem humanum sensum non dicitur velle abluere, sed occidere: o, &c. Vide latiùs Henno, &c.

R. Ad fundamentum prioris sententiæ, quòd immersio quidem actio physicè abluens; sed nisi illud quod im- rsum est, sit aliquo modo emergibile, negamus, talem um esse qualem homines per ablutionem intelligunt; is tamen requiritur ex institutione Christi ad actionem ramentalem, ne aliàs homines inducerentur in errorem.

R. Ad exemplum istius piæ matris, quòd, licèt illæ cir- nstantiæ declarent maternum desiderium baptizandi, n tamen declarent moralem ablutionem: sicuti nec set dici in casu proli potum dare, si illam præ siti mo- ntem projiceret in flumen.

Obj. Si quis projiciat canem sordidum in aquas, et su- ò suffocatum inter natandum dicitur voluisse abluere, èt in casu canis non sit emergibilis.

Idem est, si Minister ex intentione baptizandi prolem mergat aquis, quæ casu elabitur ex manibus et suffoca-

Vel si ex eadem intentione infantem fune suspensum ittat aquis, sed fracto fune suffocatur.

R. Quòd in triplici illo casu talis verè dicatur voluisse abluere, quia dum projicit canem erat emergibilis, &c. quod in casu thesis non habetur, et sic moraliter vocari non potest ablutio: eodem modo, sicut si canem sordidum ingenti lapide ad collum alligato in flumen projiceret.

An licet administrare Baptismum infanti, qui ob ablutionem timetur celeriùs moriturus?

V. R. Casus vix contingere potest; nam tanta potest adhiberi cautela, ut omne periculum morale abeat v. g. baptizando partem capitis minori periculo expositam, parum minuendo quantitatem aquæ, hanc leviter calefaciendo, et mox post ablutionem abstergendo, &c.

Quòd si revera adhuc periculum supponatur aliquantulùm accelerandi mortem, illud tamen tam rarum, leve et incertum est, ut practicè in considerationem venire non debeat: neque ideo Baptismus tam necessarius debet omitti in capite: cùm ob causas non tam graves quàm in casu, quis se licitè exponat majori periculo; ut docetur in Tract. *de Homicidio*.

N. 9. DE FORMA SACRAMENTI BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 5.

I. *Forma apud Latinos est legitima.* II. *Forma Græcorum est etiam legitima.* III. *Quare Græci hâc utantur.*

QUÆNAM est legitima forma Baptismi?

I. R. Apud Latinos est hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* eam esse legitimam, constat ex Conc. Flor. in Decreto unionis, et Trid. sess. 7. can. 4. ex Rituali Romano et aliis, ac ex praxi certissima totius Ecclesiæ occidentalis seu Latinæ. Colligitur autem hæc forma ex Matth. cap. 28. *Baptizantes eos in nomine*, &c.

II. Apud Græcos forma est hæc: *Baptizetur*, (vel ut alii jam referunt) *baptizatur servus* (*vel serva*) *Christi in Nomine* &c.

Hæc etiam est legitima et sufficiens, ut patet ex Eugenio IV. in instruct Armenorum; utraque enim exprimit actionem baptizandi (Latinorum in actu signato, Græcorum in actu exercito), et expressam invocationem Sanctissimæ Trinitatis: patet etiam ex praxi Ecclesiæ Græcos non re

baptizantis, licèt nonnulli Græci schismatici baptizatos à Latinis rebaptizare ausi fuerint.

Quare Græci hâc formâ utuntur?

III. R. Ad evitandum et refutandum antiquorum apud nos errorem, qui virtutem Baptismi tribuebant baptizantibus ut causæ principali, dicentes cum schismaticis Corinthiis: *Ego sum Pauli, ego sum Cephæ*, &c.

Quænam ex his duabus formis est præferenda?

R. Singula in sua respectivè Ecclesia est tenenda, idque sub gravi, ut notat Pauwels; deinde utraque est approbanda tanquam respectivè conveniens et absolutè sufficiens; forma tamen Latinorum clarior est, et magis respondet Christi verbis: *baptizantes eos in nomine Patris*, &c.

N.10. DE ESSENTIALIBUS FORMÆ BAPTISMI.

I. *Notanda circa singula verba formæ.* II. *Ego.* III. *Te.* IV. *Baptizo.* V. *In.* VI. *Nomine.* VII. *Patris, et Filii et Spiritûs Sancti.*

1. QUÆNAM verba sint essentialia in forma Baptismi, ex verbis Christi Matth. cap. 28. *Baptizantes eos*, &c. colligitur, attentâ traditione, doctrinâ et perpetuâ praxi Ecclesiæ?

II. Recolligendum hic est ex Tract. *de Sacram. in genere*, Num. 11. quandonam mutatio formæ sit substantialis, quandonam accidentalis tantùm.

Imprimis non est de essentia formæ, ut in ea directè exprimatur persona Ministri, ut patet ex forma Græcorum: unde in nostra forma non est essentialis particula *ego*, quæ secundùm sensum grammaticalem in verbo *baptizo* includitur.

Indirectè tamen et tacitè, seu quasi in actu exercito persona Ministri debet designari, inquantùm forma debet significare actum baptizantis: et hoc observatur etiam in forma Græcorum *baptizetur* vel *baptizatur*, naturaliter subintelligendo *hoc meo ministerio*. Hinc deducitur Baptismum esse invalidum, si unus abluat, et alter formam proferat.

III. 2°. De essentia formæ est, ut in ea exprimatur persona baptizanda, sive per particulam *te*, sive nomine proprio, sive alio modo.

IV. 3°. Essentialiter exprimi debet actus baptizantis; et quidem taliter, ut hìc et nunc designetur exerceri, sive ut forma sit indicativa ablutionis præsentis: ut dicendo apud Latinos *baptizo*, apud Græcos *baptizatur*, scilicet *meo ministerio*.

Præter praxim utriusque Ecclesiæ idem patet ex Alexandro III. lib. 3. Decr. tit. *de Baptismo*, cap. 1. quem secutus Alexander VIII. damnavit hanc 27. propositionem: " Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus; *In Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti;* præterminis illis, *Ego te baptizo.*" Et quamvis valeret Baptismus dicendo, *abluo, tingo*, &c. verbum tamen *baptizo* retinendum est juxta praxim Ecclesiæ, etiam tunc, quando in vulgari lingua baptizatur: et ita v. g. flandricè adhiberi debet verbum *Doopen*, et gallicè *Baptiser*.

V. 4°. Si omittatur particula *in*, juxta Daelman Sacramentum est nullum; quia tantùm significaretur, quòd Baptismus vice et commissione, non autem vi et virtute Divinarum Personarum conferatur; posterius tamen etiam posse significari dicit Steyaert: interim forma certò esset ambigua.

VI. 5°. Si Minister diceret loco *In nomine, in nominibus*, Sacramentum foret nullum; quia significaretur diversa virtus, et consequenter diversa essentia in Divinis Personis.

Si autem illud *in Nomine* secundò vel tertiò repetatur, dicendo, *In Nomine Patris et in Nomine Filii*, &c. Sylvius, Van Roy et Billuart, putant valere: quid illa multiplicatio non importat diversitatem virtutis et essentiæ; rectiùs tamen Boudart, Pauwels, Neesen et Daelman dicunt contrarium; quia quamvis tunc non importetur diversitas, non equidem significatur identitas.

VII. 6°. De essentia formæ est expressa et distincta invocatio trium Personarum, idque sub nominibus propriis: ratio principalis est voluntas Christi nobis manifestata, Matth. 28. simul et per constantem Ecclesiæ universæ traditionem et praxim, ac innumera SS. Patrum testimonia. Ratio congruentiæ est, quòd Baptismus sit Sacramentum initiativum fidei, cujus primarium objectum est Sanctissima Trinitas.

Hinc non valeret Baptismus sub his formis collatus: *Ego te baptizo in nomine Sanctissimæ Trinitatis*, vel *in*

nomine trium Personarum Divinarum, vel *in nomine Dei unius et trini*, vel *in nomine primæ, et secundæ, et tertiæ Personæ*, vel *in nomine Omnipotentis, Sapientis et Boni.*

Quinimò juxta S. Thom. hìc ad 7. non sufficit exprimere tres Personas nominibus propriis, sed necessarium est exprimere sub vulgatis nominibus *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* unde probabiliùs non valet Baptismus, si dicatur: *In nomine Genitoris, et Geniti, et Procedentis ab utroque;* esto enim idem significent quoad rem, non tamen eodem modo; cùm non expressè importent rationem Personæ, sed actus notionales. Vide S. Thomam loco citato.

An conjunctio *et* sit formæ essentialis?

R. Affirmant aliqui; quia illâ sublatâ, Personarum distinctio non satis exprimitur. Contrarium tamen multis apparet probabilius; quia satis subintelligitur: aliud tamen foret, si omitteretur in sensu Sabellii, intelligendo illa tria nomina designare eandem Personam tribus facultatibus instructam.

Nota igitur finaliter, quòd quæcumque mutatio in verbis formæ sit admodùm periculosa: unde non sinè peccato quidquid omitti vel mutari potest; imò quamvis certum foret, mutationem tantùm esse accidentalem.

N. 11. DE BAPTISMO IN NOMINE CHRISTI.

S. Thom. quæst. 66. art. 6.

I. *Numquam valuit.*

Certum est ex numero præcedenti, invalidum esse Baptismum collatum in solo nomine Christi dicendo: *Ego te baptizo in nomine Christi:* nisi ita conferatur ex speciali dispensatione divina, quæ pro hoc tempore certò non habetur; cùm definitum sit à Gelasio et Zacharia Pontificibus, talem Baptismum non valere; unde sola controversia est de quæstione facti, utrùm Apostolis in primitiva Ecclesia fuerit dispensatio illa concessa?

Aliqui affirmant cùm S. Thoma ad 1. Rationem hujus

dispensationis allegant, ut scilicet Nomen Christi, quod erat Judæis odiosum, et Gentibus vanum, honorabile redderetur per hoc, quòd ad ejus invocationem daretur Spiritus Sanctus in Baptismo.

I. Communior tamen est sententia negativa, quia nullum in Scripturis vel traditione habetur dispensationis hujus fundamentum; imò contrarium ex Matth. cap. 28. v. 19.

Ad fundamentum prioris sententiæ respondetur, satis imò magis consultum esse honori Nominis Christi, si illud in forma Baptismi pronuncietur cum nominibus Patris et Spiritûs Sancti.

Obj. Act. 10. v. 48. dicitur: *Jussit eos* (Petrus) *baptizari in Nomine Domini Jesu Christi*: similiter c. 2. v. 38. c. 8. v. 12. et c. 19. v. 5.

Responsio solet dari multiplex: 1°. Apostolos baptizasse in Nomine Christi, sed non exclusis aliis Divinis Personis, vel fortè addendo Nomen *Jesu Christi*, ita ut dicerent: *Ego te baptizo in Nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritûs Sancti.*

2°. Apostolos baptizasse Baptismo à Christo instituto; ita ut in objectis textibus solummodo distinguatur Baptismus Christi à Baptismo Joannis.

3°. Idem significari, ac *merito et virtute Christi*; sicut Marci cap. ult. v. 17. dicitur: *In nomine meo* (seu virtute meâ) *dæmonia ejicient.*

4°. Tandem idem significari, ac baptizari in fide Christi, seu post emissam publicam fidei professionem in Christum.

Ad authoritatem sancti Thomæ supra citati dici potest cum Billuart, S. Thomæ solutionem esse hypotheticam et ex facti suppositione, quod non discussit, prout sæpe de factis illis agit; ita ut S. Thomas tantùm doceat, quòd supposito facto (seu quòd revera Apostoli baptizaverint in solo Nomine Christi) sit respondendum; nempe eis tunc fuisse datam temporaneam dispensationem.

N. 12. DE MINISTRO BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 67. art. 1. 2. 3. 4. 5. et 6.

I. ***Minister ordinarius solemnitatis est Sacerdos.*** II. ***Et solemnitatis extraordinarius est Diaconus.*** III. ***Dum nempe in necessitate committitur.*** IV. ***Minister necessitatis est omnis homo.***

QUISNAM est Minister Sacramenti Baptismi, secundarius scilicet?

R. Alius est Minister solemnitatis, alius necessitatis; ille autem est ordinarius vel extraordinarius. Alius validè et licitè ministrat, alius validè sed illicitè. His positis, ponuntur sequentes conclusiones.

1°. Quantùm ad Baptismi valorem Minister sufficiens est omnis homo viator, utens ratione, capax proferre formam et adhibere materiam: ratio principalis est voluntas Christi nobis per traditionem, praxim et doctrinam Ecclesiæ manifestata. Ratio congruentiæ est maxima hujus Sacramenti necessitas.

I. 2°. Minister solemnitatis ordinarius est Sacerdos vi suæ Ordinationis; qui tamen hâc suâ potestate, nequidem privatim, potest uti, nisi cum venia vel jurisdictione: hinc ait Rituale Romanum: "Legitimus Baptismi Minister est Parochus, vel alius Sacerdos à Parocho vel Ordinario loci delegatus. Et Pastorale nostrum: jure suo datum est Sacerdotibus baptizare, sed id in aliena Parochia, &c. non licet exequi, nisi de Parochi licentia." Non tamen hìc requiritur licentia expressa, sed sufficit tacita, imò et rationabiliter præsumpta, v. g. si proles ignota deferatur baptizanda, et deferentes nolint manifestare, unde et cujus sit, debet tunc ex præsumpta licentia baptizari, ne proles fortè sinè Baptismo moriatur; sed casus in registro distinctè annotandus est, ne proles ibi baptizata putetur ibi etiam nata, et ita gravet Mensam Spiritûs Sancti, ad quam nulli competit jus ratione Baptismi, sed ratione nativitatis.

II. 3°. Minister solemnitatis extraordinarius est Diaconus, secundùm quod in ejus Ordinatione dicitur: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare:* quod sic intelligitur, ut Diaconus vi Ordinis sui habeat præ

aliis inferioribus Clericis et Laicis, quòd possit delegari ad baptizandum solemniter; hoc tamen hodie vix usu venit ob copiam Sacerdotum.

Quænam ergo est differentia inter Sacerdotem et Diaconum, si uterque indigeat licentiâ?

III. R. Quòd Sacerdoti administratio Baptismi possit committi absque quacumque necessitate; quia vi Ordinationis suæ habet potestatem ordinariam baptizandi: Diacono autem, cùm illam potestatem non acceperit nisi extraordinariam, administratio committi non possit, nisi urgente necessitate; hæc tamen non debet esse extrema, sed sufficit rationabilis.

IV. 4°. Minister necessitatis est quilibet homo viator utens ratione, cujuscumque sexûs vel Religionis; sed Laici et Clerici Diacono inferiores, non possunt adhibere solemnitates, v. g. adhibendo patrinum, nomen imponendo, &c. quod et de Diacono sinè ulla commissione baptizante (licèt in extrema necessitate) probabilius dicendum apparet.

N. 13. DE ORDINE MINISTRORUM NECESSITATIS, ET PRÆSERTIM DE OBSTETRICIBUS.

I. *Ordo inter Ministros necessitatis potest aliquando inverti.* II. *Sed non sine justa causa.* III. *Fideles instruendi circa Collationem Baptismi.* IV. *Præsertim obstetrices.* V. *Circa varia.*

Quamvis quilibet in necessitate baptizare possit, si tamen plures adsint, servandus est ordo dignitatis, de quo Rituale Romanum his verbis: "Si adsit Sacerdos, Diacono præferetur, Clericus Laico, et vir feminæ, nisi pudoris gratiâ deceat feminam potiùs quàm virum (intellige etiam Sacerdotem et Parochum) baptizare infantem non omnino editum, vel nisi femina meliùs sciret formam et modum baptizandi."

Posterior exceptio sæpe locum habet in obstetricibus, quæ meliùs circa modum baptizandi instructæ esse solent, quàm alii Laici.

In priori autem exceptionis casu Pastor, si adsit, maneat alicubi præsens, ubi advertere potest, an forma non corrumpatur.

Quantum peccatum est sine causa ordinem illum inverere ?

II. R. Ex communi sententia est mortale prætermittere acerdotem etiam consentientem : quia vi ordinationis suæ st Minister ordinarius hujus Sacramenti, non valens sinè ujus et Ordinis sui injuria juri suo renuntiare.

Idem multi dicunt, si prætermittatur Diaconus; hoc amen non est certum.

III. Inversio autem ordinis inter Ministros Diacono inferiores non videtur peccatum grave; quia nullus præ alio d hoc specialiter est deputatus, &c. Verbis præcitatis subungit Rituale Romanum : " Quare curare debet Parochus at fideles præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant et servent." Unde Synodus Diœc. Mechl. tit. 3. cap. 2. statuit : " Pastores formam Baptismi linguâ vernaculâ populo sæpe inculcent, simulque doceant cum pronunciatione verborum formæ ipsam infusionem aquæ moraliter concurrere debere." Vide etiam Synodum Prov. 2. tit. 3, cap. 7. IV. Instruantur insuper, præsertim obstetrices, ut in partu periculoso aquam ad manum habeant, et ut animo præsentes sinè consternatione attentè et integrè, atque voce verè vocali singula verba formæ pronuncient, simul cum debita ablutione per aquam naturalem in debita parte corporis baptizandi, secundùm dicta Num. 7.

Unde Baptismus (supposita etiam debitâ ablutione) salem valde periclitatur, dum obstetrices quædam infantem non omnino editum baptizantes, ne animum parientis deficiant, valde submissè et modestè proferunt : *ego te* et post parvam moram *baptizo*, et post aliam rursus moram *in Nomine Patris*, &c.

V. Moneantur, quod eis non liceat baptizare nisi ex causa necessitatis (qualis falsò supponitur, dum Baptismus solemnis differtur ob absentiam patrini) : non tamen extrema necessitas est expectanda, sed sufficit periculum verisimile de instante et subita morte infantis : quod equidem leviter et temerè non est præsumendum, ut non rarò contingit ex timore muliebri : unde, ut ait S. Carolus Borromæus, gravissimè Parochus monebit, quàm graviter illæ peccent, si quando mortis necessitate non cogente, Baptismum ministrare audent.

Moneantur ulteriùs, quòd in necessitate baptizantes abstinere debeant ab omnibus solemnitatibus, secundùm dicta in fine Numeri præcedentis.

Insuper instruantur, quòd, dum baptizant, saltem de convenientia esse debeant in statu gratiæ; quod tamen ipsis sic explicare oportet, ut illius defectu non omittatur Baptismus, sed pœniteant, inquantùm necessitas et temporis angustia permittit.

Tandem ut in obstetricando abstineant ab omni superstitione.

N. 14. VARIA CIRCA BAPTISMI MINISTERIUM.

I. *Indebitè ministrans Baptismum graviter peccat.* II. *Et quandoque fit irregularis.* III. *Baptismus per plures collatus* IV. *Aliquando est validus.* V. *Item dum unus plures baptizat.* VI. *Nemo validè se baptizat.*

QUANTUM peccatum est, sinè justa causa usurpare ministerium Baptismi?

I. R. Est mortale, sive in Sacerdote, sive in alio quocumque, sive solemniter fiat, sive privatim: quia est juris alieni usurpatio, et violatio præcepti Ecclesiæ in re gravi; potest tamen à mortali excusari ob præsumptam, sed non satis fundatè, licentiam vel necessitatem.

An talis etiam incurrat irregularitatem?

II. R. Si sic privatim baptizet, non incurrit; si autem solemniter, tunc præter Sacerdotem alius quiscumque (etiam verisimiliùs Diaconus) fit irregularis juxta capitulum, si QUIS. lib. 5. Decret. tit. 28. quia talis exercet actum Ordinis, quem non habet.

An plures possint validè unum et eundem baptizare?

III. R. Si uterque intendat baptizare, non per seipsum solum, sed dependenter ab actione vel intentione alterius, tunc neuter baptizabit: quia non possunt plures Ministri tanquam causæ partiales ad Sacramentum concurrere: idque evidenter patet, si unus ablueret, et alter formam proferret.

IV. Si verò uterque intendat baptizare independenter ab intentione alterius, tunc qui totum priùs absolveret, validè baptizaret, et alter invalidè ; si autem eodem instanti absolvant, etiam valet Baptismus, sic quidem, ut uterque baptizet, sed non erit nisi unum Sacramentum. Vide S. Thom. hìc art. 6. in *Corp.* ubi simul demonstrat, illa esse illicita.

An unus potest simul plures baptizare ?

V. R. Potest validè, omnes simul sufficienter abluendo sub hac forma : *Ego vos baptizo*, &c. illa enim forma est virtualiter multiplex juxta numerum subjectorum.

Hoc iterum non licet, nisi sit in necessitate, ut ait S. Thom. loc. cit. ad 2. " Putà si immineret ruina, aut gladius, aut aliud hujusmodi, quod omnino moram non pateretur, ut sigillatim omnes baptizarentur."

An aliquis potest seipsum validè baptizare ?

VI. R. Negativè : ratio præter voluntatem Christi est et hæc congruentiæ, quòd sicut seipsum nemo gignere potest naturaliter, sic nec spiritualiter.

N. 15. DE TRIPLICI BAPTISMO.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 11.

I. *Baptismus est triplex, sed unus est Sacramentum.* II. *scilicet Baptismus fluminis.* III. *Non flaminis.* IV. *Nec sanguinis.* V. *Sed supplent defectum Baptismi fluminis.*

I. QUAMVIS Baptismus propriè et rigorosè sumptus, Baptismus *fluminis* dictus, sit unicus, dicente Apostolo ad Ephes. cap. 4. v. 5. *Una fides, unum Baptisma*, quod et in Symbolo Constantinopolitano diserte profitetur Ecclesia ; assignantur tamen duo alia Baptismata, *flaminis et sanguinis*, inquantùm supplent vices Baptismi *fluminis* quoad principalem ejus effectum, scilicet infusionem gratiæ et remissionem peccatorum : unde hæc duo non sunt Sacramenta, nec propriè dicuntur Baptismata, sed metaphoricè tantum. Vide. Num. 1.

II. Baptismus igitur *fluminis* solus est Sacramentum, isque semper intelligitur, dum Baptismus simpliciter nominatur. Dicitur *fluminis* à materia remota seu aqua.

III. Quid est Baptismus flaminis ?

R. Est votum seu desiderium Baptismi fluminis coujunc-

tum contritioni perfectæ, seu cordis ad Deum conversioni. Dicitur flaminis à sacro flamine seu Spiritu Sancto movente cor ad pœnitentiam: et ideo etiam dicitur *Baptismus Pœnitentiæ et Charitatis.*

Patet, non omnem Contritionem, licèt perfectam, dici posse Baptismum flaminis; sed tunc tantùm, dum per eam remittitur peccatum originale in non baptizato.

Quid est Baptismus sanguinis?

IV. R. Est Martyrium pro Christo toleratum à non baptizato. Dicitur "sanguinis," quia Martyrium ordinariè fit per sanguinis effusionem, in quo quasi immergitur ipse Martyr.

Patet similiter, Martyrium tunc solùm posse dici Baptismum sanguinis, quando præcedit Baptismum fluminis.

Proba, quòd Baptismus flaminis suppleat defectum Baptismi fluminis.

V. R. Ex variis locis Scripturæ Sacræ, in quibus salus promittitur verè pœnitentibus, et ad Deum se convertentibus: sic. Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam.. vita vivet, et non morietur.* Ad Rom. 10. v. 11. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur.* Et v. 13. *Quicumque invocaverit Nomen Domini, salvus erit.*

Idem probatur exemplo Cornelii, Actor. 10. et ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 4. et sess. 7. can. 4. *de Sacram. in genere*, et sess. 14. cap. 4. item ex damnata 31. propositione Bajana.

Proba idem de Baptismo sanguinis.

R. Ex Matth. cap. 10. v. 32. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*; et v. 39. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Hæc sententia, utpote generalis, evidenter complectitur omnes, etiam parvulos; hi enim confitentur Christum non loquendo, sed moriendo, ut canit Ecclesia de Sanctis Innocentibus, quos ut Martyres colit.

Obj. Generaliter Christus dicit Joan. cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, &c.* Ergo Baptismus flaminis et sanguinis non possunt supplere vices Baptismi fluminis.

R. S. August. lib. 13. *de Civitate Dei*, cap. 7 "Qui dixit: *Nisi quis renatus*, &c. aliâ sententiâ istos (Martyres) fecit exceptos, ubi non minùs generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit*, &c.

16. DE DISPOSITIONE AD BAPTISMUM FLAMINIS ET SANGUINIS.

QUÆNAM dispositio requiritur, ut quis justificetur per aptismum flaminis ?

R. 1°. Requiritur votum seu desiderium Sacramenti aptismi, quod hic et nunc suscipi non potest.

2°. Extra articulum mortis certò requiritur contritio perecta.

Utrùm verò in articulo mortis sufficiat contritio imperfecta, ıæ requiritur et sufficit pro adulto baptizando, pendet ab la quæstione, an contritio imperfecta in articulo mortis se ılâ possit justificare : quod non videtur verisimile, ut videri otest Num. 50. in Tract. *de Pœnit.*

Qualis requiritur dispositio pro Baptismo Sanguinis ?

I. R. In parvulis nulla dispositio requiritur, cùm illius sint ıcapaces.

In adultis verò primò requiritur votum seu desiderium acramenti Baptismi, ut supra.

2°. Requiritur et sufficit contritio imperfecta, ut in adulto aptizando. Non requiritur perfecta : sic enim Martyrium on deleret peccata, sed per contritionem perfectam deleta ıveniret.

Similis requiritur et sufficit dispositio, ut adultus jam aptizatus per Martyrium justificetur : cujus proinde conitio, nempe imperfecta, debet esse conjuncta cum voto acramenti Pœnitentiæ, ubi deest facultas confitendi.

Quale debet esse illud votum Baptismi in casibus posiis ?

R. Si noverit et menti occurrat Sacramentum Baptismi, idetur requiri explicitum ; aliàs sufficit implicitum, quod ontinetur in contritione, utpote quæ includit voluntatem ervandi omnia præcepta divina : ut v. g. in eo qui invinibiliter ignorat Legem Baptismi.

Idem est de voto Sacramenti Pœnitentiæ in adulto bapizato, qui subit Martyrium.

N. 17. DE COMPARATIONE HORUM TRIUM BAPTISMATUM.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 12.

I. *Conveniunt in effectu principali.* II. *Differunt in modo causandi.* III. *Et quoad aliquos effectus.* IV. *Baptismus* Sanguinis *præstat cæteris.*

I. In quo conveniunt illi tres Baptismi?

R. Solummodo quoad effectum principalem Sacramenti Baptismi, scilicet remissionem peccatorum, et infusionem gratiæ.

Quænam est inter illos differentia?

II. R. Imprimis penes modum conferendi effectus: Baptismus enim fluminis suos effectus causat ex opere operato: Baptismus flaminis non nisi ex opere operantis: Baptismus autem sanguinis (et generatim quodcumque Martyrium) non quidem ex stricto opere operato, sed Deus effectum statâ Lege operatur intuitu operis, seu ad ejus positionem, ut olim fiebat in circumcisione: unde Sylvius mavult dicere, effectum in Martyrio dari ex opere operato, quàm Martyrium ex opere operato eum conferre.

In adultis Martyrium etiam valet ex opere operantis, sicut alii virtutum actus.

III. Deinde etiam differunt illi tres Baptismi quoad aliquos effectus: et sic effectus specialis Baptismo fluminis præ aliis est gratia sacramentalis et character.

Baptismo sanguinis (et cuicumque Martyrio) specialis est aureola, et major abundantia gratiæ.

Insuper Baptismus flaminis et sanguinis præ Baptismo flaminis habent, quòd etiam remittant omnem pœnam, ut videbitur infra de Baptismo fluminis, et de Baptismo sanguinis habet traditio. Hinc illud vulgatum desumptum ex S. Augustino: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Baptismus flaminis autem, quamvis remittat pœnam æternam, non tamen semper tollit omnem pœnam temporalem.

Quisnam ex triplici illo Baptismo est potissimus?

IV. R. Baptismus flaminis ordine est infimus simpliciter; et quamvis Baptismus fluminis præ cæteris habeat rationem Sacramenti, &c. omnibus tamen attentis, præstat cæteris Baptismus sanguinis ratione abundantioris et perfectioris confirmationis cum Passione Christi. Vide S. Thom.

18. DE NECESSITATE BAPTISMI AD SALUTEM.

S. Thom. quæst. 66. *art.* 1. 2. *et* 3.

Duplex necessitas, Baptismi. II. *Scilicet necessitas medii.* III. *Et præcepti.* IV. *Quod afficit adultos pro se et aliis.*

I. PRÆNOTANDUM, aliquid dupliciter dici necessarium ad salutem, scilicet necessitate medii, et necessitate præcepti. Prior oritur ex ratione medii absolutè necessarii ad salutem, ita ut defectu illius medii, sive culpabili, sive inculpabili, salus obtineri non possit; necessitas autem præcepti oritur ex præcepto imposito, sinè cujus tamen impletione salus potest obtineri, putà si per impotentiam vel ignorantiam invincibilem, vel alias rationes excusantes præceptum illud non adimpleatur.

An Baptismus omnibus ad salutem est necessarius necessitate medii?

II. R. Affirmativè: scilicet adultis in re vel in voto, parvulis in re, excepto casu Martyrii; parvulis autem annunerantur perpetuò amentes. Ita Ecclesia et SS. Patres semper intellexerunt ex illo loco Joan. cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Vid. Trid. sess. 6. cap. 4.

An etiam necessarius est necessitate præcepti?

III. R. Affirmativè: ut constat ex præcepto Christi Matth. cap. 28. v. 19. *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos,* &c. ubi, sicut datur Apostolis præceptum baptizandi, ita aliis datur præceptum suscipiendi Baptismum: deinde necessitas præcepti spontè resultat ex necessitate medii: item ex necessitate characteris Baptismalis ut homo incorporetur Ecclesiæ ac capax fiat aliorum Sacramentorum.

Quosnam afficit illud præceptum?

IV. R. Adultos præcepti capaces afficit, tum quoad seipsos, tum quoad alios, quibus sive ex justitia, sive ex charitate tenentur Baptismum procurare, ut sunt parentes, Pastores, &c.

Quandonam autem Baptismus cœperit obligare, vide in Tractatu *de Legibus,* ubi de tempore obligationis novæ Legis.

N. 19. DE NECESSITATE BAPTISMI AD SUSCEPTIONEM ALIORUM SACRAMENTORUM.

I. *Ante Baptismum nullum aliud licitè suscipitur.* II. *Et Sacramentum Pœnitentiæ certò invalidè.* III. *Et alia practicè, saltem.* IV. *Et speculativè verisimillimum.* V. *Quod variè probatur.*

An Baptismus seu character baptismalis necessariò prærequiritur aliis Sacramentis ?

I. R. Imprimis necessariò prærequiritur ad licitam aliorum susceptionem; nam ut ait Concil. Florent. " Primum locum tenet Sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ ?"

II. 2°. Indubitatum est, quòd Sacramentum Pœnitentiæ ad suî valorem prærequirat necessariò Baptismum: cujus ratio specialis est, quòd illud ad suî valorem requirat in Ministro jurisdictionem, quæ in non baptizatum haberi non potest, dicente Apostolo 1. ad Cor. 5. v. 12. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare ?* Vide etiam Trident. sess. 14. cap. 2.

III. 3°. In praxi Christianæ vitæ, quælibet alia Sacramenta ante Baptismum suscepta pro nullis et inaniter collatis habenda sunt, quantumvis bonâ fide quis se baptizatum putans illa susceperit: quia horum Sacramentorum valor ad minus incertus est: proinde hujusmodi Sacramenta post Baptismum ad minus sub conditione sunt repetenda, si modò jam baptizatus iis adhuc indigeat.

Eadem resolutio obtinet, dum ob dubium Baptismum quis sub conditione rebaptizatur.

IV. 4. Inhærendo etiam speculationi videtur verisimillima sententia, quæ docet, defectum characteris baptismalis esse obicem essentialem respectu aliorum Sacramentorum.

Probatur ex variis decisionibus Juris Canonici: sic lib. 3. Decr. tit. 42. cap. 1. dicitur: " Si quis Presbyter ordinatus deprehendat, se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur." Et similiter ibidem cap. Veniens.

Idem disertè docet S. Thomas, infra q. 72. a. 6. circa Confirmationem; et generatim q. 63. art. 6. in *Corp.*

haracterem baptismalem ponit in potestate recipiendi alia acramenta. Et suppl. q. 35. art. 3. in *Corp.* dicit: "Qui haracterem baptismalem non habet, nullum aliud Sacraentum suscipere potest."

V. Accedit, quòd à sanctis Patribus communiter Baptisus in re susceptus vocetur janua et fundamentum aliorum acramentorum; atqui sinè janua non intratur, et sinè undamento non ædificatur, ut discurrit Innoc. III. cap. ENIENS supra cit. Deinde accedit ratio congruentiæ juxta imilitudinem statûs vitæ spiritualis ad statum vitæ naturalis; a naturalibus enim priùs homo generatur, quàm roboretur, utriatur, &c. Ergo similiter debet spiritualiter priùs asci per Baptismum, antequam roboretur per Confirmaionem, &c.

Deinde in veteri Lege priùs debebat quis esse circumcisus, ntequam posset participare de Sacrificiis aut Sacramentis steris Legis: ergo, &c.

Obj. Non baptizatus saltem potest suscipere Sacramenum Eucharistiæ: ergo, &c.

R. Talis quidem suscipiet Eucharistiam *ex parte manucati*, seu suscipiet quidem illud Sacramentum, utpote uod consistat in re permanenti; sed non suscipiet *ex parte anducantis*, seu illud Sacramentum non operabitur saramentaliter defectu subjecti, seu manducantis; similiter ac ontingeret ob defectum intentionis in casu quo quis sumeet Hostiam, quam nesciret consecratam. Cætera autem inque Sacramenta, utpote consistentia in re transeunte à on baptizato suscepta non solùm erunt infructuosa, sed iam invalida: sicut v. g. in casu, quo sanus susciperet xtremam-Unctionem. Alias objectiones vide apud Daelan et alios.

N. 20. DE SUBJECTO BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 68. *art.* 4. *et seq.*

Subjectum est omnis homo viator. II. *Etiam carens peccato originali.*

QUODNAM est subjectum capax Sacramenti Baptismi?

I. R. Omnis et solus homo viator nondum validè bap-

tigatus : et quidem tenetur Sacramentum suscipere, ut dictum est Num. 18. hujus Tract.

An etiam carens peccato originali ?

II. R. Affirmativè : quia Baptismus à Christo Domino institutus est non solùm in peccati originalis remissionem, sed maximè, ut quis per illum incorporetur Ecclesiæ, et capax fiat ad suscipienda Ecclesiæ Sacramenta.

Hinc collige, quòd possint, debeantque baptizari, qui jam justificati sunt per Baptismum flaminis, ut Cornelius, Actor. 10.

Item qui jamjam Martyrio afficiendus est, si baptizari possit ; ut Sanctus Romanus in vita Sancti Laurentii.

Similiter nati sinè peccato originali, veluti Joannes Baptista in utero sanctificatus, et Diva Virgo ab omni peccato immunis.

Obj. Respectu jam justificati non verificantur verba formæ : *Ego te baptizo ;* ergo talis videtur nequidem posse baptizari.

R. Nego anteced. quia illud verbum *baptizo* significat gratiam quantùm est de se ablativam, si nempe reperiat quod abluat ; per accidens autem est, quòd nihil abluendum sit. Similiter modo, quo in Sacramento Pœnitentiæ verba formæ, *Ego te absolvo,* verificantur, licèt solùm cadant in peccata jam ante directè remissa.

Christus Dominus tamen Baptismo non eguit ; etenim non tantùm ab omni peccato fuit immunis, sed nec Ecclesiæ, cujus ipse Caput est, debuit incorporari.

N. 21. AN INFANTES ANTE USUM RATIONIS RECTE BAPTIZANTUR ?

S. Thom. quæst. 68 *art.* 9.

1. *Rectè baptizantur infantes.*

I. Resp. Affirmativa contra Anabaptistas (qui in infantia baptizatos rebaptizabant) definita est in Conc. Trid. sess. 7. can. 13. *de Baptismo.* Probatur imprimis ex summa hujus Sacramenti necessitate, etiam pro parvulis ; generatim enim dicitur Joan. cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit,* &c.

Deinde ex continuo Ecclesiæ usu et praxi : unde legimus Actor. 10. et 19. et alibi, integras familias baptizatas, in quibus verisimillimè et parvuli erant.

Hujus autem praxis ratio est periculum mortis, cui ob inopinatos casus continuò exponuntur parvuli: unde non sinè periculo æternæ damnationis Baptismus eorum usque ad usum rationis posset differri.

In hoc iterum Baptismo respondet ejus figura Circumcisio, quæ fiebat ante usum rationis, scilicet octavo nativitatis die.

Obj. I. Baptizandi debent priùs doceri, juxta illud Matth. cap. ult. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. item credere juxta Marc. cap. ult. *Qui crediderit et baptizatus fuerit*; item pœnitere, juxta illud Actor. cap. 2. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm*; atqui infantes sunt illorum actuum incapaces: ergo, &c.

R. Neg. conseq. quia illi Scripturæ textus, quoad præfatos actus spectant adultos, non parvulos: nam Matth. et Marc. cap. ult. mittuntur Apostoli ad convertendas Gentes, quæ prævie instrui et credere debebant. Actorum 2. autem Petrus alloquitur illos, qui dicebant: *Quid faciemus, viri fratres?* unde semper agitur de adultis: infantes autem horum actuum incapaces nullatenus ibi prohibentur baptizari.

Obj. II. Per Baptismum contrahuntur graves obligationes; atqui iniquum videtur non consentientibus illas imponere: ergo, &c.

R. Nego minorem: quia jugum Christi non est grave, sed leve et suave: tum etiam quia est inevitabile omni volenti salvari; tum quia adulti non possunt illud subterfugere sub pœna damnationis æternæ: unde baptizando infantes nulla fit illis injuria, sed è contra magna gratia; dum autem adulti erunt, possunt et debent adigi tanquam Ecclesiæ subditi ad christianè vivendum.

Evidens iterum paritas est in Circumcisione: qui enim illam in infantia acceperant, non censebantur pati injuriam, et facti adulti erant debitores universæ legis faciendæ. Vide Trid. sess. cit. can. 14.

N. 22. AN PUERI LICITE BAPTIZENTUR, INSCIIS VEL INVITIS PARENTIBUS.

S. Thom. quæst. 68. *art.* 10.

I. *Licitè baptizantur.* II. *Adulti consentientes.* III. *Et proles parentum, qui sunt baptizati.* IV. *Et infidelium mancipiorum.* V. *Non tamen infidelium politicè tantùm subjectorum Catholicis.* VI. *Exceptis quibusdam casibus.*

I. NOTANDUM 1°. quæstionem non esse de validitate istius Baptismi; quia certum est, ad hoc non requiri voluntatem vel intentionem, &c. parentum.

II. 2°. Proles adultæ, sive ratione utentes, si in Baptismum consentiant, possunt licitè baptizari, quantumvis inviti sint parentes: quia unusquisque in rebus ad salutem pertinentibus est sui juris.

Quæstio igitur est de prolibus necdum ratione utentibus?

III. R. Si parentes sint baptizati, sive sint Hæretici, sive sint Catholici, licitè illæ proles baptizantur, ipsis invitis: quia illi parentes ratione Baptismi suscepti (et ipsi infantes ratione nativitatis ex parentibus baptizatis) sunt subditi Ecclesiæ; in casu tamen quo parentes sunt Hæretici, Schismatici, &c deberent proles baptizatæ separari à parentibus, ne postmodum pervertantur: quia tamen sæpe illa separatio (licèt hanc Ecclesia facere posset sinè parentum injuria) ob alias causas non potest fieri, vel non sinè maximis incommodis, hinc sæpius non expedit tales proles baptizare.

IV. Si parentes sint infideles, seu non baptizati, qui Principi Catholico subjiciuntur despoticè (ut sunt mancipia, vel bello capti) tunc etiam licet eorum infantes baptizare, ipsis invitis: quia in casu sinè injuria possunt illis privari parentes, in quorum locum succedit Princeps.

V. Si autem politicè tantùm illi infideles subjiciantur Principi Catholico, tunc dicitur communiter cum S. Thoma contra Scotistas, quòd illicitè baptizentur, parentibus insciis vel invitis; exceptis tamen casibus quibusdam infra ponendis.

Fundamentum hoc loco ponit S. Thomas dicens in corpore: *Non habet hoc Ecclesiæ consuetudo, quòd filii infidelium invitis parentibus baptizentur.*

Deinde 2. 2. quæst. 10. art. 12. in *Corp.* idem probat hoc dilemmate: dicti infantes invitis parentibus baptizati vel apud ipsos relinquerentur, vel ab ipsis separarentur: atqui neutrum licet: non primum, ob evidentissimum periculum perversionis et apostasiæ in gravem injuriam fidei et Sacramenti: non secundum, ob magnam injuriam per hoc inferendam parentibus, qui non plus suis prolibus, quàm aliis suis bonis spoliari possunt; in eos enim Ecclesia nullam habet jurisdictionem, nec Principes Catholici, nisi in iis, quæ spectant pacem et tranquillitatem publicam.

A fortiori probatur, illicitè baptizari proles infidelium nullo modo Principi fideli subjectorum.

Obj. 1. Christus Dominus Matth. cap. 18. generaliter jussit baptizari omnes Gentes: ergo, &c.

Hoc intelligi debet, salvâ reverentiâ Sacramenti, et jure naturali parentum in proles suas.

Obj. II. Plurimi infantes moriuntur ante usum rationis, qui baptizati consequenter salvandi sunt: ergo ob hanc saltem rationem licitè baptizantur.

R. Nego conseq. quia licèt magna illorum pars moriatur ante usum rationis, de nullo tamen in particulari (seposito mortis periculo) id scire possumus: unde respectu uniuscujusque in particulari exponeretur evidentissimo periculo profanationis Sacramentum Baptismi, quod utique non tantùm est institutum, ut infantes salventur in illa ætate, sed etiam, et quidem ex suo principali fine, utpote Sacramentum fidei, ut, si ad adultam ætatem supervixerint, christianè vivant; hoc autem sperari non potest in casu.

Plures objectiones vide apud Daelman et alios.

Dictum est in conclusione: *Exceptis quibusdam casibus*, qui sunt:

VI. 1°. Si infans sit in periculo mortis; tunc enim moraliter non militat ratio profanationis Sacramenti, &c.

2°. Baptizari possunt perpetuò amentes.

3°. Adulti consentientes, ut supra dictum est.

4°. Baptizari potest infans ita à parentum custodia abstractus (sive justè, sive injustè) ut non sit spes reditùs ad illos.

6°. Si alteruter parentum consentiat in Baptismum prolis, quamvis alter dissentiat; attenditur enim tunc ad voluntatem magis rationabilem.

N. 23. AN BAPTIZARI POSSINT INFANTES IN UTERO MATERNO.

I. *Infans in utero existens.* II. *Juxta plures non potest baptizari,* III. *sed juxta alios potest.* IV. *Quod ultimum habet locum in praxi,* V. *sub certis cautelis.*

Resp. 1°. Si aliqua pars infantis jam sit in lucem edita, potest et debet in ea baptizari in casu necessitatis, juxta dicta Num. 7.

I. 2°. Infans in utero existens nullo modo potest dici baptizari Baptismo matris, si fortè contingat tunc illam baptizari: quia secundùm animam et corpus infans contra matrem distinguitur.

3°. Unde si ita clausus sit in utero matris, ut aquâ tangi et ablui non possit, inutiliter et illicitè tentatur Baptisma, quia ablutio est de necessitate Sacramenti.

4°. Sed quæstio est, utrùm puer totaliter adhuc in utero existens possit validè baptizari, si inchoato puerperio possit manu aut alio instrumento aquâ perfundi: uti fieri posse, ex medicorum et obstetricum testimoniis satis constat?

II. R. Negativam sententiam communiter tenent antiqui et multi recentiores, eamque probant sequentibus argumentis:

1°. Quia per Baptismum homo renascitur, juxta illud Joan. cap. 3. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuò,* &c. item v. 7. atqui nemo potest dici nasci denuò seu renasci, nisi priùs fuerit natus: in casu autem puer non est natus: ergo, &c. 2°. Ex authoritate Sancti Augustini, quem citat *argumento sed contra,* et sequitur S. Thomas. 3°. Ex Rituali Romano, quod Titulo *de baptizandis parvulis* dicit: *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.* Et Pastorale nostrum eodem Titulo: *Nemo in utero matris clausus baptizari potest.*

III. Multi interim recentiores tenent partem affirmativam, quam etiam variè probare conantur:

1°. Infans in casu est vero sensu natus, juxta illud Matthæi cap. 1. v. 20. ab Angelo dictum Josepho: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

2. Talis sufficienter natus est, ut contrahat peccatum originale: ergo etiam, ut ipsi applicetur remedium.

3°. Infans ex matris utero emittens aliquam partem corporis potest baptizari, licet non sit perfectè natus: ergo similiter, si ablui possit in utero.

4°. Nullo modo nativitate in lucem editus, sed ex utero matris mortuæ excisus (ut S. Raymundus ideo *non natus* dictus) validè baptizatur: ergo similiter in utero contentus.

5o. Ad authoritates alterius sententiæ respondet Daelman, quòd Ritualia, &c. ex hypothesi falsa processerint, quasi scilicet tales pueri verè ablui non possent; cujus tamen hodie contrarium constat.

IV. Quidquid autem sit de hac sententiarum diversitate, posterior equidem est probabilis: unde in casu necessitatis (in quo extrema sunt tentanda) locum habet baptizando scilicet sub conditione: *si sis subjectum capax*; sed si postea talis puer vivus edatur in lucem, erit conditionate rebaptizandus. Ita Bened. XIV. Lib. VII. de Syn. Diœc. cap. 5. num. 6.

V. In casu autem tunc observandum, ut adhibeatur aqua calida, cùm frigida multum noceret matri; deinde ut sic baptizans frangat pellem secundinam, quâ infans involutus est, ut aqua ipsum corpus (et si possit, caput) immediatè abluat; quòd si pellem secundinam rumpere non posset, non ideo Baptismus esset prætermittendus: quia juxta aliquos hæc pellis est pars infantis pro hoc statu.

N. 24. DE SECTIONE CÆSAREA.

I. *Non licet occidere matrem.* II. *Ut baptizetur fœtus;* III. *Sed si mater mortua sit.* IV. *Ex certis signis.* V. *Debet secari à chirurgo, quandoque à Pastore.* VI. *Modus secandi.*

An licet occidere matrem prægnantem, ut fœtus extrahatur vivus et baptizetur?

I. R. Negativè: quantumvis à Medicis sit desperata; quia nunquam licet aliquem occidere, ut alteri subveniatur.

Quidam excipiunt casum, quo mater est damnata ad mortem; sed satius est differre supplicium, imò notificationem condemnationis, donec pepererit.

II. Quidam etiam dicunt, sectionem matris vivæ licitam esse si quis sit ita peritus: ut cum fundata sanationis spe matrem secare possit, et inde extrahere prolem alioquin sinè Baptismo morituram, iis præsertim in casibus, quibus sectio illa unicum medium est, non tantùm ad salvandam prolem sed etiam ad conservandam matrem.

III. Si autem mulier prægnans certò mortua sit, statim secari debet, ut inde extrahatur fœtus, juxta præscriptum Ritualis Rom. instructiones S. Caroli Borr. &c. qui, si vivus fuerit mox baptizetur: si verò certò mortuus deprehendatur, neque baptizari, neque in Loco Sacro sepeliri potest; nisi nondum extractus esset ex utero, quo casu potest ibi relinqui, et cum matre tanquam pars ejus sepeliri.

IV. Inter signa, ex quibus colligitur mors matris, communiter assignari solet, si flamma candelæ ori admota nihil moveatur, aut si in speculo ori admoto nulla cernatur respiratio: verùm hæc subinde fallunt. Certiora sunt 1° Si oculi omnino flaccescant et pelluciditatem suam amittant: 2°. Rigor et inflexibilitas membrorum, ita ut non nisi difficulter alius situs ipsis imprimi possit, et ubi semel impressus est, non ampliùs in pristinum statum sese restituant, nisi fortè lentè, ast nunquàm totaliter: quòd si membra cum vi in pristinum statum sese restituant, signum est, subjectum adhuc vivere.

Sicut defectus motûs sensibilis in matre non est signum certum mortis, ita multò minùs in fœtu: cujus mors ferè dubia censeri debet, quamdiu non observatur manifesta putrefactio aut membrorum disruptio: quare sectio non potest omitti ex eo, quod nullus motus in utero observetur.

Consulitur, ut mortuâ matre ori tubus immitatur, similique modo patula uteri vagina servetur, utque calor in utero intertineatur, quoad usque sectio inchoetur.

V. Convenientissimè autem dicta sectio (quæ communiter Cæsarea dicitur) fit per Chirurgum, aut alium in hac re peritum, in quorum defectu incumbit Parocho eandem operationem facere: quapropter Pastores pagorum, in quibus deest copia Chirurgorum, &c. scire debent modum aperiendi uterum matris mortuæ sinè læsione fœtûs.

VI. Modus secandi matrem prægnantem hodiedum Medicis usitatus, et juxta ipsos magis facilis et expeditus est

hic: cultro vel scalpello fiat scissura transversa in superiore parte abdominis (seu parum infra thoracem in medio corporis) tam lata et profunda, ut digitum facilè immittere possit in cavitatem ventris: tum digitum immittens et cultello supponens elevat pellem, et scindit rectè per umbilicum (quem tamen etiam pro majori facilitate declinare potest) in totam longitudinem ventris, finiendo super os pubis; hâc sciesurâ factâ in medio ejus mox reperiet maticem inter vesicam et intestinum rectum sitam, in cujus pelle prudentissimè faciat aperturam in loco, ubi pellem uteri teneriorem digito sentit, et iterum scindit, ut infans erui possit, quem reperiet circumdatum secundinis seu membranis, quas ordinarie digitis facilè dilacerabit, vel aliter scindet.

Ne autem scindendo lædat fœtum, observabit semper, ut dorsum cultri respiciat uterum, et digitum supponat. Ubi infantem vivum deprehenderit, statim aquâ ad hoc jam ante paratâ baptizet. In defectu autem obstetricis vel alterius peritæ, mox etiam umbilicum, seu potius tubum umbilici fortiter comprimit, vel digito circumducit, et eum parato filamine quasi in distantia latitudinis unius pollicis à ventre ligat, et tunc scindit eundem umbilicum quasi in distantia latitudinis duorum pollicum à ligatura, tandem datur infans fovendus, &c.

Ad præfata autem, et præsertim ad bene secandum, plurimùm conducit præsentia animi, ita ut quam maximè possit deponatur omnis præcipitantia et perturbatio.

Notandum, quòd fœtus non semper in matrice sed aliquando in ovario, tubis fallopianis, aut alia ventris parte reperiatur.

Notandum etiam, sæpius evenire, et præsertim primis et ultimis à conceptione mensibus, quòd mater in ipsa agonia fœtum ejiciat, qui facile, nisi citò ei subveniatur, suffocari posset.

Quandonam sectio cæsarea debet institui?

Resp. Cùm probabilis sit sententia, quæ dicit, fœtum animari non tantùm 40. aut 80. die, sed statim ab ipsa conceptione, vel saltem primis à conceptione diebus; hinc convenit ut illa instituatur, quotiescumque probabilis habetur suspicio, defunctam concepisse: an verò ad hoc ante 40° diem quis obligari possit, dicere non ausim.

Hæc et alia plurima notatu dignissima videri possunt apud Cangiamila in eximio opere de *Embryologia Sacra*; vel *in Compendio illius* quod gallico idiomate edidit Dinouart.

N. 25. DE BAPTIZANDO FŒTU ABORTIVO.

I. *Quomodo baptizandus fœtus abortivus.* II. *Quandonam fœtus animetur.* III. *Observanda pro praxi.*

Per fœtum abortivum intelligitur fœtus, qui præmaturè in lucem editur.

An talis debet baptizari?

I. R. Absolutè debet baptizari, si certum sit, quòd vivat: sub conditione, si dubitetur, an vivat: nullo modo potest baptizari, si constet, mortuum esse.

Quandonam fœtus anima rationali animatur?

II. R. Certum est, fœtum animari diu ante partum, ut probat experientia in infantibus ex matris utero excisis: unde meritò damnavit Innocentius XI. hanc 35. propositionem: "Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, et tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur."

Incertum interim manet, quo præcisè tempore fœtus animetur. Multi, inter quos Neesen, volunt, animam non infundi nisi in corpus bene organizatum: plurimi tamen Medici et recentiores Theologi id fieri sustinent statim à conceptione, vel ad summum tertio aut septimo à conceptione die; utì videri potest in dissertatione Theologica *de baptizandis abortivis*, quæ habetur ad calcem hujus Tractatûs.

III. Itaque Abortivi, aut habent omnia membra explicata, aut nondum sunt illam perfectionem adepti. Primi, si vitæ indicium motu præbeant, absolutè baptizantur: conditionatè verò, si motum præ se non ferant, at nihilominus non sint corrupti aut laceri, licèt lividi, ac sinè pulsu, respiratione, motu et sensu appareant.

Secundi, modo humani embryones esse videantur, etiam primis graviditatis diebus, sub conditione baptizantur; licèt, utpotè minimi et imperfectissimè figurati, sensibili motu

careant: baptizantur autem primò secundinis involuti, ne tempus teratur cum periculo mortis ipsorum, ubi aeri exponerentur: deinde cautè aperiuntur secundinæ, et iis vacuis, iterum baptizatur fœtus sub conditione; *Si sis capax.* Plura circa hanc praxim vide *in memorata Dissertatione* ad calcem hujus Tractatûs.

Ut verò discernatur, num illud, quod immaturè ab utero effusum est, fœtus sit vel non, hanc regulam statuit Florentinius; quando internus homunculus ob suî teneritudinem membranam nequivit abrumpere, et seipsum prodere, si involucrum illud effusum appareat membranâ circumdatum, quæ sit subalbi coloris similis intestinis, figuræ ovalis, et quæ digito tacta mollescat et cedat, signum est fœtum esse, non molam: si verò illud, quod ex utero mulieris egressum est, sit caro informis, nigris venis et sanguineis intexta, scabra, dura, aut vario colore infecta, tum mola judicabitur, non fœtus. Vide Cangiamila, aut ejus *Compendium*, lib. 1.

N. 26. DE BAPTIZANDIS MONSTRIS ET AMENTIBUS.

I. *Quæ monstra sint baptizanda.* II. *Vel est tantùm unus homo.* III. *Vel plures.* IV. *Vel dubiè plures.* V. *De amentibus, &c.*

I. "MONSTRUM, dicit Pastorale nostrum conformiter ad Rituale Roman. quod humanam speciem non habet, baptizari non debet; judicium autem hujusmodi rei potissimum ex capite (quod est rationis et sensuum sedes) capiendum est: proinde, si caput sit humanum, aut humano propius, baptizetur: si sit dubium, baptizetur sub conditione: *si tu es homo:* et ita si caput esset ferinum, et reliqua membra humana, sub conditione baptizari deberet.

Quamquam Ritualia communiter præscribant non esse baptizandum monstrum, *quod humanam speciem non habet*; illud tamen hodiedum à compluribus Medicis et Theologis in dubium revocatur, an monstra illa careant anima rationali. Ratio illorum est, quòd forma fœtûs humani in utero matris, cùm adhuc mollis et flexibilis est ejus materia, quia deformari et immutari possit ex vehementi aliqua matris imagi-

natione aut terrore, ut brutalem planè formam fœtus editus exhibeat: jam autem nihil est, quod sufficienter evincat, animam rationalem, quâ fœtus ante deformationem probabiliter animatus erat, è corpore illo migrasse, mox ut exterior ejus forma fuit deformata, et in brutalem mutata: ergo, &c. Dinouart *in Appendice ad Embryologiam* adfert decisiones plurium Medicorum in hanc rem, utì et resolutionem Universitatis Lovaniensis.

Idem ibi inquirit, quid judicandum sit de fœtu, quem femina concepit ex bruto, aut è converso femella bruta ex viro.

Ulteriùs circa monstra observandum, dubium subinde esse, sintne unus, an plures homines.

II. Si habeat unum caput et unum pectus, certum est, tantùm unum esse hominem, quamvis habeat v. g. tres manus, pedes, &c. unde tunc simpliciter baptizetur.

III. Vel est perspicuum, esse duos homines, ut si habeat duo capita et pectora distincta, licet cætera non sint duplicata; et tunc separatim baptizentur; si autem periculum mortis immineat, simul abluantur dicendo: *Ego vos baptizo*, &c.

IV. Vel est dubium, an unus vel plures homines sint, ut si habeat duo capita et pectora non bene distincta: et tunc unus absolutè baptizetur, et alter sub conditione: *si non es baptizatus*. Idem est, si habeat duo capita et unum pectus, vele contra.

An et quomodo amentes et furiosi sunt baptizandi?

V. R. Cùm omnes soleant hìc in infantia baptizari, sic vix potest occurrere hæc quæstio, illam interim breviter resolutam, vide in initio num. 45. *De Sacramentis in genere*.

N. 27. DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS IN ADULTIS BAPTIZANDIS.

Concil. Trid. sess. 6. cap. 6.

I. *Dispositio adulti.* II. *Ad valorem Baptismi,* III. *Et ad fructum Sacramenti.* IV. *Requiritur contritio imperfecta,* V. *non tamen de peccato originali.* VI. *Non requiritur confessio* VII. *nec opera satisfactoria.*

I. ADULTUS hic intelligitur, qui aliquando rationis usum habuit: quia perpetuò et plenè amentes comparantur infantibus, in quibus nulla requiritur dispositio.

Ulteriùs notandum, quòd in adultis alia requiratur dispositio ad valorem Baptismi, alia ad suscipiendum validè et fructuosè.

Quænam requiritur in adulto dispositio ad valorem Baptismi?

II. R. Requiritur et sufficit intentio, seu voluntas suscipiendi Sacramentum, scilicet positiva et interna. Vide num. 45. *de Sacramentis in genere.*

Quænam requiritur ad fructuosam hujus Sacramenti susceptionem?

III. R. Illam latè describit Conc. Trid. loco citato, ut videre est: summatim dicimus ex eo requiri motum Divinæ Gratiæ, actum fidei, spei et amoris, ac pœnitentiæ seu contritionis; motûs autem timoris non est necessarius, cùm Tridentinum solùm dicat: *Quo utiliter concutiuntur.*

Qualis debet esse ille actus amoris seu contritionis?

R. Non debet esse charitas, sive contritio perfecta: quia cap. seq. dicit idem Concilium: *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur,* nempe per Baptismum.

IV. Requiritur ergo, et sufficit charitas, sive contritio imperfecta; illa autem secundùm Lovanienses procedere debet ex aliquo amore Dei benevolo. Vide Num. 52. et seq. in Tractatu *de Sacramento Pœnitentiæ.*

An talis adultus baptizandus debet etiam habere contritionem de peccato originali?

V. R. Juxta S. Thom. supp. quæst. 2. art. 2. in *Corp.* de peccato originali non datur contritio strictè dicta: quia contritio respicit duritiem cordis ab ipsa personali voluntate inductam: requiritur tamen displicentia peccati originalis, cùm sit offensa Dei, et hominem constituat Dei inimicum.

An Baptismo præmitti debet confessio sacramentalis?

VI. R. Negativè: quia peccata ante Baptismum commissa non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ: admittit tamen S. Thom. confessionem utiliter fieri, non quidem ad absolutionem, sed ad humiliationem, instructionem, &c. prout olim practicatum legitur, non tantùm apud Tertullianum *de Baptismo*, sed et in Actis Apostolorum: hæc tamen peccatorum confessio verisimiliùs non erat particularis, sed generalis et publica.

VII. Adulto autem baptizato injungi non debent opera satisfactoria: quia Baptismus remittit omnem culpam et pœnam, ut infra videbitur.

N. 28. DE TEMPORE SUSCIPIENDI BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 68. *art.* 3.

I. *Parvuli quantociùs baptizandi.* II. *Adulti non possunt diu differre.* III. *Sed ad aliquod tempus.* IV. *Ob varias rationes.*

Quo tempore infantes sunt baptizandi?

I. R. Quàm primùm fieri potest, ut dicit *Rituale Romanum* tit. 19. Unde etiam *Synodus Provincialis Mechliniensis* cap. 2. tit. 3. cap. 7. requirit, ut, quæ admittitur ad Officium obstetricandi, "ultra consuetum juramentum juret etiam, quòd infantes à se suscipiendos quantociùs, vel saltem intra tres dies baptizari curabit; aut si, obsistentibus parentibus vel amicis, id efficere non possit, mox Pastori loci eos denunciet." Igitur culpanda est praxis illorum parentum, qui absque gravi causa recenter natorum Baptismum differunt, v. g. ob absentiam patrini, qui expectatur.

Quanta autem debeat esse dilatio, ut sit peccatum mortale, judicio prudentum existimandum est ex circumstantiis, nempè ex gravitate periculi mortis et causâ dilationis.

Multò minùs poterit Parochus negare vel differre Baptismum infantum, eò quòd v. g. proles sit illegitima, &c. ut dicitur *in Synodo Diœcesana*, tit. 3. cap. 4.

Quo tempore debet adultus suscipere Baptismum ?

II. R. Si immineat periculum mortis, statim tenetur ; sed extra tale periculum, licèt non sit Jure Divino, neque jam ampliùs Jure Ecclesiastico (ut olim vigiliæ Paschæ et Pentecostes) tempus determinatum, quo Baptismum suscipere debent ; communiter tamen dicunt Authores, quòd sinè gravi peccato non possint diu differre : (nisi adsit gravis causa, quam supponuntur habuisse varii Sancti, qui olim Baptismum diu distulerunt). Ratio est, quòd non solùm in remissionem peccatorum Baptismus sit institutus et præceptus, sed etiam ut homo aliquo signo visibili profiteatur fidem suam, fiat membrum Ecclesiæ et capax aliorum Sacramentorum.

III. Docet tamen hìc S. Thomas in *Corp.* quòd differre oporteat ad aliquod tempus propter varias rationes.

IV. Prima ad cautelam Ecclesiæ, ne decipiatur conferendò Sacramentum fictò accedentibus : unde per aliquod tempus oportet probare eorum fidem et mores, et præsertim motivum, quare baptizari velint ; v. g. an non intuitu bonorum temporalium, &c.

Secunda ob utilitatem baptizandorum, ut plenè instruantur in fide, et exercitentur in his, quæ ad vitam christianam pertinent.

Tertiam allegat S. Thomas juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam, ut scilicet ob reverentiam Sacramenti in præcipuis Solemnitatibus, Paschæ nimirum et Pentecostes, cùm majori devotione Baptismus suscipiatur.

Hujus autem disciplinæ adhuc vestigium remansit, scilicet quòd in vigilia Paschæ et Pentecostes in Ecclesiis Parochialibus fiat Benedictio Fontis Baptismalis.

Historiam autem veteris illius disciplinæ reperies apud Juenin, Tournelly, Pauwels et Billuart.

N. 29. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 69.

I. *Effectus Baptismi est character.* II. *Gratia sanctificans et Sacramentalis.* III. *Remissio omnium peccatorum.* IV. *Et omnis pœna coram Deo.* V. *Aliter quàm coram hominibus.* VI. *Vel in Sacramento Pœnitentiæ.* VII. *Baptismus non tollit pœnalitates.*

QUINAM sunt effectus Sacramenti Baptismi?

I. R. Generatim duplex distinguitur, scilicet gratia et character.

De charactere sufficienter dictum est Num. 26. et 27. *de Sacramentis in genere.*

II. Sub gratia, cùm hic intelligatur integra hominis interioris renovatio, continetur quadruplex effectus, scilicet peccatorum remissio, deletio omnis pœnæ, gratiæ sanctificantis virtutumque infusio, ac gratia sacramentalis, seu jus ad gratias actuales suo tempore dandas.

De gratia sanctificante virtutumque infusione, ac de gratia Sacramentali vide Num. 20. tres sequentes *de Sacramentis in genere:* unde hìc solùm agemus de remissione omnis culpæ et pœnæ.

Quænam peccata remittuntur in Baptismo?

III. R. Per se, nisi ponatur obex, remittuntur peccatum originale et omnia personalia ante Baptismum commissa, sive mortalia, sive venialia.

Huc spectat illud Ezechielis cap. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Similiter Michææ cap. 7. v. 19. Sic etiam Act. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrùm in remissionem peccatorum.* Vide etiam cap. 22. v. 16. item ad Rom. 6. et S. Thom. hìc art. 1.

Obj. In baptizatis manet fomes concupiscentiæ, quem [illegible] ad Rom. cap. 7. v. 17. vocat peccatum: ergo, [illegible] consequ. quia fomes concupiscentiæ non est verè [illegible]; sed juxta Tridentinum sic aliquando

) Apostolo nominatur, quia ex peccato est, et ad peccatum elinat.

Quænam per Baptismum remittitur pœna peccati?

IV. R. Remittitur omnis pœna, tam temporalis, quàm terna, pro peccatis luenda, coram Deo.

Probatur ex Conc. Flor. *in Decreto unionis*: "Hujus acramenti (Baptismi) effectus est remissio..omnis pœnæ, ue pro ipsa culpa debetur."

Deinde ex Trid. sess. 5. cap. 5. ubi definit, nihil prorsus aptizatos ab ingressu Cœli remorari: et sess. 6. cap. 14. Pœnitentia non semper totam pœnam, ut in Baptismo fit, mitti.

Confirmatur ex praxi Ecclesiæ, quæ nullam baptizatis jungit satisfactionem, eò quòd homo per Baptismum icatur renovari, regenerari et renasci, quasi modò geniti fantes.

V. Dictum est, quòd remittatur omnis pœna *coram Deo*: uia Baptismus non remittit pœnam, infligendam per Judicem humanum, v. g. ob patratum ante homicidium vel rtum; "Piè tamen talibus Princeps posset pœnam indulgere," inquit S. Thom. art. 2. ad 3.

Quare Baptismus potiùs delet omnem pœnam, quàm Sacramentum Pœnitentiæ?

VI. R. Id unicè ex positiva Christi voluntate est repetendum, qui semel omnino liberaliter agere voluit cum peccatore, plenè illi communicando virtutem Passionis suæ, *ac si ipse passus et mortuus esset*, ut dicit S. Thom. art. 1. in *Corp.*

Quid si quis, dum baptizatur, adhuc alicui peccato veniali per affectum adhæreat?

R. Illud ipsi, nec quoad culpam, nec quoad pœnam, remittitur: unde dum dicitur, Baptismum remittere omnem pœnam, sensus est, quòd quoad pœnam deleat illa peccata, quæ delet quoad culpam: hocque est speciale Baptismo et Martyrio.

Obj. In renatis manent concupiscentia, morbi, mortalitas, &c. ergo in Baptismo non remittitur tota pœna peccati originalis.

VII. R. Nego conseq. quia quamvis illi defectus et miseriæ in non renatis dici possint pœna peccati originalis, in renatis tamen non habent rationem pœnæ propriè dictæ, sed sunt effectus et conditiones naturales naturæ corruptæ,

sive sunt pœnalitates, quas Deus, etiam peccato originali remisso, permittit ob justas causas, præsertim ad agonem et exercitium. Vide S. Th. art. 3. in *Corp.* Virtute tamen Baptismi susceptí totaliter auferuntur à justis in Resurrectione, *cùm mortale hoc induet immortalitatem*, ut dicitur 1. ad Cor. 15. v. 54. deinde in hac vita etiam alleviantur et diminuuntur præsertim concupiscentia.

Hæreticorum errores circa effectus Baptismi condemnando refert Tridentin. præcipuè sess. 7. *de Baptismo* can. 6. 7. 8. 9. 10. et latè impugnat Bellarminus lib. 1. *de Baptismo* cap. 14. et sequentibus.

N. 30. DE BAPTISMO FICTE SUSCEPTO.

S. Thom. quæst. 69. art. 9.

I. *Non valet Baptismus.* II. *Cum fictione essentiali.* III. *Sed valet cum fictione accidentali.* IV. *Sed est infructuosus.* V. *Etiam impediens infusionem Fidei et Spei.*

I. Duplex est fictio sive obex, nempe essentialis et accidentalis: accidentalis autem subdividitur in positivam seu voluntariam, et negativam seu involuntariam. Vide Num. 29. *de Sacramentis in genere.*

Quid facit fictio circa Baptismum?

II. R. Fictio essentialis, sive intentionis, reddit Baptismum nullum et invalidum, ut dictum est initio Num. 27. unde impedit quemcumque Baptismi effectum: et sic talis debet de novo postea baptizari.

III. Si autem fictio sit tantùm accidentalis, seu dispositionis (sive voluntaria sive involuntaria) Baptismus erit informis, seu validus, sed infructuosus: unde cùm validus sit, imprimetur character; sed impeditur effectus gratiæ, prout hæc num. 29. intelligitur secundùm quadruplicem effectum.

IV. Disputatur tamen, an hæc fictio accidentalis impediat infusionem virtutum fidei et spei; de aliis autem virtutibus non est quæstio, cùm juxta communem sententiam nunquam separentur à gratia sanctificante et charitate. Sententiam affirmativam tenet Daelman contra Sylvium; potestque fundari in S. Thoma, 1. 2. q. 62. art. 4. in *Corp.* ubi dicit: *Fides præcedit spem, et spes charitatem secundum actus; nam habitus simul infunduntur.*

Eodem modo procedendum est, sicut in præcedentibus dum fundatè dubitatur, an Baptismus fuerit fructuosè susceptus.

N. 32. DE INITERABILITATE BAPTISMI.

S. Thom. quæst. 66. art. 9.

I. *Baptismus est initerabilis,* II. *Ut constat ex Scriptura Sacra.* III. *Et Traditione,* IV. *Ob varias rationes congruentiæ.*

I. An Baptismus est initerabilis ?

R. Affirmativè, et hoc est de fide ; ita ut semel validè susceptus illicitè et invalidè iterum attentetur.

II. Probatur 1° ex Scriptura Sacra, ut ad Hebr. cap. 6. v. 4. et 6. *Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati. . et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Quæ verba non possunt intelligi de Sacramento Pœnitentiæ, quod iterabile est ; sed de Baptismo, cui optimè conveniunt illuminatio, renovatio, et subjuncta ratio crucifixionis.

III. 2° Probatur ex traditione : prout declarat unanimis SS. Patrum consensus, constans et perpetua Ecclesiæ praxis, ac iteratæ definitiones, signanter in Trident. sess. 7. *de Sacram. in genere,* can. 9.

Quare Baptismus est initerabilis ?

IV. R. Efficax ratio est Christi voluntas et institutio, nobis manifestata ex supra dictis.

Variæ tamen à S. Thoma hoc loco in *Corp.* allegantur rationes congruentiæ fundatæ in ipsa Sacramenti Baptismi natura.

1° Quia Baptismus est spiritualis regeneratio : unde sicut unica respectu ejusdem est generatio carnalis, ita et unica spiritualis.

2° Quia Baptismus est figura Mortis, Sepulturæ et Resurrectionis Christi ; Christus autem tantùm semel mortuus est, &c. ergo, &c. Unde supra ad Hebr. cap. 6. Baptismi iteratio iteratæ Christi Crucifixioni comparatur.

3° Quia imprimit characterem indelibilem cum quadam hominis consecratione.

4°. Quia institutus est in remedium peccati originalis, quod unicum est in singulis, et semel remissum nunquam redit.

N. 33. DE PECCATO ET PŒNA REITERATIONIS BAPTISMI.

I. *Est grave Sacrilegium.* II. *Punitur Jure Civili,* III. *Et Ecclesiastico rebaptizans* IV. *et rebaptizatus,* V. *etiam dum fit conditionatè sinè causa.*

QUALE peccatum est Baptismum validè collatum scienter reiterare?

I. R. Est grave peccatum sacrilegii, tum in Ministro, tum in suscipiente, quod utique à sanctis Patribus grave scelus appellatur; cedit enim in gravem injuriam Sacramenti, dum contra ejus institutionem tentatur adhiberi subjecto incapaci.

Quænam est pœna istius reiterationis?

II. R. 1°. Jure Civili est pœna capitis, tum respectu rebaptizantis, tum respectu rebaptizati.

III. 2°. Conveniunt Authores, quòd rebaptizans Jure Ecclesiastico incurrat irregularitatem quoad Ordines Superiores suscipiendos, juxta Capitulum EX LITTERARUM, *de Apostatis,* L. 5. Decret.

Obj. Alexander III. cap. cit. tantùm exprimit Acolythum, qui adfuerat respondens rebaptizanti; atqui non incurritur irregularitas, nisi in casibus à jure expressis: ergo, &c.

R. Quamvis nulla ibidem expressè decernatur pœna in rebaptizantem, colligitur tamen à fortiori; quæ collectio valet ob usum et consuetudinem, quæ est optima Legum interpres. Sic communiter tenent Theologi et Jurisperiti.

Ob eandem consuetudinem verius videtur, inquit Sylvius, hanc irregularitatem etiam incurri, dum hoc crimen est occultum.

An autem rebaptizans fiat irregularis etiam quoad usum et exercitium Ordinum susceptorum, dubitatur: plures Authores negant; cum aliis autem affirmat Benedictus XIV. *Institut.* 84.

IV. 3°. Qui se rebaptizari facit aut patitur, incurrit irregularitatem totalem, juxta cap. QUI IN QUALIBET. causâ 1. q. 7.

Hic consideranda sunt, quæ alibi traduntur de irregularitate ex delicto.

An pœna irregularitatis incurritur, si Baptismus iteretur sub conditione, dum nullum est dubium de ejus valore?

V. R. Conveniunt omnes, quòd graviter in casu peccetur; sed multi, ut Suarez, Sylvius, Wiggers et Billuart putant, non incurri irregularitatem; rectiùs tamen affirmant Steyaert et Daelman cum Catechismo Roman. parte 2. *de Baptismo* Num. 56. et Benedicto XIV. *Institutione* 14. quia Leges generatim sub irregularitate prohibent iterationem Baptismi, nec excipiunt casum nisi invalidi vel dubii Baptismi antea collati.

N. 34. DE REBAPTIZATIONE CONDITIONATA.

I. *Dubie baptizatus* II. *debet sub conditione rebaptizari* III. *exteriùs exprimendâ,* IV. *et quandoque conditionatè absolvi,* V. *nisi sit dubium infundatum,* VI. *ut si inter Christianos natus et educatus sit.*

I. DICTA Num. præcedenti intelligenda sunt de casu, quo moralis habetur certitudo de valore Baptismi ante collati: si enim fundatum dubium desuper foret, deberet talis rebaptizari, sub conditione dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Et ita statuit Alexander III. Libro 3. Decret. tit. 42. cap. 2. perinde autem est, sive dubium sit, an aliquando fuerit baptizatus, sive dubium sit, an Baptismus ante collatus fuerit validus.

II. Conclusio patet ex summa hujus Sacramenti necessitate, quæ conditione appositâ, abstergit irreverentiam Sacramenti, si fortè antea fuerit validum.

An præfata conditio exteriùs est exprimenda?

R. 1°. Eundem effectum habere, sive exteriùs exprimatur, sive in mente retineatur.

2°. Exprimi debet, si id videatur necessarium, ut tollatur omnis occasio scandali.

III. 3°. Undo generatim meliùs et convenientiùs exprimitur exteriùs, ut ita pateat Sacramenti Baptismi initerabilitas, et omne offensionis pusillorum periculum, omnisque

Anabaptismi suspicio evitetur : estque conformius Pastorali nostro ; ut notat Steyaert, utpote quod dicat : *Ea conditio explicanda est.*

Quamvis autem ante sæculum 8. prædictæ conditionis non habeatur mentio expressa ; eam tamen semper fuisse saltem mente subintellectam, colligit Benedictus XIV. lib. 7. *de Syn. Diœc.* cap. 6. ne aliàs Ecclesia fuisset visa incidisse in rebaptizantium errorem, quem toties detestata est.

Quid faciendum, si quis post Baptismum dubiè susceptum peccaverit mortaliter ?

IV. R. Colligi potest ex Num. 31. nempe quòd debeat illud mortale confiteri, et ab eodem absolvi sub conditione : *si es baptizatus ;* item debet rebaptizari sub conditione : *si non es baptizatus.* Sacramentum Pœnitentiæ requiritur, quia prior Baptismus fortè fuit validus : et posterior Baptismus requiritur, quia prior fortè fuit invalidus. Perinde autem esset, utrumvis horum præcedat, ut notat Daelm. obs. 4. *de Baptismo.*

V. Quòd si dubium de valore Baptismi sit infundatum et merus scrupulus, non potest denuo Baptismus conferri, nequidem sub conditione ; hæc enim, deficiente probabili dubii ratione, habetur pro non apposita. Porrò de Baptismo alicujus constare potest non tantùm scripto et testibus, sed etiam aliis indiciis : VI. unde non est rebaptizandus adultus, qui inter Christianos natus et educatus postea dubitat de Baptismo, fortè quia non ampliùs exstat registrum, vel in eo omissus est.

Sic resolvit Innocentius III. capit. VENIENS. " Certè de illo, qui natus de Christianis parentibus, et inter Christianos fideliter est conversatus, tamen violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis fortè argumentis contrarium probaretur."

Hinc etiam infert Sylvius, adultum non posse anxiari de Baptismo, quem obstetrix ipsi contulit in infantia ; supponere enim debet, quòd vel Parochus sub conditione eum rebaptizaverit, vel ritè examinatum repererit Baptisma fuisse validum.

Varios casus, in quibus sub conditione oportet rebaptizare, insinuavimus in præcedentibus, signanter Num. 4, 7, 10, 23, 25, et 26.

Specialis difficultas restat circa baptizatos ab obstetricibus, pueros exposititios, et baptizatos ab Hæreticis, de quibus singulis speciatim.

N. 35. AN BAPTIZATI AB OBSTETRICIBUS SINT REBAPTIZANDI.

I. *Baptizati ab obstetrice.* II. *Juxta multos non sunt generaliter,* III. *sed juxta Pastorale sunt generaliter rebaptizandi,* IV. *Ut etiamnum practicatur:* V. *nisi constet specialiter de Baptismo.*

In resolutione hujus quæstionis Ritualia Ritualibus, et Authores Authoribus opponuntur.

I. Varia Ritualia volunt in casu, examinandam esse obstetricis in administrando Baptismo scientiam, prudentiam et modum applicandi materiam et formam, sic quidem ut baptizatum ab obstetrice velint conditionatè rebaptizari, si sit ratio suspicandi, quòd aliquid essentiale forsitan defuerit ex obstetricis imperitia, turbatione, &c. aliàs verò non esse rebaptizandum, sed tantùm supplendas esse cæremonias.

Quinimo docet Benedictus XIV. lib. 7. *de Syn. Diæc.* cap. 6. quòd, ubi obstetrices, quas constat legitime esse edoctas de essentialibus Sacramenti Baptismi, attestantur Parocho, omnia à se esse ritè adhibita, quæ ad Sacramentum validè conficiendum requiruntur, nulla tunc subsit probabilis ratio, cur Baptismus debeat aut licitè possit sub conditione repeti.

II. Hinc ait, improbandas esse Synodos, in quibus generatim atque indistinctè iterum sub conditione baptizari in Ecclesia jubentur, quicunque privatim fuêre ab obstetricibus domi baptizati: videri etiam potest institutio ejus 8. et 84. III. nihilominus Pastorale Mechliniense (cui conformis est Synodus Iprensis sub Rythovio) jussu Joannis Hauchini editum, etiam post recognitionem factam authoritate Mathiæ Hovii, generaliter resolvit: "conditionalis baptizatio facienda est circa infantes, qui ab obstetricibus baptizati esse referuntur. *Et iterum:* si re diligenter perquisitâ fuerit dubium, utrùm puer sit baptizatus, vel si sit baptizatus ab obstetrice, sub conditione baptizetur."

Fundamentum hujus resolutionis est dubium de valore illius Baptismi, non quidem quod à parte rei semper subest, sed quod subesse præsumitur; nam præterquam quòd errare possit ex ignorantia et imperitia, mulieres in similibus angustiis (ubi mors imminet matri, vel salus prolis periclitatur) passim sunt trepidæ ac turbatæ: ut non immeritò præsumatur dubium, an aliquid essentiale fortè non fuerit omissum, sicut revera omissum fuisse quandoque experientiâ observatum fuit, prout casum narrat Daelman.

Nec obest, quòd obstetrix se rectè omnia peregisse asserat et referat: quia præsumitur dubium, utrùm non aliter referat, quam in casu necessitatis turbata fecerit vel dixerit.

A præfata generali resolutione nonnihil recessisse videtur idem Pastorale nostrum postea Authoritate Jacobi Boonen recognitum dicens: "Hâc formâ (conditionatâ) non passim nec leviter uti licet, sed prudenter; et ubi, re diligenter investigatâ, probabilis subest dubitatio.... quæ ordinarii est, quando infans ab obstetrice baptizatus dicitur." Ita insinuans, dubium illud quidem ordinariè, sed non semper subesse.

IV. Ob illam tamen Pastoralis nostri immutationem non est immutata Pastorum praxis, sed etiamnum hìc generalite continuatur consuetudo baptizatos ab obstetricibus sub conditione rebaptizandi; quam dicunt observari posse tanquam disciplinam praxi locali probatam, quamdiu aliud de consilio Ordinarii non fuerit visum.

Dicit Steyaert, quòd si quandoque in casu particulari dubium tam exiguum videretur, ut irreverentia aliqua Sacramento timeri per se posset, abstergat hanc facilè sancta illa docilitas, quâ quis se disciplinæ Ecclesiæ suæ humiliter conformat.

V. Notandum tamen, quòd si quandoque in casu particulari specialiter constaret, omnia ritè esse peracta ab obstetrice, non posset Baptismus denuo conferri, nequidem sub conditione.

Hactenus dicta de obstetricibus pariter de aliis Laïcis intellige, qui passim in hoc puncto minùs periti sunt, quàm obstetrices.

I. AN ET QUOMODO PUERI EXPOSITITII SINT BAPTIZANDI?

posititii baptizentur conditionatè. II. *Quamvis sit posita scedula collati Baptismi.* III. *Nisi constet testes.* IV. *Peccata prolem exponentis.*

RESP. Generalis resolutio est, baptizandos eos esse onditione, quibus nullum appositum est signum collati smi, aut non nisi dubium seu ambiguum, quale est itio salis, ut observat *Synodus Diœcesana Mechlin.* . 3.

Quando autem inter Catholicos expositus est infans apposita scedula, quæ illum baptizatum affirmat, nontunc existimant, talem nequidem sub conditione esse sandum; verùm communior et tutior sententia habet arium: quia scedula illa est suspecta de fallacia authoùm hìc testibus, non testimoniis sit credendum: deinde im manet, an Baptismus validè fuerit collatus: cùm onstet, à quo et quomodo in illis perplexitatibus Bapsit infanti administratus.

. Unicum casum excipit Concilium Carthaginense um (vel juxta alios quartum) cap. 6. "Placuit de tibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos zatos esse sinè dubitatione testentur.. absque scrupulo os baptizandos."

c interim observat Braunman, quòd si infans sit ros, ita ut non sit periculum in mora, non statim ad smum esse procedendum; sed interjectâ aliquâ temmorâ, in Parentes inquirendum esse, ut ex illis intelr, quid actum sit circa Baptismum pueri.

iter hìc inquiri solet, quomodo peccent, qui prolem unt?

. R. Quomodo peccent ratione injuriæ, et ad quid ntur, vide in Tractatu *de Jure et Justitia*, ubi agitur ortu et stupro.

inde si prolem non debitè baptizaverint, illam exponunt lo æternæ damnationis; si autem validè baptizaverint, em peccant peccato sacrilegii, quatenùs extra necessi- administrant hoc Sacramentum, et usurpant jus al-

N. 37. AN BAPTIZATI AB HÆRETICIS REBAPTIZANDI.

I. *Baptizati à sectariis.* II. *Conditionatè rebap debent.* III. *Nisi constet de essentialibus Bapti*

I. IMPRIMIS non sunt rebaptizandi ex illo præciè quòd baptizati sint ab Hæreticis: quia fide certu Hæreticum, qui omnia essentialia observat, validè bapt Vide Num. 12. et *de Sacramentis in genere* Num.

II. Quia tamen justa est ratio dubitandi, utrùm Hæ sectarii ritè adhibeant omnia essentialia, cùm exper compertum sit, Hæreticos illos vel aquam rosaceam h causâ adhibere, vel unum infundere aquam, et alterum ferre formam, aut alio modo sæpe negligentes esse essentialia, v. g. ablutionem: hinc statuit Pastorale nos tam modernum quàm antiquum, baptizatos ab illis H cis (putà Lutheranis, Calvinistis, Anabaptistis, al hujusmodi sectariis) rebaptizandos esse sub conditione ab Hæresi convertuntur ad fidem. Idem statuit Sy Prov. 2. Mechl. tit. 3. cap. 6. approbata per Paulum laudata à Benedicto XIV. lib. 7. *de Synodo Dioc* cap. 6. cùm autem non sit ratio dubitandi, quin omn sentialia à Ministris Jansenistis sollicitè observentur; ab illis baptizati nullo modo sunt rebaptizandi.

III. Neque baptizatus à quovis Hæretico foret reb zandus, si Catholicus testis oculatus, et in hoc puncto p testetur, omnia essentialia fuisse servata; nisi fortè du restaret de baptizantis intentione: quod cùm rarissi sit, notat loco mox citato Benedictus XIV. Baptismun esse judicandum dubium hoc solùm nomine, quòd Hæ cus (cùm non credat, remitti peccata per Baptismum) non conferat in remissionem peccatorum, adeoque vide ejus intentio dubia: etenim ob talem rationem minim baptizandos esse baptizatos à Calvinistis, definivit S. Pi

N. 38. UBI BAPTISMUS SIT ADMINISTRANDUS.

In necessitate potest ubique administrari. Vide Num. 13. hujus Tractatûs.

Extra casum necessitatis non licet baptizare nisi in Ecclesia habente Fontem Baptismalem: ut patet ex Clementina unica *de Bapt. et Synod. Prov.* 2. *Mechlin.* tit. 3. cap. 5.

Videtur autem illa obligatio esse gravis; quia dicit Pontifex: "Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, ut alii similia attentare non præsumant."

Excipit tamen dicta Clementina proles Regum et Principum, "quæ, inquit Pastorale nostrum, in eorum capellis vel oratoriis baptizari possunt, in aqua tamen baptismali de more benedicta, et præmissis Exorcismo et Catechismo, &c."

Per Principes, inquit Sylvius casu 3. *de Bapt.* intelliguntur illi Nobiles, qui supremam in Republica potestatem habent, neque sub alicujus Regis aut Principis jurisdictione sunt; sive interim nominentur Principes, sive Duces, sive Marchiones, &c.

Illo igitur privilegio non gaudent inferiores Nobiles, ut Vicecomites, &c. quorum consequenter petitioni acquiescere non potest Parochus, si petant prolem domi solemniter baptizari; sed illos remittat ad Episcopum aut Archipresbyterum (si tamen hic facultatem habeat) ut afferant licentiam in scriptis.

Plura circa Baptisterium vide Num. 4. et in *Rituali Romano.*

tizantur adulti. Vide Pastorale. Cæremoniarum Baptismi specialem populo identidem esse dandam explicationem, monet et subministrat accuratè *Catechismus Romanus* part. 2. num. 60. et sequentibus.

An in Baptismo emittitur votum vivendi juxta Leges Christianas?

R. Votum vocavit antiquitas, sed latè dictum: unde propriè est tantùm declaratio voluntariæ susceptionis Legis Christianæ, quæ fit per ipsum Baptismum, quæque proinde obligat æquè baptizatos in infantia, quàm in adulta ætate, et perinde baptizatos sinè cæremoniis, quàm cum illis.

Peccata interim baptizatorum graviora sunt, quàm aliorum, tùm ob ingratitudinem, tùm ob violationem hujus voluntariæ professionis et ipsius Baptismi: cum tamen sufficienter subintelligatur, non oportet hanc circumstantiam in confessione exprimere.

N. 41. DE PATRINIS.

S. Thom. quæst. 67. art. 7. et 8.

I. *Adhibendus est Patrinus.* II. *In Baptismo solemni.* III. *Non plures quam unus et una.* IV. *Qui contrahunt cognationem spiritualem.* V. *Non tamen inter se.* VI. *Et obligationem prolem instruendi.* VII. *Requisita ad valorem susceptionis.* VIII. *Quæ etiam valet per plures quàm per duos.* IX. *Et per Procuratorem.* X. *Patrinus in suppletione Cæremoniarum.* XI. *Distinctè annotandus est.* XII. *Et in rebaptizatione conditionata.*

I. Jure Ecclesiastico (ut putatur, ab ipsis Apostolorum temporibus) ordinatum est, ut in Baptismo adhibeatur Patrinus; idque convenienter ad modum, quo in generatione carnali ad infantis educationem convenienter adhibetur nutrix et pædagogus, quorum vices in spirituali generatione implet Patrinus. Licèt autem nunc communiter dicantur Patrini et Matrinæ, vocantur etiam tamen susceptores, offerentes, levantes, tenentes, sponsores, fidejussores, &c., quorum nominum ratio explicat actus et officia Patrini.

In quo Baptismo adhibendus est Patrinus?

II. R. In Baptismo solemni; idque sub gravi ex præcepto Ecclesiæ in re gravi.

Quamvis, teste Pauwels, usus hìc in Belgio non habeat, quòd in Baptismo privato adhibeatur Patrinus; si tamen Sacerdos sic baptizaret, vel Diaconus ex commissione, posset eum adhibere. Aliis autem baptizantibus id non licet; quia Patrinus spectat ad Baptismi solemnitatem; si tamen adhiberetur, probabiliùs esset verè Patrinus, et cognationem spiritualem contraheret; licèt quidem hìc contrarium dicant, ut Billuart.

Quot assumi possunt in Patrinos?

III. R. Juxta Concilium Tridentinum sess. 24. *de Reformatione Matrimonii* cap. 2. non possunt à Parocho admitti plures, quàm unus et una. Vide Trident.

Quinam sunt effectus validæ susceptionis in Baptismo?

IV. R. Primus effectus est cognatio spiritualis, quæ sicut à baptizante, ita etiam à Patrinis contrahitur erga baptizatum et baptizati Parentes. Est impedimentum dirimens matrimonii inter personas tantùm inter quas oritur, et peccato luxuriæ inter ipsas commisso addit malitiam incestûs spiritualis.

V. Porrò hæc cognatio spiritualis non contrahitur inter Patrinum et Matrinam, ut vulgus putat: quare monet Pauwels pastorem impedire debere vanam quorumdam observantiam, scilicet esse necessarium ad cognationem hanc impediendam, ut custos vel obstetrix ad Fontem Baptismalem se ponat inter Patrinum et Matrinam.

VI. Secundus effectus est gravis obligatio curandi, ut baptizatus in Fide et Vita Christiana rectè instruatur et educetur; ad hoc enim non tantùm tenetur Patrinus ex charitate et pietate, sed etiam ex Justitia ex quasi contractu fidejussionis; facilè tamen ab hoc liberantur Patrini in hac Patria, ubi sufficiens illa instructio dari præsumitur à parentibus et Pastoribus: qui tamen si quomodocumque in hoc deficerent, tenerentur Patrini. Vide S. Thom. art. 8. in *Corp*

Quænam requiruntur ad validam susceptionem?

VII. R. 1°. Ut suscipiens sit baptizatus. Vide S. Thom. suppl. quæst. 56. art. 3. ad 3.

2°. Ut sit rationis compos: quia susceptio est implicit contractus.

3°. Ut sit designatus à Parentibus vel aliis, quibus i cumbit cura, ut infans baptizetur; aut in horum defectu Pastore, ad quem spectat Patrinum designatum admitter vel ex justa causa rejicere.

4°. Ut Sacramentum Baptismi sit validum.

5°. Ut non sit error substantialis, qualis communit censetur error ipsius personæ baptizandæ.

6°. Ut assistat in Baptismi collatione cum intentior saltem virtuali Patrinum agendi.

7°. Præter hanc assistentiam plures ulteriùs requirunt, u susceptor baptizatum tangat: hinc dicit Pastorale nostrum " Sacerdos jubeat Patrinum vel utrumque simul (si amb admittantur infantem suscipere) apponere manum bapti zando, et baptizet eum, &c."

Fundant se in eo, quòd textus de Patrino loquente constanter dicant *Suscipit, tenet, levat*, &c. contrariur tenet Sylvius.

Quid si plures quàm duo Patrini designentur, et Parochu eos admittat?

VIII. R. Parochus graviter peccat, utpote agens contr Ecclesiæ ordinationem in re gravi; omnes tamen verisimi liùs essent verè Patrini, et cognationem spiritualem con traherent: quia hæc Concilii Trid. ordinatio non admittend plures quàm unum et unam, non videtur irritans, sed prohi bens tantùm.

An valida est susceptio per Procuratorem?

IX. R. Affirmativè: eodem modo sicut valet contractu per Procuratorem initus; modò scilicet principalis accepta verit officium Patrini, et facultatem concedat Procuratoren substituendi, de quo debet Parocho sufficienter constare: e ita si pater v. g. dicat: *Non monui principalem, sed scri bam ipsi, et scio, quòd sit futurus contentus;* tunc Pas tor non debet talem designationem admittere; cùm pe ratihabitionem posteriorem nemo fiat Patrinus.

In casu autem non Procurator, sed principalis est veri Patrinus, adeoque hic, non ille contrahit obligationes e cognationem spiritualem: mandat tamen Pastorale nostrum ut tunc tam procurator, quàm principalis Registro Baptismali inscribatur hoc modo: *N. nomine N*, v. g. *Joannes nomine Petri.*

An est Patrinus adhibendus, dum solùm supplentur cæ-
emoniæ?

X. R. Affirmativè: ut servetur cæremoniarum unifor-
itas. Non contrahit quidem Patrinus talis cognationem
piritualem, sed juxta Daelman, Henno et Billuart tenetur
l officium Patrini quoad instructionem.

XI. Unde in Registro distinctè annotandum est, quòd
ntùm fuerit Patrinus in suppletione cæremoniarum. Si
tem Patrinus adhibitus fuerit in Baptismi collatione,
xpedit eundem adhibere in suppositione cæremoniarum;
tamen adhibetur alter, in libro notandum est utrumque
oc modo: *Susceptor in Baptismo N. et Susceptor in*
atechismo et Exorcismo N. prout jubet *Synodus Dioece-*
is Mechlin. tit. 4. cap. 6. et Pastorale nostrum.

XII. Eâdem potiori ratione Parochus observabit, dum
on tantùm supplentur cæremoniæ, sed etiam Baptismus
ıb conditione reiteratur; cùm tunc contrahatur dubia
ognatio spiritualis: adeoque notabit, infantem domi esse
aptizatum (si ita ipsi referatur,) et postea rebaptizatum
se sub conditione: deinde distinctè annotabit, quis fuerit
atrinus in rebaptizatione conditionata, item in Baptismo
omi collato, si tunc Patrinus fuerit adhibitus.

Plura huc spectantia traduntur, ubi de impedimento
ognationis spiritualis.

N. 42. DE EXCLUDENDIS AB OFFICIO PATRINI.

. *Excluduntur* II. *Infideles, Hæretici, &c.* III. *Religiosi.* IV. *Pater et mater.* V. *Non tamen Sacerdotes sæculares.* VI. *Sed convenienter Pastores.* VII. *Numquam Hæreticus apud Catholicos.*

I. Generatim excludendi sunt ab officio Patrini, qui
n sunt idonei ad officium implendum, filiolum Doctrinâ
idei et Christianis moribus informando.

II. Hinc Rituale Rom. et Pastorale nostrum excludunt
ıfideles, Hæreticos, publicè excommunicatos aut interdic-
s, publicè criminosos vel infames, insanos, et qui ignorant
dimenta Fidei.

III. Ulteriùs excludunt Monachos et Sanctimoniales, et
ios cujusvis Ordinis Regulares à sæculo segregatos, ut

colligitur ex cap. NON LICET *de Consecratione* dist. 4. Quod etiam intelligendum esse de Mendicantibus, probat Pauwels contra Lessium.

Excipiuntur tamen Regulares facti Episcopi, et juxta aliquos ex usu contrario Abbates in certis locis, quos tamen *Synodus nostra Diœcesana* tit. 3. cap. 8. excludit.

IV. Excludunt etiam patrem et matrem prolis baptizandæ, etiam in extrema necessitate: quandoquidem nulla tunc sit necessitas Patrinum adhibendi. Vide *de Impedimento Cognationis spiritualis.*

Addunt Rituale Romanum et Pastorale nostrum: "Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis insignitos esse, maximè convenit."

Nota, quòd omnes præfati, qui prohibentur ab officio Patrini, modò sint rationis compotes et baptizati, verè essent Patrini, et cognationem spiritualem contraherent, si ad prolem baptizandam et suscipiendam admitterentur: quia Lex est prohibens, non irritans actum susceptionis.

An Sacerdotes sæculares possint esse Patrini?

V. R. Quamvis quibusdam in locis prohibeantur, ut in Diœcesi Leodiensi et signanter Mediolanensi à Sancto Carolo Borromæo, à paritate ferè rationis, ob quam Monachi est interdictum, scilicet ne contrahatur familiaritas &c. ex conversatione cum personis alterius sexûs; non est tamen Lex generalis eos prohibens, et signanter non exstat talis pro nostra Diœcesi: unde sinè scrupulo hìc Sacerdotes sæculares se offerunt et admittuntur in Patrinos, quo casu solent Parochi ipsis offerre Baptismi Ministerium.

VI. Specialem allegant rationem, quare munus Patrini parùm conveniat Parocho respectu suorum parochianorum quia cùm ad ipsum spectat cura totius Parochiæ, non convenit, ut particularem contrahat obligationem, inquit Pauwels.

An Catholicus potest esse Patrinus prolis baptizandæ apud Hæreticos?

R. Negat Pauwels dicens, quòd talis suo facto approbet in casu et honoret illud Ministerium Hæreticum, et actio Ministri cooperetur infantem tenendo. Neesen et Braunms affirmant pro casu, quo Catholicus id sinè gravi incommodo recusare non potest; ut fieri potest, ubi Catholici permixti habitant cum Hæreticis, per quos ob illam negationem suscitari posset persecutio Christianorum; sic tamen ut in casu Patrinus profiteatur, se unam agnoscere Ecclesiam

Catholicam, et pro viribus se allaboraturum pro recta institutione prolis, ac præterea ut respondere recuset ad interrogata, si quæ fiant in contrarium.

Hæc sententia Neesen et Braunman fortè magis in Hollandia locum habet (ubi Hæretici dominantur) quàm in in hac Diœcesi.

VII. Certum autem est, quòd in Baptismo Catholicorum Parochus debeat potius baptizare solemniter sinè Patrino, quàm cum Patrino Hæretico: quia ex duobus malis minus est eligendum.

N. 43. DE REGISTRO BAPTISMALI.

I. *Registrum Baptismale.* II. *Exactissimè asservandum et scribendum.* III. *Modus inscribendi illegitimum.* IV. *Ejusque patrem.* V. *De exposititiis.*

I. "QUILIBET Parochus (inquit *Synodus Prov.* 2. *Mechlin*, tit. 3. cap. 2.) librum habeat, in quo singulorum Baptizatorum, nec non Parentum et Patrinorum ac Matrinarum nomina et cognomina, diemque Baptismi diligenter describat." Simul cum annotatione legitimitatis (si proles baptizata sit legitima) item anni, mensis et diei administrati Baptismi.

Hanc pastoris obligationem plures non immerito volunt esse sub gravi peccato, ob graves difficultates, quæ aliàs inde sunt sequi; II. deinde debet non modò accuratissimè asservari in capsula benè obserata (ut monet Archiepiscopus Humbertus in sua Epistola Pastorali de anno 1700), sed etiam accuratissimè conscribi, de quo conqueritur in eadem Epistola his verbis: "Graves occurrunt indies circa hanc materiam defectus ac querelæ de incuria Pastorum, qui Baptizatorum eorumque Parentum nomina dicto libro aut malè inscribunt, aut inscribere omnino prætermittunt."

Caveatur hìc etiam quàm maximè omnis verborum abbreviatio.

Quomodo autem exprimendi sint Patrini, dum susceptio fit per Procuratorem, item dum tantùm supplentur Cæremoniæ, vel Baptismus sub conditione reiteratur, vide Num. 41.

Quid si proles baptizata sit illegitima?

III. R. Si pater æquè ac mater cognoscatur, eò quòd prolem ut suam agnoscat, ponitur in libro, quòd talis sit

pater ex propria confessione, simul cum nomine matris, &c sine nota tamen legitimitatis, quæ postea additur, si prole per subsequens matrimonium legitimetur.

Si ignoretur solus pater (quod de matre rarò contingit) is libro inscribatur, qui matris testimonio (præsertim i partûs doloribus, vel sub juramento ab obstetrice vel Paroch interrogatæ) designatur pater.

IV. Pastor tamen non ita matri credat, ut illum scribi absolutè ut patrem, sed sub hac vel simili clausula: *U mater sub juramento obstetrici declaravit.* Si verò ne hoc modo pater dignosci possit, nullus ut pater scribatu donec postea innotescat; sicuti etiam dum matri non pote fides adhiberi, eò quòd v. g. cum pluribus sit fornicata.

Nota hìc, quòd Parochus non possit sub denegationi Baptismi comminatione vel alio modo cogere matrem, u patrem revelet: quia illa fortè ex charitate vel justitia tacer debet; si igitur mater nolit patrem declarare, Pastor no differat facere suum ministerium, et postea inquirat.

Ulteriùs hìc nota, quòd, quamvis pater notus foret Pas cho, quandoque consultum esse possit, nomen ejus in regis tro saltem tantisper omittere, ad evitandam gravem ignomi niam vel alia graviora incommoda, v. g. quia proles concept est ex copula, quæ in jure punitur pœnâ capitis, &c. Ide fortè posset obvenire, dum designatus se patrem omnin negat, et Pastori litem minatur, &c. si Registro inscribatu In similibus interim Parochus prævìè consulat Ordinarium

V. Si verò pater et mater ignorentur (prout fit in expo sititiis, sive legitimis, sive illegitimis), simpliciter nome baptizati et Patrinorum exprimatur, adjungendo ætate verosimiliorem, item diem ac locum inventionis, ut poste in parentum notitiam forsitan deveniri valeat.

FINIS TRACTATUS DE BAPTISMO.

. Subsequentem Dissertationem Theologicam habitam Duaci bla Theologica, die 10. Augusti 1772. a plurimis Theologis m, hic ultro insero quod Benevolis Lectoribus non ingratum vitror.

DISSERTATIO

THEOLOGICA

DE

BAPTIZANDIS ABORTIVIS.

Docet Apostolus, Eximii et Clarissimi Viri, cæterique Auditores ornatissimi, *Deum velle omnes homines salvos fieri,** ac *Christum pro omnibus mortuum esse*:† et cùm suam doctrinam ex eo probet Gentium Doctor, quòd *unus* sit *Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus,*‡ liquet divinam Providentiam neminem præterire, nequidem parvulos, qui vel in utero matris defunctæ delitescunt, vel per abortum exeunt immaturi. Inter varia media, quibus benignitas Salvatoris nostri Dei ipsis providit, duo naturalia occurrunt, per quæ ad supernaturalia fit aditus, videlicet Sectio Cæsarea, et diligentia in investigando quidquid ex utero effusum est. Utraque rarum habet usum, præsertim in principio prægnationis, perinde ac non satis constaret de tempore, quo informetur fœtus animâ intellectivâ. Sed hanc rationem, nedum aliquem suspensum teneat, animos omnium, studia, operaque excitare debere, propitio Deo, probandum suscepi. Pastorem conantem *parvulos venire ad Christum*‖ Christianis auribus excipite, et, si verum assequar, documentis eximiis fulcite, ut *talium* sit *Regnum Cœlorum.*

* 1 Tim. 2. v. 3. † 2 Cor. 5. v. 5. ‡ 1 Tim. 2. v. 5. ‖ Mat. 19. v. 14.

Unicuique corpori humano, dum in utero jacet, creari mam spiritualem, non ampliùs ambigitur. Illud restat cutiendum, quo nimirum tempore id fiat. Post Aristo-ɛm, qui à sæculo undecimo penè unus audiebatur in ıolis Philosophicis, censuerunt communiter Theologi et ɔistæ cum glossa, quòd infundatur anima rationalis em-ɔni plenè formato, etsi non adaucto, corroborato et ad ivitatem idoneo; et quòd ista plena formatio contingat maribus quadragesimo die, in femellis octogesimo circi-. Aleam subiêre Philosophi ac Medici magno numero ue ad sæculum superius, quo nubila peripatetica aliave illia disjicere cœpit naturæ indagatio.

Ante omnia, magna illa temporis differentia, quam sta-t Philosophus inter animationem masculi et femellæ, ıribus Peripatûs etiam Discipulis, è quorum numero Dia-, fabulosa videtur. Quis nesciat, gemellos diversi sexûs lem partu in lucem effundi? Si autem simul maturuerunt, unà orirentur: cur non æquè simul ad animationem ido-i sunt effecti?

Aliunde certum est, statim post conceptionem vel em-ɔonis cujuslibet materiam coagulari, et paulatim effigiari, ɔta antiquum commistionis seminum systema;* vel em-ɔonis jam tunc formati membra explicari et adaugeri, ɔta vulgatam nunc et Philosophis Medicisque acceptam ɔrii muliebris sententiam.† Porrò conformatio aut aug-ntum corporis influxum animæ exigere videtur.

Difficultati occurrere tentavit Aristoteles,‡ imaginando, tum primò vivere vitâ plantæ, deinde vitâ sensitivâ, ac ɔdem vitâ animæ intellectivæ. Sed ingeniosum inven-n nullo solido fundamento innixum, nec plurimis Aca-niis usque modò placuit. Sicuti enim tres animas coex-ɛntes non habemus, sed unam tantùm, quæ omnia simul vegetantis, et sentientis, et rationalis munera adimplet, credibile apparet, hanc solam animam intellectivam in tum immitti, ut præsentiâ suâ vitalique influxu coopere-' omnimodæ ipsius conformationi; et eò magis fide dig-m, quòd definitum fuerit in Concilio generali Viennensi,‖ imam intellectivam seu rationalem corpus humanum verè, r se et essentialiter informare.

* Vid. Jans. in v. 1. et 2. cap. 7. L. Sap. † Astr. de morb. mul. 5. l. 3 c. 3. ‡ Ap. Sylv. in 1. p. q. 118. art. 2. ‖ Rel. l. 1. ɛm. tit. 1.

Virtus plastica, quam alii veteres invocabant, pluribus celebrioribusque, nec pro diu, nec multùm arrisit. Enim verò animam rationalem infundi ad pleniorem fœtûs formationem statuerunt Thomas Fienus die tertio,* et Gassendus† septimo, qui etiam in id propendit, ut credat, fœtum animari à primo conceptionis instanti Quam sententiam multiplici eruditione statuit Paulus Zacchias,‡ et novis rationibus experimentisque confirmarunt innumeri Medici, tùm ex coætaneis, tùm ex recentioribus.

Suffragantur multi veteres Scriptores, Græci et Latini, quos refert clarissimus Cangiamila;‖ item recentiores, quorum nonnullorum mentionem facit sapientissimus Magister noster Sylvius,§ præter eos, qui traducem animæ docuerunt, vel de ea dubitaverunt.

Suffragantur ipsamet Theologorum nobis adversantium principia circa naturam animæ, ejusque cum corpore unionem. Sic exponuntur variis in locis ab eodem eximio S. Thomæ Aquinatis interprete: et ex his sic concludo pro immissione animæ statim post conceptionem.

1°. Est contra rationem entis unius simpliciter et per se, qualis est homo,¶ quòd anima rationalis accedat ad corpus jam per aliam animam constitutum, formatum et animatum; quia ita informaret corpus formatum, et animaret corpus animatum: atqui istud eveniret, si plures animæ successivæ embryonem informarent: ergo sola anima rationalis ipsum informat.

Et quidem anima rationalis embryonem plenè formatum animat, non solùm dans esse rationale, sed et esse sensitivum ac vegetativum:** Ergo eodem modo informat materiam embryonis, vel embryonem non plenè formatum; nam anima dicitur, inquantùm animat et informat: et sicut non requirit organa aptè disposita ad ratiocinationem, ut det esse rationale, sed ipsa ea disponit: ita nec requirere debet materiam præparatam ad esse animal, ut det esse vegetativum et sensitivum, sed ipsamet eandem præparare debet.

2°. Est contra rationem institutionis rerum, quòd fiat corpus humanum†† sine anima rationali, vel anima rati-

* In 3. Tract de formatr. fœtus, de formatione fœtus, de animatione fœtus. † T. 2. Phys. de gener. anim. c. de anim. fœtus. ‡ Quæs. Medico. t. 1. 12. q. 9. n. 2. ‖ Embryol. sacra, 1.1. c.5. et 8. § In 1. p. q. 118. art. 2. ¶ Ibid. q. 76. art. 3. et 4. ** Ibid. †† Ibid.

onalis sine corpore humano; cùm utrumque sit pars humanæ naturæ; atqui statim à conceptione fit corpus humanum: ergo ipsi simul injicitur anima rationalis.

Et verò corpus humanum magis dependet ab anima rationali,* quam anima rationalis à corpore humano: atqui amen constat, animam rationalem non creari ante corpus umanum: ergo à fortiori constare debet, corpus humanum on produci ante animam rationalem.

3°. Quia anima rationalis, quæ est per se et essentialier corporis humani forma,† satum suum naturalem non aberet, si crearetur sinè corpore humano: ergo à pari nec corpus humanum statum suum naturalem haberet, si formaretur vel augeretur sinè anima rationali, a qua essentialiter debet informari.

Fateor, quòd adversarii sua principia restringant ad animationem corporis perfectè dispositi et organizati:‡ sed ipsimet fatebuntur, quòd sua sententia, quia minùs tuta, demonstranda esset luce meridianâ clarior, ut nostram probabilem et tutiorem everteret. Vix autem crepusculum præbent.

Dum verò eadem extendo principia ad animationem corporis vel informis, vel imperfectissimè figurati, argumentis probabilibus insisto, quibus sequens adjungi potest.

In rerum natura esse videtur, quòd motus vitalis oriatur ab anima suo corpori consentanea: atqui statim post conceptionem datur in embryone motus vitalis,‖ qui vel effigiem et auctum producat, seu utrumque perficiat: anima verò rationalis est embryoni consentanea: ergo rerum natura exigere videtur statim post conceptionem influxum animæ rationalis.

Etiamsi adversarii evidenter probarent, ad infusionem animæ requiri embryonem aliquatenùs formatum, nihil saltem evidens obstaret nostræ sententiæ; cùm celebriores Medici, repetitis sæpius experimentis, nunc ostendant, existere in ovo muliebri fœcundato, statim à conceptione totum embryonem, licèt exiguum et nondum evolutum.

Casu quo adversarii aliquid amplius exigerent, exigerem egomet evidentes rationes postulati. An propter functiones vitales? Sed ipsa anima spiritualis, utpote forma essentialis simul vegetativa, sensitiva et rationalis, nata est iis

* Ibid. † Ibid. q. 90. art. 4. ‡ Ibid. q. 118. a. 2. ‖ Ibid.

exequendis juxta præsentem, majorem vel minorem, organorum perfectionem. An propter operationes intellectivas? Sed organa non sunt ad eas idonea, nisi diu post nativitatem: deberet ergo usquè tunc animatio differri? Quod est contra fidem Ecclesiæ, quæ baptizat parvulos rationis usum nondum adeptos.

Hinc ruit adversariorum Achilles, quem idem egregius Magister proponit sequentibus verbis :* *Poscit ordo naturæ, quæ ab imperfectis ad perfectiora procedit, ut materia sensim et quasi per gradus, ad melioris formæ susceptionem promoveatur.*

Istud enim argumentum nihil probat, vel nimiùm probaret.

Nihil probat; quia melior forma, nempe anima rationalis, gerit vices formarum minùs nobilium, quatenùs est simul vegetativa et sensitiva, et in embryone diversas suas operationes successivè exercet, secundùm quod embryonis materia successivè disponitur et organizatur.

Aliunde nimis probaret: probaret enim, materiam embryonis debere ita dispositam esse, ut anima posset agere, non solùm ut vegetativa et sensitiva, sed etiam ut rationalis.

Deficiente suarum hypothesum fundamento, frustra confugerent adversarii ad varias Decretales et Bullas, quasi ipsæ, decernendo majorem pœnam pro fœtûs animati, quàm pro inanimati ejectione, nostram opinionem demolirentur.

Intentio quippe Summorum Pontificum non fuit istam controversiam, de qua non agebatur, definire; sed sicuti in his rebus solent, sese tantùm accommodaverunt communi Philosophorum et Medicorum sensui, qui tunc eandem distinctionem faciebant.

Et quia, ubi de pœnis agitur,† *in obscuris minimum est sequendum*, iidem Pontifices majores gravioresque pœnas non decrevere infligendas, ubi fœtus adeo tenelli essent, ut communiùs non censerentur animati, vel saltem certò animati dici non possent.

Itaque præfatæ leges, etsi æquitate commendabiles, veritatis tamen accuratiùs investigandæ viam Philosophis, non præcluserunt, imò aperuisse quodammodo videtur Sixti V.

* Ibid. † Reg. 30 Jur. in 6.

t. 28, dum quoscumque abortum procurantes eisdem
enis.
erùm uti Doctores annotant, non idem est quærere
mationis tempore ad abortus puniendos: ac de eodem
re ad abortivos baptizandos. Æquitas enim, quæ in
casu ad præsumendum, fœtus non esse animatos, in-
in secundo ad rem seriùs et artiùs expendendam per-
ne fortè sint animati, et a Baptismo arceantur.
ilo magis dilationi animationis blanditur Lex illa Exo-
cta versionem 70. Interpretum:* *Si pugnaverint*
iri *et percusserint gravidam*, (intellige intercedere
em,) *et exierit infans ejus nondum formatus, mulctam*
t, *quantùm indixerit vir mulieris, dabitque cum*
ctione; at si formatas fuerit fœtus, dabit animam
ima.
primo enim Legis casu eximebatur percussor à pœna
iis homicidas constituta; quia ignorare poterat, mu-
uterum gerere: in secundo eandem luere debebat,
òd prægnatio tunc manifesta ipsum inexcusabilem
et.
in aliud eruatur, nempe pro distinctione inter fœtum
tum et inanimatum, vetant prorsus seu fluctuatio plu-
im Patrum, seu dissonantia aliorum circa originem
rum.†
ıtquam autem dubium animationis tempus pervictum
enit demonstrandum, nullis abortivis, etiam dubiè vi-
negandum esse Baptismum. Secundam Thesim, uti
m, enucleare conabor, tum per momenta intrinseca-
ationum, tum per intrinsecarum auctoritatum fulci-

is Thomæ Fieni objectionibus adversùs Aristotelicum
na, multi Theologi, inter quos Dezza, Cardenas, La
,‡ docuerunt, fœtus abortivos, etiam imperfectissimè
tos, esse baptizandos, si dent vitæ signum per mo-
quia, inquiebant, putant aliqui Medici, quòd fœtus
ni post paucas, v. g. tres aut quatuor dies à concep-
statim animentur animâ rationali.

p. 21. v. 22. † Vid. Noris in Vind August. c. 4. § 3.
za in opusc. in calce, Apol. Fr. Verde pro Joan. Caram. *Car-*
in prima Chrysi, Disp. 14. c. 3. *La Croix* L. 6. p. 1. de
dub. 4. n. 294.

Ultra progressus est Hieronymus Florentinius in egregio Opusculo *de hominibus dubiis, sive de Baptismo abortivorum*, quod typis dedit versùs medium sæculi proximè elapsi. Ubi, namque ostendit, tum speculativè, tum practicè, incertum esse animationis tempus: probabile tamen esse, animam rationalem ab initio conceptionis infundi; docet, abortivos omnes, etsi grano hordeacso non majores, baptizandos esse, quantumcumque brevis fuerit intercapedo à conceptione dilapsa; quamvis etiam signum vitæ per motum non præbeant, dummodo corrupti vel detriti, seu manifestè mortui non dignoscantur. Et sanè, pergebat, accidere potest, ut internum sanguinis motum vitæ necessarium habeant, non verò externum et sensibilem, aut etiam vehementiori deliquio sint defixi. Interim admonet, Baptismum non nisi conditionatè administrandum.

Nemo antea, saltem notus, rem ex professo pertractaverat, nemo tam longè processerat. Attamen liber à pluribus tam Theologorum quàm Medicorum Academiis, insignibusque aliis viris summo plausu exceptus est, ut ex censuris liquet.

Quoniam verò nova proponebat, seu potiùs oblita in memoriam reducebat, nonnullorum subiit offensionem, et ad Sacram Indicis Congregationem fuit delatus. Ejus igitur examine tribus Consultoribus commisso, cùm ii probabilem, esse doctrinam retulissent, Congregatio censuit, librum, præfixa sequenti protestatione, typis esse recudendum.

" Hanc ergo sententiam de Baptismo abortivorum totâ hâc disputatione comprehensam, et præsertim Sectione undecimâ expressam, ab Eminentissimis Patribus Sacræ Congregationis jussus explicare, libens volensque gravissimo prudentissimoque Doctrissimorum Principum judicio et imperio pareo: et in primis assero, me nihil in præsenti materia definiendo dicere, sed uti rem probabilem et per modum problematis proponere. Deinde adverto, me neminem, quod ad praxim attinet, sub mortali obligare, sed tantùm rationes speculativas id suadentes exponere, ac in suspenso relinquere, sicuti nec inducere novum aliquem Ritum in Ecclesiam, cùm id ad Sacram Rituum Congregationem, Summumque Pontificum spectet. Ita sentio, ita scripsi, et ita me scribere et sentire protestor, ut æquum est humilem ac devotum S. Roma-

næ Ecclesiæ Filium, qualem me esse et fuisse hactenus, futurum in posterum sanctè profiteor."

Præceptum est insuper Florentinio (quod et opportuno loco præstitit) ut explicaret, se de iis loqui abortivis, qui omnino sensibiles essent, ac prima saltem humani corporis lineamenta præ se ferrent. Ea cautio tunc temporis necessaria videbatur, quia ovarium muliebre nondum detexerant Anatomici.

Quæ sapientissimè statuerant Patres purpurati, ea omnia fideliter executus est Florentinius, Opusculum denuo typis evulgans: at simul primæ disputationi tres alias adjunxit, in quibus iterum urget, amplificat et defendit suæ opinionis momenta.

Ex omnibus argumentis, quæ contra hanc opponi possent, validius erat à Rituali Romano depromendum: in eo enim nulla occurrit mentio Baptismi abortivis tam minimis conferendi.

Rem sic expedit Florentinius. Rituale Romanum non denegat hujusmodi parvulis Baptismum, imò apertè præcipit, ut conferatur fœtibus vivis, Philosophiæ ac Medicinæ discernendum relinquens, quinam eorum viventes, qui vero non, sint reputandi.

Postea argumentum retorquendo, subjungit Florentinius; Rituale Romanum jubet, ut, si quando contingat, matrem prægnantem mori, vivo fœtu intra viscera remanente, ipse extractus baptizetur: nec tamen restringit Ministrum ad baptizandum post triginta dies tantùm. Idcirco nostræ opinioni favet ordo Ecclesiæ, quatenùs mortuâ matre prægnante, eâque sectâ, statuit sinè ulla temporis determinatione, ut baptizetur fœtus, si sit vivus; quod prudenti Ministrorum judicio relinquit.

Ponamus igitur, addit ipse, matrem mortuam gestare in utero fœtum, v. g. septem dierum: ex hoc Ecclesiæ Ritu fœtus iste statim ab utero extrahendus est, et baptizandus, si sit vivus. Sed cùm ut supra notatum est, prudenti judicio existimandus est vivus, nisi ex causa alicujus compressionis vel contusionis evidenter appareat mortuus; juxta Ecclesiæ Ritum fœtus septem dierum illæsus, licèt immotus, baptizandus est.

Desiderium iis infantulis opitulandi novissimè suasit, impulitque doctum æquè ac pium virum Franciscum Emma-

nuelem Cangiamila Panormitanæ Ecclesiæ Canonicum Theologum, et in toto Siciliæ Regno contra hæreticam pravitatem Inquisitorem Provincialem. Cùm enim Archipresbyter Palmensi Ecclesiæ antea præfuisset, experientiâ didicit, innumeros fœtus æternæ addici miseriæ, vel ob parentum incuriam, vel ob quorumdam Medicorum sensum, qui animationem fortè primis à conceptione diebus contingentem, non nisi post menses evenire opinabantur. Inde sensit, quàm utilis, commodus, ne dicam omnino necessarius futurus esset liber, quo ea pars doctrinæ contineretur, quæ ad rectè instituendam erudiendamque hac in re omnium Sacerdotum, et præsertim Pastorum industriam facit. Et sanè, aiebat S. Augustinus, * *Si pupillis opem ferre præcipimur, quantò magis pro istis laborare debemus, qui destitutiores et miseriores pupillis etiam sub parentibus remanebunt, si eis Christi gratia denegabitur, quam per se ipsi flagitare non possunt.* Ut autem clarissimus Cangiamila tantò impensiùs pro iis loqueretur, quantò pro se ipsi minùs possunt, consuluit, non modò Ecclesiasticos Doctores, sed etiam Philosophos, Chirurgos, Medicos, tum veteres, tum novos. Horum luminibus instructus Librum edidit, cui titulus: *Embryologia Sacra*, in quo nostram utramque Thesim eruditè stabilit, simulque accuratè perpendit, quidquid conducere potest, tum ad fœtus abortivos aquâ salutari lustrandos, tum ad alios in partu impossibili Cæsareâ sectione educendos, vel in difficili per syphunculum intra materna viscera baptizandos.

Embryologiam sacram summis laudibus extulerunt innumeri Doctores: ipsemet Benedictus XIV. scripsit † ad Auctorem his verbis: *Satis libenter in nostro de Synodo Diœcesana tractatu libri tui de cœsareo partu fecimus mentionem,* ‡ *quippe tum ad temporalem, tum ad æternam hominum vitam multò conducibilis.*

Operis parvulorum saluti dicati executionem promoverunt per sua edicta plerique Siculi Antistites, plures item Italici, et per suam Pragmaticam Carolus III. tunc in utraque Sicilia, nunc in Hispaniis feliciter regnans.§

* De pec. mer. l 3 cap. 13. † Epist. datâ Romæ 7 Kal. Aprilis an. 1756. Rel. in Embryol S. p. VII. ‡ L 11. c. 7. n. 13. § Rel. in Emb. S. pag. 255. et seq.

Ejusdem compendium in vernaculam Græcorum linguam ranstulit pro Orientalibus populis anonymus quidam, et ıro nostratibus in Gallicam Dominus Dinouart.

Faxit Deus, ut alii Ecclesiæ ac sæculi Principes tanti ıperis lectionem non dedignentur, illâque permoti ea conerant adminicula, quibus ad tam grave negotium peragenlum indigent Parochi.

Quantùm ad nostram Thesim, sic inter alios Antistites nentem suam expressit Illustrissimus Joseph. Melendes, Archiepiscopus Panormitanus, primus in Siciliæ Regno Metropolitanus: *Cùm incertum sit animationis tempus, uam plerique Auctores primis graviditatis diebus coningere putant, in quocumque abortu sedulò inspiciendus st fœtus: ac si, quantumvis exiguus et imperfectissimè iguratus, aliquem tamen motum ostendat, illicò sub conlitione,* si es capax, *baptizetur. Si verò motum non ostenlat, sed nihilominus humanus embryo esse dignoscitur, ec tamen contusus vel corruptus; eo sanè casu, quia ortè vivit, quamvis moveri non possit, quòd organa ad notum adhuc apta non habeat, graves Doctores baptizanlum sub conditione docent, atque ita nos faciendum esse nonemus.*

Animadvertat autem Parochus, ne tam firmiter propriæ ıdhæreat opinioni, ut alienis et parvulorum animabus nagis favorabilibus locum deneget, cum periculo, ne ertò pereant, quæ probabiliter salvari potuissent. Nec amen prudentiam istam sibi tantummodo reservet, sed opulo suo in instructionibus communicabit. Hoc ultinum monitum dat illustrissimus Ignatius Fraganeschi, Episcopus Cremonensis, ac solii Pontificii assistens.

Quamvis tot ac tam clara Episcoporum et Doctorum suffragia zelum singulorum Sacerdotum languere non sinant, ıusillorum tamen erigendorum atque firmandorum finem acient hæc argumenta.

In casu necessitatis dari debent Sacramenta omnino neessaria iis, qui ipsorum dubiè sunt capaces: hinc Ritualia ıræscribunt, ut detur Baptismus iis monstris, de quibus lubitatur, utrùm sint homines, et iis fœtibus ex matris lefunctæ utero extractis, de quibus dubitatur, an vivant: ıtqui fœtus minimi sunt dubiè saltem Baptismi capaces, ıtiamsi motum apparentem non habeant: nec minor habeur dubitandi locus de eorum animatione et vita, quàm

monstrorum et fœtuum supra dictorum. Ergo illis, sicut et his, Sacramentum regenerationis administrari debet: nam Sacramenta propter homines instituta fuêre, non homines propter Sacramenta. Nonne melius est Sacramenta periculo nullitatis exponere, quàm homines periculo damnationis?

Urgeo: ut minimis fœtibus Baptismus denegari posset, deberet certò cognosci vel ætas congrua, vel gradus formationis necessarius ad infusionem animæ rationalis; sicuti ad eundem finem requirerentur indicia certa in monstris, quòd non sint homines, et in abortivis, quòd non vivant; aliàs plures fœtus Baptismi capaces in apertum salutis discrimen mitterentur: atqui nec ista ætas, nec iste gradus formationis innotescit.

Nam 1°. de ætate non constat, etiam inter antiqui de generatione systematis asseclas; siquidem Thomas Fienus animationem fieri putat die tertio, Gassendus septimo, Tomai decimo-quinto, Albertus Magnus vigesimo-quinto, alii trigesimo, trigesimo-quinto, et gradatim usque ad octogesimum et nonagesimum.

Dato etiam, quòd certò cognosceretur, quâ ætate fœtus animaretur, hoc non sufficeret, sed adhuc desideraretur aliquid certò indicans, fœtum ad illam pervenisse. Frustra appellaretur testimonium mulierum, quæ in designando vero suæ graviditatis non multùm provectæ initio quotidie fallantur. Non majus lumen præferret configuratio: non omnes enim fœtus æquali tempore maturescunt; sed alii citiùs, alii tardiùs, pro constitutione corporis vel climate.

2°. De gradu formationis ad animationem necessario æquè ambigitur inter eos, qui systema generationis per ova non norunt, vel non admittunt. Quidam enim tantùm requirunt præparationem materiæ seminalis, ut sit caro, quidam formationem cordis, cerebri et hepatis, ac reliquorum membrorum delineationem, quidam totam membrorum texturam.

Nihil igitur præbet adversariorum opinio, in quo pes securus figi possit: ergo ulteriùs summè periculosum est eam in praxi sequi, prout quotidiano et non satis deflendo experimento comprobatur. Nam ex quo Peripatus Scholas invasit, perrarum et ferè inauditum est, maximè in pagis, quòd adveniente abortu in primo et secundo prægnationis mense, quamvis tunc frequentiori, attendantur fœtus; sed

protinus cum tota massa abortiva projiciuntur in sterquilinia vel in latrinas. Imò certissimè scio, plures, ad minimum trimestres, etiam legitimè procreatos, etiam in secundinis se agitantes, non animo, sed pede crudeli fuisse protritos. Quot proinde millia, quot millia millium parvulorum, occasione opinionis adversæ, perierunt et indies pereunt, non suscepto Baptismo, etiam ex iis, qui assensu omnium ablui poterant!

In opinione autem nostra omnia occursant plana, omnia solida. 1°. Cunctorum fœtuum animatorum saluti providetur: nam provectioribus advigilare non deficiet, quisquis pro minimis timere didicerit. 2°. Reverentia Sacramento debita servatur tum propter conditionem in dubiis appositam, tum propter probabilem rationem, quod subjecta sint ad spiritualem regenerationem idonea. Si verò talia non sint, nihil fit: nihil ergo profanatur.

Dicent forsan adversarii, quòd admissâ utrâque nostrâ Thesi, nil propterea curandum sit de minimis abortivis, cùm aut laboribus abortûs, aut externo aëre statim enecandi necessariò videantur.

Sed contrarium edocet experientia: nam visi sunt embryones etiam secundinis spoliati: et nondum quadraginta dies nati, qui per motum signa vitæ dederunt. Plura præbet exempla clarissimus Cangiamila in sui operis decursu, inter quæ illud est omni exceptione majus.*

" Marcellus Muscella, civitatis Sanctæ Luciæ illius Diœcesis Abbas et Præsul ordinarius, isto opere perlecto, præceperat Parochis, ut partum Cæsareum gravidarum pro re nata curarent. Cùm ergo VIII. Kal. Sept. 1745. Cæsarea Schepisi Dominici uxor occumberet, hæc se prægnantem esse patefecit; currere autem vigesimum vel vigesimum primum graviditatis diem, ut ex nausea carnium, solito ipsi gestationis indicio, aliisque adminiculis conjiciebat. Eâ igitur post mortem dissectâ, inventus est fœtus pro temporis ratione formatus, caput nimirum habens, oculosque benè distinctos; attamen in figuram conicam, prout hujusmodi ætatis embryones, desinebat. Illum ex motu jam animatum et vivum Medici et Presbyteri præsentes judicârunt. Baptizatus est ergo: deindeque extinctus cum matre in Capucinorum Ecclesiâ tumulatus.

" Rei novitas maximâ lætitiâ Civitatem affecit, et ad-

* Emb. S. l. 11 c 7.

mirationem defixit: populus verò optare se, ut in posterum partus cæsareus defunctarum prægnantium in morem abiret, prompto et alacri animo protestatus est: quod et sedulò factum, ipsis exinde gravidis moribundis ultrò expetentibus.

" Complures hac de re, pergit Auctor, ejusdem Abbatis Epistolas habeo, insuper testimonia juramento firmata Francisci Mariæ Rizzo Parochi et Protomedici egregii, qui infantem baptizavit, Michaëlis Angeli Sterrantini Chirurgi, qui gravidam secuit, et Francisci Merulla ejus administri. Hæc autem omnia vera esse, et in suî præsentia contigisse, Rainerius de Raineriis Archidiaconus et Vicarius Generalis subscriptione suâ probavit, et authentica reddidit Kal. Oct. 1745."

Aliunde si puncta salientia pullorum tametsi ab ovis extracta, quarto incubationis die, ubi necdum aliqua vasorum distinctio in eis valet esse conspicua, sensum et motum habeant: imò si quando jam mortua videntur, aliquo fomento recreata, vitam denuo manifestent, sicuti Harveus sæpissimè expertus est; * etiam credibile penitus apparet, embryones tenerrimos aëris impressioni obsistere aliquamdiu posse.

Item si tales embryones incolumes remanserint in mulieribus poculo nocivo oppressis, vel ad extremum vitæ à morbo lethali adactis, et tempore debito optimè valentes editi fuerint, prout quotidianus ostendit eventus; quare non sustinerent aliquantisper gravem illum tumultum ab abortu suscitatum?

Inferent haud dubiè, quòd astruere cogamus, uxores omnes nondum steriles, et puellas libidinosas post mortem incidendas fore.

Verùm quia non opinamur, embryones tenerrimos animâ rationali informatos esse, nisi propter probabiles rationes id suadentes; ita nec admittimus necessitatem sectionis Cæsareæ, nisi quando motiva probabilia indicant cujuslibet mulieris conceptionem. Et sanè si indicia probabilia vi carerent, innumeri fœtus certissimè animati salutari lavacro orbarentur, cùm evidentia tantùm evadant in quarto prægnationis mense.* " Præstat itaque, ait Hildanus,†

* *In 3. p. q. 66. art. 7. in fine.* † Astru. de morbis mul. t. 5. l. 3. c. 7. §. 4. Willelm. Fabrit. Hildan. in res ad Epist. Michael. *Doring.*

centum cadavera prægnantium frustra incidere, quàm semel permittere, fœtum vivum in utero materno tam miserè perire, atque suffocari. Hoc profectò esset crudelem atque inhumanum sese erga proximum exhibere: imò et justissimam iram divinam in genus humanum provocare."

Ut præsentem compleam disputationem, tertia quæstio gravis manet in omni opinione enodanda et maximè quia apud adversarios involuta videtur: *Quá nempe cautione abortivi sint baptizandi?* Cætera ad hanc materiam spectantia repetere libebit ex Embryologia Sacra.

Abortivi alii omnia membra habent explicata, alii nondum sunt eandem perfectionem adepti.

Primi, si vitæ indicium motu præbeant, absolutè baptizantur; conditionate verò, si motum præ se non ferant, at nihilominus non sint corrupti aut laceri, licèt lividi, ac sinè pulsu, respiratione, motu atque sensu. Dubium est enim, utrùm revera obierint, an non propter abortûs violentiam in immane deliquium inciderint.

Secundi, modò humani embryones esse videantur, etiam primis graviditatis diebus sub conditione baptizantur, licèt, utpote minimi et imperfectissimè figurati, externo motu careant.

Nunc compertum est, embryonem in ovo fœcundato semper esse sensibilem. Manifestum insuper est die tertio, non solùm absque microscopio, fœtum vermis instar inspicientibus apparere, sed et caput ipsius, quod sedes est animæ præcipua, discerni. Cæterùm, etsi sensibilis in seipso non esset, talis tamen foret in ovo, in quo concluditur. Hoc vero nihil aliud, est quàm secundinæ, quæ non solùm cum fœtu continuantur, verùm etiam corporis ipsius dicendæ sunt partes ad vitam, quousque in lucem prodeat, prorsus necessariæ. Hinc, referente et ponderante Benedicto XIV,* plures graves Doctores sentiunt, fœtum immediatè baptizari, cùm secundinæ madefiunt.

Et quoniam omni jure favores sint ampliandi, fœtus sive minimi, sive plenè formati minores, baptizari sub conditione debent primùm secundinis involuti, ne tempus absumatur cum periculo mortis ipsorum, ubi aëri exponerentur. Conditio, *si es capax*, apposita isti Baptismo, respicit tam dubium animationis et vitæ fœtuum, quàm dubium, ne Baptismatis validitati obstent secundinæ.

De Syn. Diœces. l. 7. c. 5. n. 3.

Quo facto, cautè aperiantur secundinæ, ne vulneretur fœtus, et, iis vacuis, iterum baptizetur sub prædictâ conditione, quæ omnibus casibus sufficere potest, et, quantùm sine Baptismi mora possibile est, in aqua tepida.

Nec irregularitatem timeat Sacerdos ex eo, quòd fœtum secundinis spoliet: secundinas enim aperiendo allevat fœtum, qui ab eis se extricare conatur, et à quibus, quamvis minimus, interdum sè expedit: et idcirco totus fluxus abortivus sedulò et per partes excutiendus est, sicut etiam propter multiplicitatem fœtuum, qui sæpè per intervalla satis distantia ex utero egrediuntur.

Cæterùm vita talis fœtûs est conservatu prorsus impossibilis et adeo tenuis, ut propter formidinem, ne mors per paucula momenta acceleretur, Baptismus omitti non debeat, ut in simili casu resolvit doctissimus Sylvius.*

Sed objiciunt quidam, hi Ritus sunt novi, ideoque à veritate videntur alieni: nam, si veri essent, quomodo divina Providentia ipsorum ignorantiam vel non usum permisisset cum tot animarum damno?

Contradictum sic dissolvo: 1°. Nedum probari posset novitas horum Rituum, cùm plerique veteres animam in ipsa conceptione, vel statim post conceptionem infundi agnoverint, alii etiam magno numero de hoc dubitaverint, possumus et debemus concludere, quòd minimis fœtibus succurere non neglexerint.

2°. Verosimilius esset, quòd talium Rituum neglectum, et sensim non usum introduxerint exitiosa illa ignorantiæ sæcula, in quibus Doctores ipsimet, naturæ investigandæ parum studiosi, principia physica à ferè solo Aristotele hauriebant. Et verò Peripatetica opinio eò suaviùs in animos irrepere debebat, quòd tam abortuum voluntariorum atrocitatem extenuaret, quàm vigilantiam in involuntarii necessariam, molestam et sordidam.

Quod ad divinam Providentiam attinet, quâ ratione permiserit sectionem Cæsaream in vivente, tot salvandis parvulis natam, tam diu ignotam et incultam fuisse: quo fine permiserit, ipsosmet indormiisse tot abortivorum saluti ex confesso animatorum, sua responsio pro nobis satisfaciet.

Reponent, Judicium Episcoporum circa nostras Theses *expectandum* fore.

* *In 3 p. q. 66. art. 7. in fine.*

Sed nodum resecat jam laudatus et non satis laudandus enedictus XIV,* dum pro casu non absimili docet, tutius se, ut Episcopi expectent judicium Sedis Apostolicæ, implexarum istarum quæstionum decisionem sibi arrosse videantur; interim verò pertinere ad Parochos obsteces instruere, ut, cùm casus evenerit, fœtum sub condione baptizent.

Subolet minimùm quæ sit mens Apostolicæ Sedis, tum laudibus à dicto Summo Pontifice iteratis, tùm ex manatis Illustrissimorum Episcoporum Siculorum et Italorum, ec non Eminentissimorum Cardinalium Valenti Gonzaga t Delcii.

Non obstante nostrarum opinionum soliditate, libenter dopto dictum sensumque S. Augustini circa aliam, nec minùs favorabilem, nec minùs difficilem quæstionem: *Non tamen damnare debemus eos, qui timidiùs agunt quàm nobis agi videtur oportere, ne de pecunia conservo reditâ improbius quàm cautiùs judicare voluisse judicenur. Satis quippe in talibus respiciendum illud Apostoli, ubi dicit: Unuscuisque nostrùm pro se rationem reddet Deo.* ‡ Simul animum non avertam à tam dignâ S. Chrysostomi consideratione: *Nonne melius est propter misericordiam rationem redderé, quàm propter crudelitatem? Ubi pater largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, cur Sacerdos austerus?* §

* De Syn. Diœces. l. 7. c. 5. n. 6. † L. 1. de adult. conj. c. 25. Rom. 14. v. 12. § Hom. 43. Op. Imp. in mat. versùs med.

FINIS DISSERT. DE BAPTIZANDIS ABORTIVIS.

TRACTATUS

DE SACRAMENTO

CONFIRMATIONIS.

PROEMIUM.

I. *Instructio Eugenii IV.* II. *Circa Confirmationem*

Pro faciliori intelligentia et compendio dicendorum præmittimus Eugenii IV. (seu, ut communiter dicitur, Concilii Florentini) instructionem ad Armenos de hoc Sacramento.

I. " Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma confectum ex Oleo, quod nitorem significat Conscientiæ, et Balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est: *Signo te Signo Crucis : et confirmo te Chrismate Salutis, in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.*

" Ordinarius Minister est Episcopus. Et cùm cæteras Unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quòd per manûs impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apost *cap.* 8. v. 14, &c. lectio manifestat... II. Loco autem illius manûs impositionis datur in Ecclesia *Confirmatio.* Legitur tamen, aliquando per Aposto-

cæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodùm causâ, simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipuè Crucem ejus, quæ Judæis quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundùm Apost. 1. *ad Cor. cap.* 1. propter quod Signo Crucis signatur."

N. 1. DE NOMINE ET DEFINITIONE CONFIRMATIONIS.

S. Thom. 3. *part. quæst.* 72.

I. *Quare dicatur Confirmatio.* II. *Manûs impositio.* III. *Sacramentum Chrismatis et Unctionis* IV. *Sigillum.* V. *Plenitudo Gratiæ.* VI. *Definitio.* VII. *Ex Catechismo Mechlin.*

UNDENAM hoc Sacramentum dictum est Confirmatio?

I. R. Commune et usitatum illud nomen (teste Catechismo Romano Num. 17. *de Confirmatione*) accepit ab effectu suo, inquantùm per illud datur robur spirituale, quo baptizatus confirmatur et roboratur, ad confitendum et glorificandum Nomen Domini Jesu Christi: et hinc etiam flandricè dicitur *Vrômsel*, vulgò *Vormsel*, gallicè *Confirmation.*

Quibus aliis nominibus adhuc appellatur?

II. R. Imprimis ab initio Ecclesiæ dicta est *manuum impositio*, ut patet ex Act. cap. 8. v. 17.

Observa tamen, quòd manuum impositio, sive apud Sanctos Patres, sive in Canonibus, sive alibi, non semper accipiatur pro Sacramento Confirmationis: sed quandoque pro Ordinatione Sacerdotis vel Diaconi: item sæpius pro reconciliatoria manuum impositione Hæreticis vel excommunicatis ad Ecclesiam redeuntibus. Unde ex circumstantiis colligi debet, de qua manuum impositione agatur.

III. Dicitur etiam *Sacramentum Chrismatis* ab ejus materia remota. Et similiter à materia proxima *Sacramentum Unctionis;* iterum tamen notando, quòd apud veteres vox illa *Unctio* alias etiam patiatur significationes.

IV. Vocatur etiam *sigillum* vel *signaculum*, tum quia adhibito Chrismate per signum Crucis sigillamur in fronte, tum quia per characterem sigillamur in anima.

V. Dicitur etiam *Perfectio*, item *Consummatio:* quia perficit et consummat effectum Baptismi: sed potissimùm dicitur *Plenitudo Gratiæ;* quia in illo specialiter confertur Spiritus Sanctus, seu copiosa Spiritûs Sancti gratia.

Quid est Confirmatio?

VI. R. Agendo contra Hæreticos definitur: Sacramentum à Christo Domino institutum, quo baptizatis datur Spiritus Sanctus, ad fidem Christi constanter et intrepidè profitendam.

Nihil in hac definitione continetur, quod ad fidem Catholicam non spectet: prætermittitur autem mentio circa materiam et formam, &c. ob varias circa hujus Sacramenti essentialia disputationes ad veritatem Dogmatis non pertinentes.

VII. Instructioni populi aptiùs describitur à Catechismo Mechlin. Sacramentum, quod baptizatis ab Episcopo confertur, in quo per sacram Unctionem et Sacrosancta verba confertur gratia et robur Spiritûs Sancti, ad fidem firmiter profitendam.

Singulæ particulæ sparsim in decursu explicabuntur.

N. 2. AN CONFIRMATIO SIT SACRAMENTUM?

S. Thom. quæst. 72. *art.* 1.

I. *De fide est, esse Sacramentum.* II. *Probatur ex Scriptura,* III. *et traditione.*

I. Responsionem affirmativam contra Sectarios definivit Conc. Trid. sess. 7. can. 1. *de Confirmatione:* "Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam Cæremoniam esse, et non potiùs verum et proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quàm catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit."

II. Probatur imprimis ex Scriptura Sacra Act. 8. v. 14. et sequentibus: *Cùm audissent Apostoli... Quòd recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem... Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Idem habetur cap. 19. v. 6.

Ex illis textibus habetur, in Confirmatione omnia reperiri ad rationem Sacramenti requisita. Imprimis habetur signum sensibile et Sacrum, scilicet manûs impositio et oratio: à Christo institutum, ut ostendetur Num. sequenti: practicum gratiæ, quia ad ejus adhibitionem datur Spiritus Sanctus: stabile et permanens, ut patet ex Joan. cap. 14. et alibi, et ex constanti usu et praxi Ecclesiæ nunquam intermissa.

III. Secundò probatur ex traditione, quæ habetur ex constanti et perpetua praxi Ecclesiæ, tam Græcæ quàm Latinæ, prout probant omnia Ritualia antiqua utriusque Ecclesiæ,

Quidam hoc Dogma etiam probant ex Matthæi cap. 19. v. 16. ubi Christus manus imponit parvulis; alii etiam ex 2. ad Cor. cap. 1. v. 21. et 22. sed non satis efficaciter. Videri potest à Lapide. Tandem etiam contra Hæreticos urgeri potest quòd ex Scriptura Sacra tam clarè probetur, Confirmationem esse Sacramentum, quàm Baptismum: quia neutri nomen Sacramenti tribuit Scriptura, sed utrique rem ipsam.

N. 3. DE INSTITUTIONE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

I. *A Christo immediatè institutum.* II. *In specie determinando materiam et formam.* III. *In ultima Cœna,* IV. *Vel inter Resurrectionem et Ascensionem.* V. *Quandonam adumbratum.*

I. SACRAMENTUM Confirmationis, æquè ac alia Sacramenta, esse à Christo Domino institutum, deducitur ex Conc. Trid. sess. 7. Can. 1. *de Sacramentis in genere.* Vide hìc S. Thom. art. 1. ad 1. et num. 32. *de Sacramentis in genere,* ubi simul probatur, illam institutionem esse immediatè à Christo factam.

Unde nunc planè cessat contraria quorumdam antiquorum *hypothesis, quasi vel* Apostoli, vel Patres in Concilio *Meldensi, Spiritu Sancto* inspirante, hoc Sacramentum

instituerint; ut etiam putavit S. Bonaventura secutus Magistrum suum Alexandrum Alensem.

II. Probabilius etiam apparet, quòd Christus hoc Sacramentum instituendo materiam ejus et formam determinaverit in specie; quandoquidem nulla sit necessitas dicendi, quòd eas tantùm instituisset in genere, ut ex dicendis patebit. Vide Num. 7. *de Sacramentis in genere.*

Quandonam Christus Dominus instituit hoc Sacramentum?

III. R. Duplex circa hoc præcipuè est opinio: quidam ex epistola 2. Fabiani Papæ ad Episcopos Orientales institutum dicunt in ultima Cœna; in cujus rei memoriam (inquiunt) Ecclesia adhuc quotannis eâdem die novum Chrisma conficere et benedicere, vetusque comburere solet.

IV. Sed cùm hæc S. Fabiani epistola apud eruditos nunc habeatur tanquam supposititia et apocrypha; (utì et aliæ Decretales Litteræ ante Syricium Papam); ideo institutum dicunt alii inter Christi Resurrectionem et Ascensionem, dum per 40 dies cum Apostolis conversatus illis loquebatur de Regno Dei, et multa de Spiritu S. prædixit: "quibus diebus (inquit S. Leo Papa Sermone 1. *de Ascensione*) magna confirmata Sacramenta, magna sunt revelata Mysteria."

V. Adumbratum fuit hoc Sacramentum Matth. cap. 19. dum Christus manum imposuit parvulis et oravit. Item Actor. cap. 2. in die Pentecostes, quo Apostoli abundanter acceperunt effectum hujus Sacramenti sinè Sacramento.

N. 4. DE MATERIA REMOTA CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. art. 2. et 3.

. *Materia remota est Chrisma* II. *Confectum ex oleo et balsamo,* III. *Benedictum ab Episcopo,* IV. *Saltem ordinariè.*

QUÆNAM est materia remota hujus Sacramenti?

I. R. Est Chrisma confectum ex oleo et balsamo, benedictum ab Episcopo: ut patet ex traditione, et constanti Ecclesiæ usu ac sensu. Vide Eugenium IV. supra in Præmio.

II. Quamvis autem Chrisma generatim significet quodcumque unguentum, usu tamen Ecclesiæ obtinuit, ut solùm signet compositum ex balsamo et oleo simul mixtis. Oleum autem intelligitur olivarum, quod propriè et simpliciter oleum dicitur; alia autem non nisi cum addito.

An admixtio balsami cum oleo est de necessitate Sacramenti?

R. Negant Juenin et Tournelly, eò quòd pluribus sæculis (aliquiunt) in Ecclesia, tam orientali quàm occidentali, data fuerit Confirmatio absque admixtione balsami; plures tamen cum S. Thom. affirmant, fundantes se in Florentino Decreto ad Armenos, Catechismo Romano, &c.

An Benedictio seu Consecratio Chrismatis etiam sit de necessitate Sacramenti?

III. R. Negant iterum Juenin et Tournelly; sed communiùs alii affirmant cum S. Thoma, qui etiam art. 3. in corp. dat rationem congruentiæ, cur potiùs in Confirmatione Benedictio Chrismatis requiratur de necessitate Sacramenti, quàm Benedictio aquæ in Baptismo.

IV. Quamvis extra dubium sit, Benedictionem illam ordinariè debere esse Episcopalem, controvertitur tamen utrimque probabiliter, an extraordinariè per Dispensationem Pontificiam Benedictio Chrismatis simplici Sacerdoti committi possit.

Negant Daelman et Billuart: affirmant autem Henno, Juenin et Tournelly dicentes, quòd Presbyteri non Jure divino, *sed Ecclesiastico* tantùm prohibeantur Chrisma consecrare.

N. 5. DE MATERIA PROXIMA CONFIR TIONIS.

S. Thom. quæst. 72. art. 9.

I. *Materia proxima est Chrismatio,* II. *Et manûs sitio,* III. *Indistincta à Chrismatione.* IV. *In f* V. *Per modum Crucis,* VI. *Immediatè manu Mi*

QUÆNAM est materia proxima Confirmationis?

I. R. Totalis et adæquata est Chrismatio, seu, quæ est, Chrismatis inunctio et manûs impositio, indistinc licet à Chrismatione.

De Chrismatione id constat ex traditione nobis mi tatâ per Pontifices, Concilia et Patres apud Bilfuart e et signanter per Decretum Concilii Florentini.

Ipsi etiam Apostoli sic Chrismate communiter uteb dicit S. Thom. sed disputatur, an semper adhibuerì autem extraordinariè per solam manûs impositione Sacramentum, an verò tunc effectum Sacramenti si cramento contulerint. Vide S. Thom. art. 2. ad 1. e vium in hunc locum, aliosque, &c.

II. De manuum autem impositione constat ex Ac cap. 8. et 19. et ex constanti utriusque Ecclesiæ tradi &c.

Obj. Concilium Florentinum non meminit impos manuum; quinimo videtur excludere dicendo: " autem illius manûs impositionis datur in Ecclesia Con tio:" ergo, &c.

R. Dist. antec. Non meminit impositionis manuu *tinctæ* ab actu Chrismationis, concedo antec.; *indist* ab actu Chrismationis, nego antec. Ad verba auten rentini dicitur, illud tantùm velle, quòd hoc Sacrame quod antea dicebatur manûs impositio, nunc vocetur Confirmatio.

III. Unde observa, quòd in hujus Sacramenti Mini duplex interveniat manûs impositio; una ab actu Chr tionis indistincta: ipsa enim inunctio, cùm manu fiat, vocatur manûs impositio: et hæc est essentialis m *hujus* Sacramenti.

Altera manûs impositio est præambula, quæ nempe fit, dum Episcopus, antequam singulos per ordinem confirmat, manu extensâ versùs omnes confirmandos simul, orat, ut in eos descendat Spiritus Sanctus: et hæc solùm cæremonialis est, ut habet communior sententia contra Tournelly et Juenin.

In qua parte corporis fieri debet Chrismatio?

IV. R. Certum est, quòd ex præcepto Ecclesiastico debeat fieri in fronte, cujus duplicem rationem dat S. Thom. in *Corp.* Deinde communiter sustinetur contra Daelman, ex perpetua Ecclesiæ praxi hoc etiam esse de necessitate Sacramenti.

V. Et similiter contra Daelman dicitur illam Unctionem faciendam esse per modum Crucis, ut ipsa forma Latinorum indicat.

VI. Perinde autem est ad valorem Sacramenti, sive illa Unctio fiat pollice manûs dexteræ (ut præscribit Pontificale) sive alio manûs dexteræ vel sinistræ digito; sed de necessitate Sacramenti passim requirunt, ut immediatè fiat manu, et non mediante virgulâ aliove instrumento; cùm fieri debeat per manûs impositionem.

N. 6. DE FORMA CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. art. 4.

I. *Forma Græcorum*, II. *Item Latinorum*, III. *Et utraque est legitima*, IV, *et respectivè servanda.* V. *De essentialibus in forma Latinorum.*

QUÆNAM est forma hujus Sacramenti?

I. R. Adæquata forma consistit in verbis, quæ inter ungendum proferuntur; scilicet apud Græcos est hæc: *Signaculum Doni Spiritûs Sancti*, subaudi ex vi et phrasi verborum, *quod tibi confero, seù quod tibi confertur meo Ministerio.*

II. Forma apud Latinos est: *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis in Nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.*

Hanc posteriorem esse legitimam, probatur ex sæpe citato Decreto Conc. Flor. in quo ipsissimis verbis exprimitur.

III. Idem probatur de forma Græcorum ex eo, quòd omnia eorum *Euchologia* (id est Ritualia) eam assignent, eaque Græci Catholici etiam usque hodie utantur Romæ in oculis Papæ et Cardinalium, &c. ergo vel est legitima, vel non est Sacramentum Confirmationis apud Græcos, quod nullatenus dici potest.

Objectiones contra utramque formam vide apud Billuart et alios.

IV. Utraque forma in sua respectivè Ecclesia est servanda, et quidem sub gravi; ita ut Episcopus Latinus uti non possit formâ Græcorum, vel è contra.

Quænam in forma Latinorum sunt essentialia?

R. Non conveniunt Authores: Daelman aliique arbitrantur, essentialia non esse alia, nisi æquivalentia illis, quæ continentur in forma Græcorum, scilicet: *Signo et confirmo te.*

V. Suarez tamen, Sylvio aliisque videntur omnia esse essentialia: et se fundant in doctrina Florentini, omnia simpliciter nomine formæ recensentis; hæc autem opinio conciliari non potest cum dictis de forma Græcorum, nisi sustinendo, quòd Christus hujus Sacramenti formam non instituerit in specie, sed tantùm in genere, relinquendo scilicet Ecclesiæ potestatem determinandi aliam formam pro Græcis essentialem, et aliam pro Latinis.

Nota, quòd, quia materiam proximam ponunt præambulam manûs impositionem versùs omnes confirmandos simul, idque vel adæquatè (juxta Juenin) vel partialiter (juxta Tournelly) similiter dicant, formam Confirmationis, vel totalem, vel partialem, esse orationem, quæ hanc manuum extensionem comitatur.

7. DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. art. 11.

nister ordinarius est Episcopus, II. *Extraordina-
r est Sacerdos,* III. *sed ex commissione Pontificis.
Ut validè confirmet.*

DUPLEX distinguitur Minister Confirmationis, ordi-
scilicet et ex officio, et extraordinarius per dispen-
em.

s est Minister ordinarius?

De fide est talem esse solum Episcopum, ut patet
ex Decreto Florentini, et definitum est in Tridentino
. can. 3. *de Confirmatione.* Item sess. 23. c. 4. et
. ubi erroris Sectariorum radicem evellens definit,
pos esse Presbyteris superiores, et ideo præ iis habere
tem confirmandi et ordinandi.

s est Minister extraordinarius Confirmationis?

R. Est simplex Sacerdos, accedente scilicet Apostо-
edis dispensatione, ut dicit iterum Florent. conclusio
ur in traditione nobis manifestata ex eo, quòd plures
ices hanc facultatem concesserint simplici Sacerdoti:
10 Presbyteri Græci hodiedum adhuc passim confir-
et hoc validè ex consuetudine inducta ex concessione
Apostolicæ saltem tacita, eâque consentiente, etiamnum
ir.

. Simplex Sacerdos sinè illa commissione confirmaret
lè: ergo etiam cum illa.

batur consequent. quia confirmare non est Actus Ju-
ionis, sed potestatis Ordinis; atqui per eam commis-
1 non datur potestas Ordinis: ergo, &c.

. R. Nego conseq. Ratio est, quòd confirmare Jure
rio sit quidem actus Ordinis Episcopalis; sed jure
rdinario est Actus simplicis Ordinis Sacerdotalis, qua-
per illum confertur radicalis et incompleta potestas
nandi, quæ per legitimam Pontificis commissionem
tur et completur: unde dum simplici Sacerdoti con-
r facultas confirmandi, non ei committitur Actus Or-
Episcopalis, cùm non fiat Minister ordinarius; sed

ipsi committitur Actus sui Ordinis Sacerdotalis, ut nemp sit Minister Confirmationis extraordinarius.

Prædicta sic intellige, ut simplex Sacerdos sinè illa com missione non tantùm illicitè, sed etiam invalidè confirmaret Sacerdote autem inferior, v. g. Diaconus, nequidem validi cum illa.

An etiam Episcopus dictam facultatem potest Sacerdoti committere?

IV. Responsio communior est negativa: quia id nunquam factum est, quin saltem fuerit improbatum; deinde Conc Flor. et S. Thom. art. 11. ad 1. de illa commissione lo quuntur quasi de speciali prærogativa Sedis Apostolicæ, e habentis plenitudinem potestatis. Vide Benedictum XIV. lib. 7. *de Synodo Diœces.* cap. 7. 8. et 9. latè de tota ha re disserentem.

N. 8. DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. art. 6. et 8.

I. *Subjectum Confirmationis.* II. *Quæ olim dabatur statim post Baptismum,* III. *Nunc tantùm ratione utentibus* IV. *nisi desit opportunitas, &c.* V. *non solet ministrari moribundis,* VI. *sed bene amentibus.*

I. QUODNAM est subjectum Sacramenti Confirmationis?

R. Est omnis et solus homo viator baptizatus, et nondum confirmatus.

In qua ætate hoc Sacramentum est suscipiendum?

II. R. Pristina Ecclesiæ duodecim primis sæculis disciplina (etiamnum Græcis usitata) erat, tam parvulis quàm adultis, statim post Baptismum conferendi hoc Sacramentum: hujus autem disciplinæ ratio erat, quòd etiam parvuli ante rationis usum capaces sint effectuum hujus Sacramenti, et in eis etiam absit periculum obicis. Vide S. Thom. art. 8. ad 2.

III. Moderna autem Ecclesiæ Latinæ consuetudo, in Pastoralibus et Decretis Synodalibus passim expressa est ut regulariter, et per se loquendo expectetur usus rationis, vel saltem septennio non sint minores, inquit Synodus Diœcesana Mechl. tit. 4. cap. 4. Cujus ratio est, ut meliùs

suscepti Sacramenti memores esse possint, et ut magis dignitati ac reverentiæ Sacramenti consulatur, cum illud propriâ fide et dispositione suscipitur.

IV. Dictum est *regulariter*, &c. quia ubi rarior est hujus Sacramenti suscipiendi opportunitas, expedit et etiam observatur, quòd aliqui confirmentur ante usum rationis et septennium.

V. Quamvis autem pueri ante septennium inungi possent Sacro Chrismate, dum versantur in discrimine, non solet tamen hoc Sacramentum moribundis, sive adultis, sive parvulis, administrari: quia in majoribus, ut Belgii nostri, Diœcesibus id commodè fieri nequit; hoc enim foret Episcopis jugum grave, imò impossibile; et ideo tunc cessat obligatio.

VI. Amentibus tamen hoc Sacramentum est conferendum; sunt enim capaces characteris et gratiæ sanctificantis, imò et gratiæ Sacramentalis, illiusque usûs, si redeant ad sanam mentem. Quandonam autem illi confirmandi forent, colligе ex Num. 45. *de Sacramentis in genere.*

N. 9. DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS IN CONFIRMANDO.

I. *Dispositio ad valorem* II. *et ad fructum Sacramenti* III. *Requiritur etiam instructio* IV. *et devotio.* V. *Dispositiones ex parte corporis.*

QUÆNAM requiruntur dispositiones ad suscipiendam Confirmationem?

I. 1°. Ultra characterem baptismalem in omnibus requisitum, in adulto ad validam hujus Sacramenti susceptionem ulteriùs requiritur intentio, seu voluntas illud suscipiendi. Vide Num. 45. *de Sacramentis in genere.*

II. 2°. Ad licitam et fructuosam susceptionem requiritur insuper in adulto status gratiæ, cùm sit Sacramentum vivorum: et proinde qui sibi alicujus peccati mortalis conscius est, tenetur confessionem præmittere.

Circa pueros doli capaces, licet nondum septennes, curare debet Parochus ut prævièdisponantur ad confessionem et confiteantur. Quomodo autem cum illis pueris etiam de quibus dubium est circa usum rationis, in confessione sit procedendum, vide in Tractatu *de Pœnitentia* Num. 68. et 69

III. In pueris confirmandis, seu qui rationis usum adepti sunt, etiam requiritur instructio, et præsertim quoad necessaria necessitate medii: item reverentia et devotio ætati suscipientis proportionata.

IV. Quapropter præscribit S. Carolus Borromæus, ut frequentiori et attentiori religiosæ orationis studio devote sese exerceant ad Apostolorum exemplum, qui dum exspectarent Spiritum Sanctum, erant perseverantes in oratione.

Circa dispositiones ex parte corporis observa sequentia.

V. 1°. Juxta antiquos Canones hoc Sacramentum à jejunis dari et suscipi debet, ut habent Pontificale Romanum, Synodus nostra Diœcesana, et Pastorale Mechl. dicens: *Cùm ad Confirmationem est accedendum, præcipuè adulti, (si fieri possit) jejuni sint.*

Verumtamen cùm hodiedum non tantùm suscipi à non jejunis præsertim junioribus soleat, sed et ita ab Episcopis ob confirmandorum multitudinem conferri; de hoc dicendum cum S. Th. hoc loco art. 12. ad 2. "Ubi congruè tamen observari potest, convenientius est, ut à jejunis detur et accipiatur."

2°. Confirmandi habeant frontem apertam et nitidam.

3°. Ut habitus, tam confirmandorum quàm tenentium, præsertim puellarum, sit honestus et modestus.

4°. Ut quisque confirmandorum habeat vittam, seu fasciam lineam et nitidam, et justæ magnitudinis, quâ frons Chrismate inuncta contegatur, et alligata maneat ob reverentiam Sacri Chrismatis; si tamen quis in grandiori ætate confirmetur, fascia mox deponi poterit per Sacerdotem, antequàm confirmatus exeat Ecclesiâ. Plura in Pastorali et Syn. Diœces. Mechl. cap. 5. *de Confirm.*

N. 10. DE EFFECTIBUS CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. art. 5 et 7.

I. *Gratia sanctificans,* II. *et Sacramentalis,* III. *et character.*

QUINAM sunt effectus hujus Sacramenti?

I. R. Primus effectus est Gratia sanctificans, per se secunda, et per accidens prima, cui in initio Ecclesiæ sæpe conjungebatur Donum miraculosum Linguarum.

Est autem illa gratia *roborativa* et confortativa, annexam habens abundantiam Virtutum et septem Donorum Spiritûs Sancti, de quibus Isaias cap. 11. v. 2. et 3. et ideo in hoc Sacramento dari dicitur specialiter Spiritus Sanctus, seu gratiæ plenitudo; non quasi major dari non possit, sed quia est ultimum complementum, hominem taliter in gratia perficiens, ut ab illa vocari possit, et sufficienter sit perfectus Christianus.

Specialiter autem virtutes augentur fidei et fortitudinis.

II. Secundus effectus est Sacramentalis gratia, seu actualis, suo tempore danda, dum scilicet occasio se offeret, ad idem corde, ore et opere strenuè et constanter profitendam, ad vincendas contra fidem tentationes, ac adversa quælibet pro fide patienter toleranda.

III. Tertius effectus est character, ratione cujus hoc Sacramentum est iterabile. Vide Num. 26. et 27. *de Sacramentis in genere.*

Quomodo procedendum sit in dubio, an quis hoc Sacramentum susceperit, vide resolutum in *Synodo Diœces. Mechl.* cap. 1. tit. 4.

An autem hoc Sacramentum validè, sed infructuosè susceptum possit reviviscere, certum non est; plures interim partem benigniorem, affirmativam scilicet, tanquam probabiliorem defendunt. Vide N. 30. *de Sacramentis in gen.*

N. 11. DE NECESSITATE CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. *art.* 1. *ad* 3.

I. *Non est necessaria necessitate medii,* II. *sed probabiliùs necessitate præcepti* III. *Divini* IV. *et Ecclesiastici.* V. *Pro praxi.* VI. *Confirmatio præmittenda Tonsuræ.*

An et quomodo Confirmatio est necessaria ad salutem?

I. R. Imprimis non est necessaria necessitate medii; ut patet in infantibus baptizatis, qui ante Confirmationem moriuntur.

2°. Dubium non est de necessitate præcepti quasi negativi, graviter scilicet prohibentis contemptum hujus Sacramenti.

3°. Nec etiam dubium est, quin possit quis etiam sub gravi teneri per accidens ad hujus Sacramenti susceptionem, v. g. ratione scandali vitandi, ratione periculi alioquin succumbendi tentationi contra fidem, v. g. tempore persecutionis, &c.

II. 4°. Quæstio igitur superest, an Confirmatio sit necessaria necessitate præcepti, per se et directè obligantis?

R. Quidam negant, ut Suarez, Billuart, &c. alii non nisi obligant sub levi, ut tenet Sylvius: alii verò (ut Juenin, Tournelly, Daelman, Pauwels, &c.) agnoscunt præceptum Divinum et Ecclesiasticum, obligans sub gravi.

Hæc ultima sententia præ cæteris probabilior, et in praxi tutior, probari potest quoad præceptum divinum ex ipsa institutione; quando quidem Christus hoc Sacramentum instituerit ut medium per se certum et ordinarium, ad dandum robur et perfectionem Christianæ vitæ, et non solùm ad fidem coram Tyrannis profitendam, sed etiam ad vincendas tentationes contra fidem, quibus sæpe vexantur adulti: ergo omnino apparet, quòd Christus illud medium ordinarium posuerit sub præcepto, et non sub solo consilio.

Deinde illud præceptum insinuat Catechismus Romanus N. 14. *de Confirmatione* his verbis: "Maxime cavendum est, ne in re Sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam largè impertiuntur, aliqua negligentia committatur; quod enim omnibus communiter ad Sanctificationem

roposuit, ab omnibus etiam summo studio expeten-
t."
Præceptum autem Ecclesiasticum probatur authoritate
iorum et sanctorum Patrum, qui passim necessitatem
nationis ex usu et consuetudine Ecclesiæ commen-
et sic S. Carolus Borromæus in quarta sua Synodo
ut is, qui determinato tempore non suscipit Confir-
em, Canonicis subjiciatur disciplinis.
I. Nullibi scriptum aut traditum legimus, quòd
is dederit præceptum de Sacramento Confirmationis:
zc.
Nego antèced. nam imprimis sicuti res Sacramenti
lis promissa spectat ad omnes, ita non ineptè omnibus
tur, quod Christus præcepit Apostolis expectare
nem Spiritûs Sancti, Lucæ cap. 24. v. 49. et Actor.
v. 4.
ıde, ut ait S. Hieronymus in Dialogo contra Lucife-
: "An nescitis, etiam Ecclesiarum hunc esse morem,
tizatis postea manus imponantur, et ita invocetur
s Sanctus? exigis, ubi scriptum sit? in Actis Apos-
ı. Et etiamsi Scripturæ authoritas non subesset,
rbis in hanc partem consensus instar præcepti obti-

. II. Episcopi moribundos non confirmant: ergo nul-
get præceptum hujus Sacramenti.
Dist. conseq. Ergo nullum urget præceptum, ubi
dè suscipi non potest Confirmatio, concedo; ubi
dè suscipi potest, nego conseq. in casu autem ob-
ommodè suscipi non potest, adeoque non obligat, ut
Num. 8. et sic v. g. etiam non obligaret præceptum
li Viaticum, si ad hoc deberet Sacerdos sinè vestibus
aut non jejunis celebrare.
objectione ex Sancto Thoma petitâ vide Daelman.
Observa ex dictis, seriò monendos esse parentes pro
utores et curatores pro clientibus, patres-familias pro
icis, Parochus pro parochianis, et generatim omnes,
aliorum cura incumbit; ut scilicet illis hoc Sacra-
n administrari tempestivè provideant.
Observa etiam, neminem suscipere posse Tonsuram
lem, (et à fortiori nec minores, nec majores Ordines)
ùs confirmatus non sit, juxta concilium Tridentinum
3. *de Reformatione* cap. 4. qui secùs faceret, esset

quidem validè ordinatus, vel tonsuratus, nec videtur propterea irregularis, (cùm nullo jure hæc pœna legatur imposita) sed meritò dubitatur, utrùm talis non peccet mortaliter.

N. 12. DE PATRINO CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. *art.* 10.

I. *Adhibendus est Patrinus,* II. *seu Tenens,* III. *Qui contrahit obligationem instructionis et cognationem spiritualem.* IV. *Unus tantùm assumitur.*

An in Confirmatione adhibendus est Patrinus?

I. R. Affirmativè, scilicet ex præcepto Ecclesiastico, eodem modo ac in Baptismo; specialiter autem hic vocatur *Tenens,* qui in Baptismo (præsertim per immersionem) dicitur *Levans* vel *Susceptor:* quia ejus officium est in Confirmatione tenere confirmandum, ut dicit Pontificale Romanum his verbis: "Infantes per Patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dexteris; adulti verò, seu alii majores, ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini sui: et ideo neque masculi feminis Patrini, neque feminæ masculis Matrinæ esse deberent."

III. Sicut Patrinus in Baptismo obligationem contrahit instruendi baptizatum in fide et moribus Christianis, ita in Confirmatione tenens tanquam veteranus miles confirmatum adhuc tyronem perfectiùs in militia Christiana edocere debet.

Contrahit similiter (utì etiam Minister) cognationem spiritualem cum confirmato ejusque parentibus, ut habet Concilium Tridentinum sess. 24. *de Reformatione Matrimonii* cap. 2. quod populo tempore et loco debet inculcari: et cùm nec Confirmatorum, nec Patrinorum nomina soleant annotari, sicut in Baptismo, ideo omnino etiam expedit hic in Patrinos assumere propinquiores consanguineos.

IV. Observa etiam sequentia ex Pastorali Mechliniensi: "Confirmandus unum tantùm sibi deligat Patrinum, alium ab eo, à quo è Baptismo susceptus fuerat; si tamen ita necessitas cogeret, idem tam in Baptismo, quàm in Confirmatione Patrinus esse potest....In hoc Confirmationis Sacramento non potest alium suscipere in filiolum, qui ipse confirmatus non est, aut qui qualitatibus illis impeditur, quæ suprà titulo de Patrinis (in Baptismo) exprimuntur."

Si quis tamen non confirmatus Patrinum ageret, cognationem spiritualem contraheret. Vide Num. 41. et 42. *de Baptismo*.

Convenit etiam, ut Patrinus sit natu major confirmando, et juxta S. Carolum Borromæum ad minùs 14. annum attigerit.

Tandem observa ex Pontificali Romano: " Nullus præsentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat arbitrio Episcopi."

N. 13. DE RITIBUS CONFIRMATIONIS.

S. Thom. quæst. 72. art. 12.

I. *Levis alapa*, II. *Pax tecum*, III. *Fascia*, IV. *Ejusque depositio*. V. *Benedictio*.

QUÆNAM sunt præcipuæ Cæremoniæ hujus Sacramenti?

I. R. Statim ac Episcopus formam Sacramenti pronunciavit, levem alapam infligit in maxillam confirmati: " Ut meminerit, se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi Nomine ferenda," inquit Catechismus Romanus Num. 20. *de Confirmatione*.

II. Simul et pacem apprecatur Episcopus dicens: *Pax tecum*: " ut ea pace (ait Catechismus Romanus) Confirmatus intelligat, se gratiæ cælestis plenitudinem et pacem quæ exsuperat omnem sensum, consecutum esse."

III. His per Episcopum peractis, fasciâ seu vittâ lineâ circumligatur frons confirmati tum in reverentiam Sacri Chrismatis, tum ad designandum, quòd Spiritûs Sancti gratia mox obtenta sit diligenter servanda, tum etiam (inquit Pastorale Mechliniense) in Symbolum animi ad omnia opprobria et adversa parati pro Nomine Christi, cujus facies velata est, et alapis cæsa.

IV. Olim fascia retinebatur ligata septem diebus, postea in aliquibus Ecclesiis triduo tantùm; nunc autem deponi solet die sequenti, et eâdem frons abstergitur: quocirca ita Pastorale Mechliniense: " Fascia per Sacerdotem deponatur et conservetur in Sacrario aut alio honesto loco, comburenda ad Cineres Sacros in diem Cinerum quadragesimæ."

Omnibus jam confirmatis, Episcopus super omnes simul orat, ut gratiam acceptam Deus in eis perficiendo confirmet.

V. Postremò, iis impertitur Benedictionem, ante quam nemo Confirmatorum discedere potest, juxta Pontificale Romanum et Pastorale Mechliniense. Et similiter omnes ab initio omnibus Cæremoniis intersint.

Permittitur aliquandò, ut Confirmando imponatur nomen, uti supponit Catech. Mechl. scilicet novum addendo, vel ob justas causas in aliud mutando.

Plura circa hæc videri possunt in Catechismo Romano et apud Marchantium in Candelabro Mystico.

FINIS TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

TRACTATUS

DE

VENERABILI SACRAMENTO

EUCHARISTIÆ

PROEMIUM.

I. *Decret. Eugenii IV. seu Concilii Florent. de Eucharistia.* II. *Quæ est Sacramentum et Sacrificium.* III. *Sacramentum ut in fieri vel in facto esse.*

I. Præmittimus aliqua ex Decreto Eugenii IV. seu Concilii Florentini pro instructione Armenorum: "Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est Panis triticeus, et Vinum de vite, cui ante Consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam..creditur, ipsum Dominum in vino aquâ permixto hoc instituisse Sacramentum; deinde quia hoc convenit Dominicæ Passionis repræsentationi..quia sanguis et aqua ex latere Christi profluxisse legitur; tum etiam quia hoc convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum; aqua enim populum significat secundùm Apocal. cap. 17. v. 15.....

" Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc * conficit Sacramentum; Sacerdos enim in Persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, et substantia vini in Sanguinem convertitur; ita tamen quòd totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini; sed quàlibet quoque parte Hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione factâ totus est Christus: hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum, &c."

II. Prænotandum, Eucharistiam dupliciter posse considerari: 1°. Respectivè ad homines, quos sanctificat, et sub hac ratione est Sacramentum et in hoc Tractatu solùm consideratur. 2°. Respectivè ad Deum, seu ad ejus cultum; sicque est Sacrificium, et de eo in Tractatu sequenti.

III. Insuper prænotandum, quod Eucharistia secundùm rationem Sacramenti etiam dupliciter possit considerari, nempe ut *in fieri*, et ut *in facto esse*, seu existens in esse Sacramenti; aliud enim est loqui de materia, forma, Ministro et efficientia Consecrationis, quibus hoc Sacratum perficitur; aliud autem planè est loqui de ipso Sacramento, nempe secundùm esse Sacramentum, ut de illius essentia, proprietatibus, Ministro dispensationis, &c.

De Eucharistia priori modo considerata loquitur potissimùm Eugenius IV. in Decreto mox citato.

* Forte *conficitur*.

DE VARIIS EUCHARISTIÆ NOMINIBUS.

S. Thom. 3. *part. quæst.* 73. *art.* 4.

I. *Nominatur.* II. *Sacrificium et Hostia,* III. *Communio vel synaxis.* IV. *Viaticum et Eucharistia.* V. *Panis vitæ, &c.* VI. *Corpus Christi.* VII. *Convivium.* VIII. *Mensa Domini.* IX. *Cœna.*

I. SACRAMENTUM hoc ob suam præ aliis excellentiam innumera sortitum est nomina, quæ sanctus Thomas loco citato in *Corp.* desumit à triplici ejus significatione.

II. 1°. Habet significationem respectu præteriti, inquantùm scilicet est signum *commemorativum* Dominicæ Passionis: et eatenus dicitur: *Sacrificium,* item *Hostia.*

III. 2°. Inquantùm significat rem præsentem, seu est signum *demonstrativum* Ecclesiasticæ unitatis, quâ unimur specialiter cum Christo, et ad invicem: vocatur *communio* vel *Synaxis.*

IV. 3°. Quatenùs significat rem futuram, seu est signum *prognosticum* fruitionis Dei in Patria, dicitur *Viaticum*; quia hìc præbet nobis viam illuc perveniendi: et sic etiam dicitur *Eucharistia,* id est, bona gratia: quia *gratia Dei, vita æterna,* ut dicitur ad Rom. cap. 6. vel quia realiter continet Christum, qui est fons gratiæ; vel etiam juxta aliquos quia Christus in hujus Sacramenti institutione gratias egit, et adhuc quotidie in gratiarum actionem Deo offertur.

V. Sunt et plura alia hujus Sacramenti nomina, sive ratione materiæ transeuntis ut *Panis,* sed communiter cum addito *vitæ cælestis, Angelorum,* &c. sive ratione rei contentæ, VI. ut *Corpus Christi, Corpus Domini,* &c.

VII. Item dicitur *Sacrum Convivium*; quia est institutum per modum Convivii spiritualis.

VIII. Et quoniam Christus illud instituit mensæ accumbens, dicitur etiam *Mensa Domini.*

IX. Pariter appellatur *Cœna*; quia institutum est in ultima Cœna; sed quia Hæretici abutuntur hoc nomine, ut suadeant, illud consistere in usu seu actu cœnandi, nec ad ejus sumptionem posse præcipi jejunium, ideo hoc nomine parcè utendum est.

N. 2. DE VARIIS EUCHARISTIÆ FIGURIS.

S. Thom. quæst. 73. art. 6.

I. *Quid Sacramentum tantùm.* II. *Res Sacramenti.* III. *Utrumque simul.* IV. *Figuræ ratione materiæ* ex qua. V. *Ratione contenti.* VI. *Ratione effectûs.* VII. *Et ratione omnium agnus Paschalis.*

Sanctus Thomas hic in *Corp.* eleganter illas figuras distribuit in quatuor classes: cùm enim in hoc (sicut et in aliis Sacramentis) tria considerari possint: 1°. I. Scilicet *Sacramentum tantùm,* quod significat et non significatur, quòd in hoc Sacramento est panis et vinum, seu eorum species. 2°. II. *Res Sacramenti tantùm* quod significatur et non significat; et illud hic est gratia sanctificans. 3o. III. *Sacramentum et res Sacramenti simul,* quòd hic est Corpus et Sanguis Christi: quia significantur à speciebus consecratis, et significant gratiam per modum refectionis spiritualis. Cùm igitur hæc tria vel considerentur singula seorsim, vel omnia simul collective, sunt quatuor classes figurarum.

IV. Et ita ratione materiæ *ex qua* et specierum insignis figura fuit *Panis et Vinum* in Sacrificio Melchisedech, Gen. cap. 14. item *Panes Primitiarum,* Lev. cap. 23. et *Panes Propositionis,* Lev. cap. 24. item in Nova Lege mutatio aquæ in vinum Joan. cap. 2. et *duplex multiplicatio Panum.*

V. Ratione contenti, scilicet Corporis et Sanguinis Christi pro nobis passi, omnia Sacrificia antiqua fuerunt figura Eucharistiæ: præcipuè tamen, inquit S. Thom. Sacrificium expiationis, Levit. cap. 16.

VI. Ratione effectûs figuratum fuit per *Lignum vitæ,* Gen. cap. 2. item *per Panem Subcinericium,* Judic. cap. 7. et 3. Reg. 19. pariter per *Hydriam farinæ,* 3. Reg. cap. 17. v. 16. quæ non defecit, sicut Christus sumptus non consumitur. Specialiter tamen ejus figura fuit *Manna* quod, de Cœlo descendens, in se habebat omne delectamentum et omnis saporis suavitatem.

VII. Sed Agnus Paschalis (inquit S. Th. in *Corp.*) quantùm ad hæc tria præfigurabat Sacramentum. Quan-

tùm enim ad primum, quia manducabatnr cùm Panibus Azymis,.. quantùm verò ad secundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israël Luna 14. quod fuit figura Passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur Agnus. Quantum verò ad effectum, quia per sanguinem Agni Paschalis protecti sunt filii Israel à devastante Angelo, et educti de Ægyptiaca servitute. Et quantùm ad hoc ponitur præcipua figura hujus Sacramenti Agnus Paschalis, quia secundùm omnia ipsum repræsentat.

N. 3. DE EXISTENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

S. Thom. quæst, 37. *art.* 1.

I. *Eucharistia est novæ legis Sacramentum.* II. *Ejus definitio,* III. *et differentia ab aliis Sacramentis.*

I. EUCHARISTIAM esse verum et propriè dictum novæ Legis Sacramentum definitum est in Trid. sess. 7. can. 1. *de Sacramentis in genere*; ut etiam in Florent.

Hoc etiam probatur ex eo, quod ipsi conveniat evidenter definitio Sacramenti: est enim signum sensibile per species panis et vini: à Christo institutum, ut constat ex Matth. cap. 26. Marci cap. 14. Lucæ cap. 22. et 1. ad Cor. cap. 11. idque permanens et stabile, juxta illud Lucæ cap. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*: est practicum gratiæ, juxta illud Joannis cap. 6. v. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, &c.

Porrò hæc veritas tam clara est, ut ne quidem moderni Hæretici (modò aliquod Sacramentum admittant) illam negent; licèt in variis punctis circa hoc Sacramentum dissentiant à Catholicis, et inter se.

Quid est Sacramentum Eucharistiæ?

II. R. Ordinariè definitur: Sacramentum à Christo Domino institutum, quod sub speciebus panis et vini consecratis continet Corpus et Sanguinem Christi ad spiritualem hominis refectionem. Hæc definitio patebit ex dicendis Num. 5.

Quomodo differt Eucharistia à cæteris Sacramentis?

R. Præter plures differentias, de quibus in decursu, præcipuè duæ sunt.

III. 1°. Quòod consistat in re permanente, ut probabitur Numero sequenti; alia autem Sacramenta solùm in actione transeunte: unde dicit Trid. sess. 13. cap. 3. " Reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est."

2°. Quòd Eucharistia ipsummet Christum omnis sanctitatis authorem et gratiæ fontem contineat verè, realiter et substantialiter; alia autem Sacramenta tantùm virtutem quandam instrumentalem à Christo participatam.

Unde hoc Sacramentum præ cæteris longè dignissimum est, insignioribus nominibus appellatur, et antonomasticè *Sacramentum* dicitur.

N. 4. AN SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ CONSISTAT IN RE PERMANENTE.

I. *Eucharistia consistit in re permanente.* II. *Quod est de fide.*

I. Responsio affirmativa est definita contra Lutheranos in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. et 6. item can. 4. his verbis: " Si quis dixerit, peractâ Consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in Hostiis seu particulis consecratis, quæ post Communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini; anathema sit."

Probatur etiam ex traditione docente, hoc Sacramentum asservari, adorari, ad ægrotos deferri, &c.

II. Idem probatur hâc ratione: Verba Consecrationis efficiunt id, quod significant; atqui pronuntiantur â Sacerdote ante usum Sacramenti, et significant esse Corpus Christi: ergo ante usum efficiunt Corpus Christi et Sacramentum.

Similiter arguit Concil. Tridd. sess. 13. cap. 3: " Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, Corpus suum esse quod præbebat."

Obj. Eucharistia in Ciborio asservata non confert gratiam: ergo non est Sacramentum.

R. Nego conseq. Quia non est de ratione Sacramenti, quòd gratiam actu conferat: sed sufficit, quòd sit collativum gratiæ, sive quòd habeat vim conferendi gratiam; jam autem Eucharistia etiam in Ciborio asservata habet vim illam completam, scilicet nutriendi spiritualiter animam, quemadmodum cibus corporalis etiam ante sumptionem habet vim nutriendi corpus.

No. 5. IN QUO ESSENTIALITER CONSISTAT SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ.

I. *Non consistit in pane et vino,* II. *nec in Consecratione,* III. *nec in sumptione,* IV. *nec in solis speciebus vel Corpore Christi,* V. *sed in utroque simul.*

I. EX dictis Num. 4. consequitur, Eucharistiam non consistere in pane aut vino, quæ non permanent: sed sunt solummodo materia Eucharistiæ transiens et extrinseca: sicut lignum vel alia res combustibilis est materia prærequisita ad construendum ignem; non tamen essentiam ignis constituens.

II. Similiter essentiam Sacramenti non ingreditur Consecratio, cùm sit tantùm actio transiens et conficiens Sacramentum, quod est res permanens.

III. Neque Communio seu Sumptio spectat ad essentiam Sacramenti; hoc enim est perfectum, antequam sumatur unde Sumptio est tantùm conditio necessaria, ut hoc Sacramentum operetur seu nutriat spiritualiter.

IV. Nec solæ species habent rationem Sacramenti, cùm gratiam non producant: nec similiter solum Christi Corpus et Sanguis, cùm sensibilia non sint.

V. Restat proinde, ut species panis et vini unà cum Corpore et Sanguine Christi constituant Eucharistiæ Sacramentum, quibus per concomitantiam conjungitur Anima Christi et Divinitas.

Obj. I. Sancti Patres quandoque Eucharistiam vocant simpliciter Corpus et Sanguinem Christi, ergo &c.

R. Loquuntur per Synecdochen accipiendo partem pro toto, scilicet Corpus et Sanguinem Christi, prout continentur sub speciebus.

Idem observandum, si de hoc Sacramento affirmentur aliqua quæ de solis speciebus possunt verificari: v. g. dum

in Hymno *Lauda Sion* dicitur: *Fraeto demum Sacramento.*

Unde etiam observa, quòd, sicut de homine, qui essentialiter componitur ex corpore et anima rationali, quædam prædicantur propria corpori, quædam propria animæ, et quædam utrique communia; ita et huic Sacramento alia attribuantur propria ratione specierum, alia ratione contenti sub speciebus, alia utrisque communia.

Obj. II. Hoc Sacramentum adoratur cultu latriæ: atqui species sic adorari non possunt: ergo non ingrediuntur essentiam Sacramenti.

R. Neg. conseq. Quia juxta plures Theologos adoratur solus Christus, non ipsæ species: et sic adhuc verè dicitur hoc Sacramentum adorari: quia Christus principales partes habet in hoc Sacramento; sicuti homo dicitur intellectualis à principaliore parte hominis, scilicet animâ.

Alii autem dicunt, cum Christo etiam species adorari per modum unius, quatenùs scilicet species intimè conjunguntur Corpori et Sanguini Christi, adeoque et ejus Divinitati; sicut Christi Humanitas adoratur simul cum Divinitate, et purpura Regis simul cum Rege.

N. 6. AN EUCHARISTIA SIT SACRAMENTUM UNUM VEL PLURA.

S. Thom. quæst. 73. art. 2.

I. *Est unum specie Sacramentum.* II. *Differentia inter unam et alteram speciem,* III. *Item inter Eucharistiam et cibum corporalem.* IV. *Eucharistia numero multiplicatur,* V. *Per plures refectiones.*

I. Resp. Eucharistia sub specie Panis et Vini est unum specie Sacramentum; licèt enim physicè et materialiter diversæ sint species, illud tamen quod est *Res et Sacramentum simul,* scilicet Corpus et Sanguis Christi, continetur sub utraque specie: adeoque hoc Sacramentum æquè sub una, ac sub altera specie eandem formaliter habet significationem, eumdemque effectum spiritualis refectionis. Vide Catech. Rom. parte 2. Num. 10. *de Eucharistia.*

Obj. Eucharistia sub specie Panis est verum Sacramentum et similiter sub specie Vini; atqui non est idem: ergo, &c.

Probatur minor: quia sunt plura et diversa signa: ergo sunt plura et diversa Sacramenta.

R. Dist. assumptum probationis: sunt plura et diversa signa *materialiter,* conc. assumptum: *formaliter,* nego: ista enim signa ordinantur ad significandum unum et idem Convivium spirituale: unde ex hoc, uti etiam ex eo, quòd materia et forma Consecrationis sit duplex, non potest plus haberi seu inferri, nisi quòd plura sint Sacramenta *materialiter.*

An ergo inter Eucharistiam sub una et altera specie nullum est discrimen?

II. R. 1°. Est discrimen *materiale* quoad ipsas species; signa nempe sunt materialiter diversa, ut dictum est.

2°. Discrimen est etiam *formale,* sed accidentale tantùm: consistitque in duobus: 1°. quòd Eucharistia sub specie Panis *directè,* seu ex vi verborum, tantùm contineat Corpus Christi, et è converso sub specie Vini Sanguinem tantùm; licèt *indirectè* seu concomitanter sub singula specie totum contineatur. 2°. Quòd Eucharistia sub specie Panis spiri-

tualem refectionem significet per modum cibi, et sub specie Vini per modum potûs : adeoque sub utraque specie simul eam significat perfectiùs.

Obj. Cibus et potus corporales, ut seorsim sumibiles, differunt specie et effectibus : ergo etiam diversæ species Eucharistiæ, servatâ proportione Analogiæ.

III. R. Nego conseq. Disp. est 1°· quòd fames et sitis spirituales sint unum et idem : et proinde quod est cibus spiritualis, etiam est potus spiritualis, et è contra.

2°· Quòd Eucharistia sive sub una, sive sub altera specie, ex parte rei contentæ æquivalenter sit cibus et potus : ideoque efficit eandem refectionem spiritualem, quam significat et efficit sub utraque specie simul. Corporaliter autem fames et sitis distinguuntur, nec idem alimentum ordinariè habet virtutem cibi et potûs simul ; si enim illam sufficienter haberet, sufficeret integræ refectioni, quomodocumque sumeretur.

Patet ex dictis, hoc Sacramentum integrum esse sub utravis specie, et unum et integrum esse sub utraque specie, sed sub utraque specie expressiùs et perfectius integram refectionem et convivium spirituale significari.

Vide Trid. sess. 21. cap. 3.

An Sacramentum Eucharistiæ, sicut unum est specie, ita etiam unum est numero ?

IV. R. Imprimis physicè loquendo tot sunt numero Sacramenta, quot sunt numero species.

2o· Moraliter loquendo Eucharistia numero multiplicari potest ; plura enim sunt sacramenta, dum Eucharistia à pluribus sumitur.

Undenam repetenda est illa unitas vel pluralitas numerica ?

R. Desumenda est ab ordine ad unam vel plures refectiones : unde si unus continuatim sumeret plures Hostias, vel utramque speciem Panis et Vini, est unum numero Sacramentum ; quia est unica refectio : si verò pluries sumat diverso tempore, sunt plura numero Sacramenta, cùm plures sint refectiones : idem dic ob eandem rationem, si plures ex eadem Hostia in partes divisa sumant.

Hæc patent in convivio corporali ; si enim unus sumat continuatim ex pluribus ferculis, erit una refectio unumque convivium ; è contra verò, si plures ex eodem ferculo sumant, vel etiam unus pluries diversis temporibus.

Obj. Eucharistia consistit in re permanente independenter ab usu: ergo independenter ab ordine ad unam vel plures refectiones est Sacramentum unum vel multiplex.

R. Distinguo conseq. Ergo independenter, &c., est unum vel multiplex in actu primo, concedo: in actu secundo, nego conseq. Patet iterum ex similitudine mox posita de convivio corporali.

Inst. Ergo fit novum Sacramentum sine nova Consecratione?

R. Nego sequelam: quia indè tantùm sequitur, quòd id, quod post Consecrationem erat unum, fiat multiplex divisione et ordine ad plures refectiones, et sic v. g. dum aqua in partes dividitur, non fit nova aqua, sed multiplicatur discontinuatione.

N. 7. DE INSTITUTIONE EUCHARISTIÆ.

S. Thom. quæst. 73. art. 5.

I. *Ejus institutio et promissio.* II. *Instituta est ob varios fines,* III. *idque in ultima Cœna.*

I. EUCHARISTIÆ Institutionem referunt tres Evangelistæ, Matthæus cap. 26. Marcus cap. 14. et Lucas cap. 22. item Apostolus 1. ad Cor. 11. Promissionem verò et Sermonem Christi de Eucharistia instituenda refert Joannes Evangelii sui cap. 6.

Ob quem finem instituta est Eucharistia?

II. R. Triplicem finem allegat Catech. Mechl.: 1°. scilicet in memoriam amoris et Passionis Christi. 2°. In spirituale animarum alimentum. 3°. In juge Sacrificium novæ Legis.

Quandonam instituta est?

III. R. Indubiè in ultima Cœna, ut constat ex tribus Evangelistis mox citatis, et ex Apostolo loco citato v. 23. dicente: *In qua nocte tradebatur*: atque ita definitum est in Conc. Trid. sess. 13. cap. 1. unde dicitur in Canone Missæ: *Qui pridie quàm pateretur*, &c.

Porrò tunc convenienter institutum fuisse, probatur ex eo, quòd Christus in propria specie jamjam esset recessurus ab Apostolis; unde conveniebat, ut tunc in Sacramentali specie seipsum relinqueret. Deinde quia amicis ab invicem

discedentibus maxima solent exhiberi dilectionis signa, quæ etiam magis memoriæ commendantur.

Obj. Hoc Sacramentum est memoriale Passionis Christi: ergo inconvenienter fuit institutum ante Passionem.

R. Neg. conseq. Quia juxta S. Thom. loco citato ad 3. istud Sacramentum fuit institutum in Cœna, ut in futurum esset memoriale Dominicæ Passionis, eâ perfectâ. Unde signanter dicit: *Hæc quotiescumque feceritis;* de futuro loquens.

N. 8. DE DIE INSTITUTIONIS EUCHARISTIÆ.

I. *Sententia Græcorum,* II. *et Latinorum.* III. *Apud Judæos tres diversi dies.* IV. *Duplex Vespera Festorum.* V. *Anni et menses Lunares.* VI. *Tempus celebrandi Pascha.* VII. *Quod Christus celebravit lunâ decimâ quartâ mensis Nisan.*

Licet certum sit, quòd Christus Eucharistiam instituerit in ultima Cœna; gravis tamen est controversia, quâ die Christus ultimam Cœnam habuerit, et consequenter Eucharistiam instituerit.

I. Græci, ut suum de fermentato pane usum tueantur, contendunt, Christum ultimo vitæ suæ anno anticipasse uno die esum Agni Paschalis, et hanc Cœnam secundâ vesperâ lunæ decimæ tertiæ celebrasse; cùm juxta ipsos crucifixus sit lunâ decimâ quartâ.

II. Latini verò communiter docent. id factum esse vesperâ secundâ lunæ seu diei 14. mensis Nisan, hoc est, juxta nos, feriâ quintâ ad vesperam, et consequenter Christum mortuum esse lunâ decimâ quintâ, seu feriâ sextâ.

Pro hujus quæstionis intelligentiâ observanda sunt sequentia:

III. 1°. Apud Judæos tres dierum differentiæ distinguebantur, scilicet legalium seu festivorum, artificialium et naturalium:

Dies legalis seu festivus computabatur à Vesperâ præcedentis diei ad Vesperam subsequentis, juxta illud Levitici cap. 23. v. 32. *A Vespera usque ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra.*

Per Sabbata autem ibi intelliguntur quælibet Festa, saltem solemniora: eo ferè modo, quo Festa nostra quoad Officium Ecclesiasticum celebrantur à primis Vesperis usque ad secundas.

Dies artificialis comprehendebat spatium ab ortu Solis usque ad occasum: dies verò naturalis juxta alios computabatur ab ortu Solis usque ad ejus ortum subsequentem; juxta aliquos verò (prout apud nos) à media nocte ad mediam noctem.

IV. 2°. Duæ ejusdem diei festivi possunt distingui Vesperæ, una, quæ diem inchoat, et altera, quæ claudit, v. g. prima Vespera diei decimæ quartæ est quæ claudit diem 13; et secunda, quæ claudit diem 14.

V. 3°. Judæi numerabant menses et annos lunares, menses inchoando à novilunio: unde dum dicitur luna 14. mensis Nisan, idem est, ac si diceretur dies decima quarta mensis primi, qui vocatur Nisan.

VI. 4°. Ex præscripto Legis Agnus Paschalis edi debebat die 14. dicti mensis Nisan ad vesperam, ut constat Exodi. 12.: intelligitur autem Vespera non anterior, sed posterior, sive quæ claudit diem 14. ut signanter patet ex eo, quòd solemnitas azymorum esset die 15, in cujus Vespera præcedente incipiebat usus azymorum simul cum esu Agni Paschalis. Vide Exodi cap. 12. Lev. cap. 23. et Num. cap. 28.

His prænotatis, dicimus Christum celebrasse ultimum Pascha, et consequenter Eucharistiam instituisse die seu lunâ 14. mensis Nisan exeunte, hoc est, feria 5. ad Vesperam.

VII. Probatur: quia Christus celebravit ultimam cœnam paschalem primâ die azymorum, quando necesse erat secundùm Legem occidi Pascha, et quando Judæi illud immolabant; ut in terminis habetur Mat. cap. 26. v. 17. &c. Marci cap. 14. v. 12. et Lucæ. cap. 22. v. 7. atqui prima dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha secundùm Legem, erat luna 14. ad secundas Vesperas, ut patet ex prænotamine 4.; ergo, &c.

Obj. Joannis cap. 13. dicitur, ultimam cœnam contigisse *ante diem Festum Paschæ*: ergo non contingit lunâ 14. ad vesperam, cùm ex tunc inciperet Festum Paschæ,

R. Nego conseq: quia loco objecto tantùm significatur, cœnam factam esse ante festum solemne, seu festi

solemnitatem, quæ incidebat in lunam 15. licèt revera festum inciperet lunâ 14. ad vesperam : sicut nos in vespera Sabbati sancti dicere solemus: cras est festum Paschæ; licèt jam celebrari cœperit in officio ecclesiastico.

Plures objectiones vide apud Authores.

N. 9. AN CHRISTUS CONSECRAVERIT IN PANE AZYMO?

I. *Christus consecravit in pane Azymo.*

Responsioni duo præsertim sunt prænotanda:

1°. Quod Agnus Paschalis deberet comedi cum panibus azymis. 2°. Quòd à vespera, in qua Agnus Paschalis comedendus erat, inciperent septem dies azymorum, quibus durantibus nec comedere, nec in universis terminis Israel habere licebat panes nisi azymos. Vide Exodi cap. 12. et Deut. cap. 16.

I. Ex his contra Græcos concludimus, Christum consecrasse in pane azymo: ut enim Num. præc. dictum est, Christus Agnum Paschalem comedit vesperâ per Legem præscriptâ, et deinceps eâdem Vesperâ Eucharistiam instituit; sed illo tempore prohibitum erat habere panem fermentatum; ergo consecravit in pane azymo; unde canit Ecclesia in hymno de Venerabili: *Observatâ Lege plenè cibis in legalibus*, &c.

Præter varias circumstantias institutionis hujus Sacramenti juvat notare, quòd Christus pridiè mortis suæ verisimiliùs triplicem Cœnam habuerit cum Discipulis suis: 1°. *legalem*, in qua comedit Agnum Paschalem cum ritibus præscriptis Exodi. cap. 12.

2°. *Vulgarem* seu *usualem*, quæ innuitur Matth. cap. 26. v. 20. et 26. Et post hanc videtur lavisse pedes Discipulorum, Joannis cap. 13.

3°. *Sacramentalem* seu *Eucharisticam*, ita ut post lotionem pedum iterum recumbens (ut dicitur Joannis cap.

3. v. 12.) instituerit hoc Sacramentum. Unde dum di-itur Eucharistiam instituisse in ultima Cœna, sensus est, ı cœnæ illius conclusione, *Post Agnum Typicum, xpletis epulis,* ut canit Ecclesia.

V. 10. DE MATERIA EUCHARISTIÆ CONFICIENDÆ IN COMMUNI.

S. Thom. quæst. 74. *art.* 1. *et* 2.

. *Materia est Panis et Vinum.* II. *Est de fide.* III. *Rationes congruentiæ.*

I. Prætermissis variis circa materiam Eucharistiæ rroribus, dicitur quòd duplex partialis sit materia tranıens, seu materia Eucharistiæ conficiendæ sive consecraionis, nempe Panis et Vinum.

II. Est de fide, definitum in variis Conciliis, signanter in Trid. sess 13. variis capitibus. Accedit unanimis traditio triusque Ecclesiæ Græcæ et Latinæ.

Probatur etiam ex scriptura Sacra: sic Matth. cap. 26. . 26: *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus Panem,* &c. . 27. *et accipiens calicem,* &c. v. 29. *non bibam amodò le hoc genimine vitis,* &c.

III. Adfert S. Thomas hìc art. 1. in c. varias congruenias, inter quas præcipuè sunt duæ: 1°. sicut aqua assumitur n Baptismo, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua; ta Panis et Vinum, quibus communiùs homines reficiunur, convenienter assumuntur in hoc Sacramento ad usum piritualis manducationis.

2°. Quia aptissimè significant effectum Eucharistiæ espectu totius Ecclesiæ, qui est unio fidelium cum Christo t inter se in unum Corpus Mysticum; sicut Panis confiitur ex diversis granis, et Vinum fluit ex diversis uvis. Huc spectat illud Apostoli, 1. ad. Cor. cap. 10. v. 17. *Unus Panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno Pane participamus.*

N. 11. DE REQUISITA MATERIÆ CONSECRANDÆ PRÆSENTIA ET DETERMINATIONE.

I. *Debet esse præsens moraliter.* II. *Ut in exempl.* III. *Quantitas materiæ non est determinata,* IV. *se per consecrantem determinanda.*

An, et quomodo materia consecranda debet esse præsen consecranti?

I. R. Debet sic esse præsens moraliter, ut per pronome *hoc et hic* sensibiliter possit demonstrari: idque requiritu ad valorem consecrationis, cujus alioquin verba demon strativa non verificarentur.

II. Hinc deduces 1°. invalidè consecrari materiam posi tam post tergum sacerdotis, Hostiam collocatam sub mappa sub pede calicis, &c.

2°. Non tamen esse necessarium, ut materia videatu vel tangatur, aut sono verborum quasi feriatur, sed sufficer quòd per pronomen *hoc et hic* sit demonstrabilis, sive in se sive in alio tanquam continente ordinario: et sic valid consecrantur Hostiæ in cumulo sub aliis latentes, aut i ciborio vel pixide clausæ: juxta Rubricas tamen debe pixis Hostias consecrandas continens aperiri in ipsa conse cratione, sicut in prima oblatione.

Notandum, scrupulosam et indecoram esse praxin eorum, qui os proximè admovent, et halitum quasi inspi rant in calicem et panem consecrandum; Rubricæ enim solummodo præscribunt in consecratione stare capite incli nato, et verba distinctè, secretò et reverenter proferre.

An, et quomodo materia consecranda debet esse deter minata?

III. R. 1o. Docet S. Thomas quæst. 74. art. 2. quanti tatem illius non esse determinatam, spectando scilicet in stitutionem Christi seu valorem Consecrationis: unde Sa cerdos validè consecraret materiam quantumvis exiguam modò sensibilis sit, et salvetur substantia panis et vini item quantumvis magnam, modò sit moraliter et sensibilite præsens; ut autem licitè agat, debet Sacerdos circa quan titatem materiæ consecrandæ observare consuetudinem Ecclesiæ.

V. 2o. Materia consecranda debet esse determinata particulari per intentionem consecrantis, idque ad vaem sacramenti, tum propter pronomina demonstrativa et *hic*, tum quia actiones sunt circa singularia et erminata: sufficit tamen determinatio in toto objecto, od proponitur, v. g. quòd Sacerdos intendat consecrare nes Hostias præsentes, licèt illarum numerum igno. Vide Num. 39. et tres sequentes *de Sacramentis in nere.*

COROLLARIA.

Unde inferes 1o. invalidam esse Consecrationem, ut it Missale Romanum *de defectibus Missæ*, si quis hat coram se undecim Hostias, et intendat solùm decem nsecrare, non determinans quas decem intendat, non conrat... secùs, si putans quidem esse decem, tamen voluit nes consecrare, quas coram se habebat: ... atque ideo nes Sacerdotes talem intentionem habere debent, sciet omnes consecrandi, quas ante se ad consecrandum bent.

Ob hanc intentionem, si Sacerdos in manibus inscienter beat duas majores Hostias, habentur ambæ consecratæ; escribitque Missale Romanum, utramque simul esse mendam.

2o. Non consecrari Hostias positas in Altari, inscio nino Sacerdote; voluntas enim non fertur in incognitum.

3o. Secùs verò, si Sacerdos ipse vel alter, ipso jubente l advertente, eas consecrandas ad Altare detulerit; licèt mpore consecrationis ad eas non reflectat: quia remanet tentio virtualis; modò tamen tempore consecrationis positæ sint Hostiæ tali modo et loco, sicut Hostiæ consecrandæ in Altari deponi solent.

4o. Consecrato Calice, non consecrari guttas Vini exriùs Calici adherentes, suppositâ intentione ordinaria: ide sine scrupulo similes guttæ sunt abstergendæ etiam st Consecrationem.

5o. De guttis verò Calici interiùs, seu intra cuppam hærentibus, et à toto separatis, variant sententiæ: quare licitus sit Sacerdos eas abstergere ante oblationem vel nsecrationem; post Consecrationem autem abstergi non

possunt, quia fortè sunt consecratæ, sed sumendæ sunt cum speciebus vini vel primâ ablutione.

N. 12. AN UNA MATERIA CONSECRARI POSSIT SINE ALIA?

I. *Validè*, II. *sed illicitè*. III. *Una materia consecratur sine alia*. IV. *Jure Divino*.

I: Resp. Imprimis una species seu materia sine alia validè consecratur, ut patet ex veritate formæ Consecrationis, et praxi Ecclesiæ præbentis Eucharistiam sub specie panis adorandam ante consecrationem calicis.

II. Illicitum autem est unam materiam sine alia consecrare non tantùm Jure Ecclesiastico, sed etiam Divino.

III. Probatur: quia Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. postquam dixit, Christum Patri obtulisse Corpus et Sanguinem suum sub speciebus Panis et Vini, subdit: "Ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis... eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba; *Hoc facite in meam commemorationem*: uti semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit."

Confirmatur: quia quotiescumque hoc Sacramentum conficitur, simul offertur Deo Sacrificium; ad hujus autem essentiam requiritur consecratio utriusque speciei, ut infra latiùs ostendetur.

IV. Deinde hoc Sacramentum est institutum per modum convivii spiritualis, quod sub utraque specie perfectiùs et expressiùs significatur. Unde infertur, nequidem Summum Pontificem posse dispensare, ut Sacerdos in aliquo casu consecret unicam speciem.

Obj. Christus in Castello Emmaüs consecravit panem sine vino, Lucæ cap. 24. ergo &c.

R. Imprimis certum non est, Christum ibidem consecrasse.

2°. Similiter incertum est, an simul vinum non consecraverit, licèt Evangelista id non exprimat.

3°. Potuit solum panem consecrasse ex potestate excellentiæ, quam nemini communicavit.

13. QUALIS PANIS SIT MATERIA CONSECRATIONIS?

S. Thom. quæst. 74. *art.* 3.

Est panis triticeus, II. *Rationes congruentiæ.* III. *De pane mixto.* IV. *Requiritur panis propriè dictus*, V. *Decoctus aquâ naturali*, VI. *Et incorruptus.*

I. Resp. Solus Panis triticeus est materia consecrationis Corporis.

Probatur ex perpetua praxi et traditione Ecclesiæ Græcæ et Latinæ, et ex Concilio Florent. citato in Proëmio.

Efficax ratio est sola voluntas Christi, *qui creditur in ejus Panis specie hoc Sacramentum instituisse*, inquit S. Thomas hoc loco.

II. Rationes etiam congruentiæ ibidem dat S. Thomas, scilicet quòd Panis triticeus communiùs apud homines sit in usu; nam alii panes (inquit) videntur introducti in hujus Panis defectum: deinde quia magis confortat, et ita convenientiùs significat effectum hujus Sacramenti.

Hinc collige, invalidam fore consecrationem in pane confecto ex fabis, pisis, castaneis, hordeo, avenâ aliisque similibus, quæ specie differunt à tritico: quibus S. Thom. (quibusdam contradicentibus) annumerat far, speltam et milium.

Panem siligineum tanquam materiam sufficientem admittit S. Thomas hìc ad 2. Plures tamen negant: unde est materia dubia.

Unde nec in pane siligineo, nec in quavis alia materia dubia licet consecrare, etiam in necessitate. Vide Num. 13. *de Sacram. in genere.*

Quid si Panis foret confectus partim ex tritico, partim ex alio grano?

III. R. Si admixtio alterius grani foret tam exigua, ut moraliter æstimatione Panis censeatur adhuc triticeus, tunc esset materia sufficiens; aliàs non. S. Thom. hìc ad 3.

IV. Dum Panis triticeus dicitur materia consecrationis, intelligitur talis Panis verus et propriè dictus; unde non sufficeret massa farinæ triticeæ aquâ subacta, aut

incocta, aut elixa, aut sole torrida, &c. sive specie physicâ differat à pane, sive non.

V. Aqua, quâ farina coalescit, debet esse naturalis; idque juxta S. Thomam hac quæst. art. 7. ad 3. *de necessitate Sacramenti;* nisi iterum alterius mixtio foret exigua: quia Christus requisivit panem usualem et propriè dictum. Quidam sufficere putant, quod Panis fiat ex aqua rosacea, lacte vel aliquo simili; sed alii communiter negant; unde Missale Romanum dicit esse dubium, an Sacramentum conficiatur, quando Panis factus est ex aqua rosacea vel alterius distillationis.

VI. Debet etiam Panis in sua specie esse incorruptus; si autem quædam esset ad corruptionem dispositio, validè quidem consecratur, sed illicitè. S. Thom. hic ad 4.

Debet ex præcepto et usu Ecclesiastico Panis consecrandus apud Latinos esse figuræ orbicularis. Aliter refertur de Græcis.

An licet celebrare in Hostia minori, qualis datur Laicis communicantibus?

R. Non licet, dum major haberi potest; si autem magna haberi non possit, licitum esse in parva, seposito scandalo, celebrare privatim: imo etiam publicè, v. g. ut populus die festo Missam audiat, docet Marchantius et Neesen.

N. 14. AN ADHIBERI DEBEAT PANIS AZYMUS, AN FERMENTATUS?

S. Thom. art. 4.

I. *Valet Consecratio in pane azymo et fermentato.* II. *Sed quisque debet servare ritum suæ ecclesiæ,* III. *Quamvis sit in alia Ecclesia,* IV. *Nisi ibi fixerit domicilium.*

PRÆNOTANDUM, quòd Panis fermentatus sit ille, cui fermentum est injectum, vi cujus elevatur et dilatatur massa, ex qua panis conficitur; azymus verò, cui nullum fermentum est impositum. In fermentato consecrant Græci, in azymo Latini. His prænotatis,

I. R. De fide est, nihil referre ad essentiam seu valorem Sacramenti, sive consecretur panis fermentatus, sive azymus.

Probatur ex Conc. Flor. in art. Fidei à Græcis subscripto, ubi dicitur: "Definimus insuper, in azymo, sive in fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter conici." Patet etiam ex eo, quòd uterque sit verus et proriè dictus Panis triticeus.

Hinc Ecclesia non reprehendit usum Ecclesiæ Græcæ, sed condemnat schisma et hæresim Græcorum schismaticorum, qui improbant Ecclesiæ Latinæ consuetudinem, asserendo, illam esse contra veritatem Sacramenti.

II. Tenetur tamen unusquisque Sacerdos servare ritum et consuetudinem suæ Ecclesiæ, ut iterum habetur ex Flor. in decreto unionis: et hanc obligationem ita gravem reputant plerumque Theologi, ut asserant, neque ad communicandum infirmum, neque ut populus die festo audiat Missam, licere hunc ritum pervertere: sed in solo casu integrandi Sacrificium, putà si Sacerdos Latinus post consecratam utramque speciem deprehenderet speciem Panis i. g. esse substantialiter defectuosam, nec posset Panem azymum obtinere.

Quid in hoc puncto agendum Sacerdotibus Græcis, dum commorantur in partibus Latinorum, et è contrà?

R. 1°. Si inter Latinos sit Ecclesia Græcis destinata, tenetur ibi Græcus Ecclesiæ suæ ritum servare: idem è converso de Latinis.

2°. Si talis Ecclesia destinata non sit, et Græcus inter Latinos versetur tanquam peregrinus; tunc passim dicunt Authores, quòd possit vel Ecclesiæ Latinorum se conformare, juxta regulam de Lege locali; vel etiam, secluso scandalo, propriæ Ecclesiæ morem tenere, quod huic Legi sit speciale: idem dicunt de Latino in Græcia peregrino.

III. Alii tamen, ut Juenin, Gonet, Billurat, &c. sustinent, quòd in casu quisque debeat servare ritum propriæ matris Ecclesiæ, nec liberum sit se consuetudini alterius Ecclesiæ conformare: fundantes se in epistola Leonis IX. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, et in Bulla Pii V. *Providentia* de anno 1566. citatque etiam Billuart Constitutionem Benedicti XIV. super Græcorum Ritibus, dicens, ejusdem sententiæ etiamnum esse Græcos.

IV. R. 3°. Si Græcus apud Latinos, ubi nulla Ecclesia Græcis est destinata, fixerit domicilium, tunc servare tenetur ritus Ecclesiæ Latinæ, et è contra : quia tunc illius Ecclesiæ factus est membrum.

Quamvis Græci pro Pane fermentato suas habeant rationes congruentiæ, Latinorum tamen plausibiliores sunt; præsertim quia ipse Christus consecravit in azymo, ut ostendimus Num. 9. Vide hìc S. Thom. et Authores.

N. 15. QUALE VINUM SIT MATERIA CONSECRATIONIS?

S. Thom. art. 5.

I. *Vinum de vite.* II. *Corollaria.* III. *De vino congelato.* IV. *Cura circa vinum.* V. *Abusus practici.*

I. Resp. Est omne et solum vinum de vite, quod propriè vinum est, et simpliciter dictum.

Probatur ex perpetuâ traditione, et ex Decr. Concilii Florent. supra citato : item ex instituto Christi juxta illud Matth. cap. 26. v. 29. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.*

Obj. Vinum ubique non reperitur : ergo, &c.

R. Cum S. Thom. hìc ad 1. quòd possit ad omnes terras deferri, quantùm sufficit ad usum hujus Sacramenti : idem est de pane triticeo.

Ex dictis collige sequentia :

II. 1°. Quodlibet vinum de vite esse materiam hujus Sacramenti, sive album sive rubrum, sive Gallicum sive Hispanicum, item vinum miraculosè productum, quale fuit in Cana Galilææ; habebat enim substantiam veri vini de vite.

2°. Materia insufficiens sunt vina artificialia ex granis, pomis, pyris, vel aliis fructibus : item acetum ex vino confectum, agresta, sive liquor ex uvis immaturis expressus, vulgò flandricè *Verjuys*, gallicè *Verjus*, prout et botrus, seu succus in eo adhuc inclusus.

3°. Mustum, sive vinum ex uvis recenter expressum, t quidem materia sufficiens; sed in eo ob ejus impurita-m celebrare non licet, nisi in neccssitate, ut docet S. hom. hìc ad 3.

III. 4°. De vino congelato disputatur; probabiliùs men videtur illud sufficere, utpote retinens substantiam et nominationem vini de vite.

Obj. Aqua congelata non est materia Baptismi: ergo ec hìc vinum congelatum.

R. Disp. est, quòd ablutio sit materia proxima Baptismi, æ fieri nequit in aqua congelata; sed Eucharistia confi-tur et subsistit independenter ab actuali sumptione, quæ dùm est applicatio Sacramenti, et quæ hìc haberi poterit er degelationem.

Ob probabilitatem tamen oppositæ sententiæ vinum con-elatum consecrare non licet.

Frequentiùs hìc contingere potest, materiam esse dubiam b alterius mixtionem, vel vini alterationem: tota res pen-et ab eo, an mixtio vel alteratio sit tam exigua, ut mo-aliter adhuc sit et dicatur vinum,

IV. Porrò tanti Mysterii reverentia exigit, ut circa dulterationes vini (utì etiam et panis) Sacerdotes et alii, uorum interest, sint valdè solliciti.

Huic suspicioni alterationis subjecta magis sunt vina iliora: item rariora, ut signanter de Hispanico asserunt Veesen et Pauwels.

Marchantius, *in horto Pastorum*, rectè taxat aliquorum Pastorum incuriam, qui tempore æstivo in parva lagena iu conservant vinum pro Missa in Sacristia; quod vinum, uia debile, facilè deficit et eò usque acescit, ut perdat ubstantiam vini.

V. Addere possumus et hanc indecoram quorumdam raxim, dum per publicam subhastationem de procurando ; asportando vinum pro Sacrificio contrahitur cum illo, ui ad hoc præ aliis minori pretio se obligat: hic enim, t ex suo contractu lucretur, vel saltem non perdat, facilè nit ex vilissimis vinis.

Considerent tales, an similia vina ad Mensam Divinam stinata vellent mensæ suæ profanæ apponi.

N. 16. DE AQUA VINO MISCENDA.

S. Thom. quæst. 74. *art.* 6, 7, et 8.

I. *Vinum aquâ miscendum* II. *Ob varias significationes.* III. *Non de essentia Sacramenti,* IV. *Sed ex solo præcepto Ecclesiæ.* V. *Graviter obligantis.* VI. *Observanda circa aquam.* VII. *Controversia quid fiat de aqua in consecratione.*

VINUM consecrandum aquâ miscendum esse docet Conc. Flor. supra in proëmio: atque, ut inquit Catech. Rom. part. 2. Num. 18. *de Eucharistia*: "hoc ex Apostolica Traditione perpetuò Sancta Ecclesia servavit."

Hujus mixtionis præceptum ejusque sacras significationes repete supra ex Conc. Florent. item ex Trid. sess. 22. *de Sacrificio Missæ*, cap. 7. vide etiam S. Thom. quæst. citata art. 6. in *Corp.*

Admixtio illa non est de necessitate Sacramenti: unde Missale Romanum de defectibus Missæ titulo 4. Num. 7. dicit, aquam apponendam non esse, si celebrans post Consecrationem Calicis reflectat, illam prius non fuisse appositam; secùs verò, si illud advertat ante Consecrationem Calicis.

Nec mixtio illa est præcepti divini; non enim in Scriptura vel Sanctis Patribus tale præceptum reperitur; sed est solius præcepti Ecclesiastici, ut loco citato insinuat Trid. dicens: "Monet S. Synodus, præceptum esse ab Ecclesia, &c."

Porrò præceptum illud obligat sub gravi, ut habet Catech. Rom. quia admixtio illa, etsi in se levis, est tamen gravis ratione finis et significationis.

Debet autem aqua vino admiscenda esse naturalis seu elementaris. Debet esse modicissima, ut loquitur Flor. ante citatum: cujus ratio physica est, ne vinum præsertim debile corrumpatur: ratio mystica est, quòd aqua significet populum fidelem, vinum autem ipsum Christum; deest autem, ut ipsum caput Christus expressiùs repræsentetur, quàm populus, qui illi adunatur.

VI. Observa etiam, quòd hæc mixtio fieri debeat ab
› Sacerdote in Missa privata, et a Subdiacono in Missa
emni : item fieri debeat in ipso Sacro Calice et tempore
ssæ, nempe ante oblationem vocalem Calicis, nisi quòd
id quosdam Religiosos fiat mox ab initio Missæ.
VII. Superest quæstio, quid fiat in Consecratione de
, aqua vino consecrando admixta.
Tres sententiæ referuntur ex Innocentio III. Prima di-
at, aquam illam converti in aquam, quæ fluxit ex latere
risti; sed hæc opinio nullâ probabilitate nititur.
Secunda vult, quòd aqua illa non mutetur in Sanguinem
risti; sed maneat vini accidentibus circumfusa; hæc
am opinio vix probabilis est.
Tertia docet, aquam illam converti in Sanguinem Christi:
hæc tanquam certa haberi potest.
At major est controversia, utrùm illa aqua *immediatè*
nvertatur in Sanguinem Christi; an verò priùs conver-
ur in vinum et sic *mediatè* in Sanguinem Christi. Hoc
sterius tenet S. Thomas hic art. 8 in *Corp.* Catechismus
›manus similiter parte 2. Num. 19. Pontificale Roma-
m parte 1. Tract. 10. cap. 12. ejusdemque sententiæ
tat S. Thom. Innocentium III. Vide latiùs Authores.

N. 17. DE FORMA EUCHARISTIÆ CONFICIENDÆ IN COMMUNI.

S. Thom. quæst. 78. *art.* 1, 4, 5, *et* 6.

Series actionum Christi Consecrantis. II. *Forma Eucharistiæ conficiendæ.* III. *Sunt verba Consecrationis.* IV. *Quibus etiam Christus consecravit.* V. *Et quæ sunt* assertivè *proferenda.* VI. *Et operantur in fine prolationis.*

I. SERIEM actionum Christi in institutione hujus Sacra-
enti videtur sic rectè ordinare Sylvius : Christus accepit
nem in manus, Gratias egit Patri, Pani benedixit:
inde dixit; *Accipite et comedite, hoc est Corpus meum*;
tum fregit deditque Discipulis. Eodem modo ordinanda
letur series actionum Christi circa Consecrationem Ca-
is.
Nec refert, quòd aliter referantur apud Evangelistas;
n enim attendi debet ad ordinem narrationis, sed a

ordinem rei gestæ, qui ex sensu et significatione verborum colligitur, ut patet Marci cap. 14. v. 23 et 24.

III. Quænam est forma Eucharistiæ conficiendæ?

R. Sunt verba Consecrationis.

IV. Quamvis autem Christus per potestatem excellentiæ potuerit sinè ullis verbis ponere Corpus et Sanguinem suum sub speciebus Eucharisticis; ex communi tamen sensu Ecclesiæ certum videtur, Christum iisdem verbis consecrasse. Vide S. Thomam hìc art. 1. ad 1. Ubi etiam in *Corp.* duplicem notat differentiam formæ Eucharistiæ conficiendæ à formis aliorum Sacramentorum.

V. Observa, quòd non sufficiat verba Consecrationis proferri *narrativè*, sed oporteat ea ex Persona Christi proferre *assertivè*: quandoquidem Sacerdos non solùm narret, Christum per ea verba Panem et Vinum convertisse in suum Corpus et Sanguinem, sed etiam ipse iisdem verbis tanquam Minister secundarius faciat illam conversionem. Verba autem præcedentia, *qui pridie quàm paterétur*, &c. ad formam non spectant, sed solùm *narrativè* dicuntur. Ideo tamen tempore Consecrationis non est scrupulosè allaborandum, ut verba in sensu assertivo proferantur; eo ipso enim, quo habetur voluntas consecrandi, sive faciendi quod Christus instituit, implicita et sufficiens habetur voluntas proferendi verba in sensu assertivo.

VI. S. Thomas quæst. cit. art. 4. ad 3. ostendit, quòd verba Consecrationis suum effectum scilicet conversionem Panis in Corpus, &c. consequantur in fine prolationis, seu in ultimo instanti prolationis verborum, cum ordine tamen ad præcedentia verba.

VII. Articulo 5. ad 3. docet, quòd rem significatam non præsupponant, sicut propositiones speculativæ; sed tanquam propositiones practicæ eam significando efficiant.

Articulo 6. ostendit, quòd verba Consecrationis Panis habeant completum suum effectum ante prolationem verborum Consecrationis Calicis; ut etiam supra dictum est Num. 12.

I. 18. DE FORMA CONSECRATIONIS PANIS.

S. Thom. 3 quæst. 78. art. 2.

Forma Consecrationis Panis. II. *Hoc.* III. *Est.* IV. *Enim Corpus.* V. *Meum.*

SICUT materia consecrationis est duplex partialis, scilicet anis et Vinum, ita etiam est duplex forma partialis utri- ue materiæ correspondens.

Quænam est forma Consecrationis Panis?

I. R. Usitata est hæc: *Hoc est enim Corpus meum*: mnia illa verba sunt essentialia præter *enim*, quæ vox ntum additur pro continuatione sermonis. Qui illam men voluntariè omitteret, juxta plures graviter peccaret: uod magis certum est de illo, qui omitteret verba præ- edentia: *Qui pridiè quàm paleretur, &c.*

Explica singula verba illius formæ?

II. R. Pronomen *hoc* duplici sensu accipi potest: vel *ubstantivè*, sensusque propositionis erit: *hoc*, quod vobis rado sub his involucris, *est Corpus meum.* Vel sumi otest *adjectivè*, et referri ad *Corpus meum*; et sic sen- us erit: *Contentum sub speciebus Panis in fine prola- tionis est Corpus meum;* vel juxta alios: *Hoc Corpus est Corpus meum.* Hunc sensum præferunt ob paritatem expressionis in forma Calicis, ubi ponitur pronomen *hic.*

Nec ideo forma est propositio identica, licet pronomen *hoc* designet *Corpus*: quia non designat *Corpus* eodem modo; etenim in subjecto designat *Corpus* confusè et indetermi- natè significando rem contentam, et in prædicato in fine prolationis significat determinatè ipsum Corpus Christi: sicut v. g. demonstrando hominem dicerem: *Hoc animal est homo:* ubi in subjecto quidem homo significatur, sed magis determinatè in prædicato.

Si loco *hoc* poneretur *illud* vel *istud*, juxta Daelman nvalida foret Consecratio: quod Sylvius et alii quidem dmittunt de particula *illud*; sed dicunt, particulam *istud* em præsentem sufficienter designare, adeòque sic etiam alere Consecrationem.

Certò invalida foret consecratio, si loco *hoc* diceretur *hìc* adverbialiter: quia licèt in casu significetur præsentia Corporis Christi, non tamen ipsa Transubstantiatio.

Si verò quis per ignorantiam aut inadvertentiam loco *hoc* diceret *hic* in masculino, valeret Consecratio: quia licèt peccetur contra Latinitatem, non importatur tamen sensus substantialiter diversus ab illo, quem habent verba benè prolata. Idem foret, si quis tali modo diceret v. g. *Hoc est Corpus meus.*

III. Verbum *est* debet sumi propriè significans, completâ pronuntiatione verborum, identitatem subjecti cum prædicato, adeòque sinè ullo tropo, ut infra monstrabitur.

Porrò verbum præsentis temporis modi indicativi ita est de essentia formæ, ut si loco illius poneretur *sit*, *erit* vel *fiat*, nulla esset Consecratio; quia non significaretur Transubstantiatio facta, sed facienda.

IV. De particula *enim* jam dictum est.

Nomen *Corpus* accipitur propriè et strictè, prout distinguitur contra sanguinem, comprehendens carnem, ossa, nervos, &c. adeoque si loco vocis *corpus* diceretur *caro* non valeret Consecratio, nisi juxta aliquos per ly *caro* vellent idem intelligere ac per ly *corpus*.

Pronomen *meum* determinat prædicatum *corpus* ad significandum Corpus Christi, in cujus Persona Sacerdos loquitur: unde hujus defectu invalida foret Consecratio, si quis diceret: *Hoc est Corpus Christi.*

N. 19. DE FORMA CONSECRATIONIS VINI.

S. Thom. quæst. 78. *art.* 3.

I. *Essentialia sunt sola verba priora.* II. *Hic est enim Calix Sanguinis mei.* III. *Novi et Æterni Testamenti.* IV. *Mysterium fidei.* V. *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem Peccatorum.*

QUÆNAM est forma Consecrationis Calicis?

R. Usitata est hæc: *Hic est enim Calix Sanguinis mei Novi et Æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Quænam in illa forma sunt essentialia ?

I. R. Hæc sola: *Hic est Calix Sanguinis mei*; vel æquivalentia: *Hic est Sanguis meus*: essentialis non est particula *enim* eodem modo ac supra. Nec etiam cætera, scilicet *Novi et Æterni Testamenti*, &c. tum quia in quibus Græcorum liturgiis non habentur, tum quia tam completè significatur, adeòque et efficitur conversio Vini in Sanguinem sinè illis verbis, quàm significatur et efficitur conversio Panis in Corpus Christi per hæc: *Hoc est Corpus meum*, sinè istis: *quod pro vobis tradetur*.

Obj. S. Thom. loco citato in *Corp.* dicit, verba illa *Novi et Æterni Testamenti*, &c. esse de substantia formæ: ergo, &c.

R. Ob hanc expressionem putat Gonet cum aliis pluribus Thomistis, S. Thom. esse contrariæ sententiæ; sed alvius, Daelman, Billuart, &c. dicunt, S. Thom. *per substantiam formæ* non intelligere *essentiam formæ*, sed ejus legitatem, ut disertè patet ex art. 1. ejusdem quæst. 4.

Interim observa, sequentia illa verba: *Novi et Æterni Testamenti*, &c. sub gravi esse exprimenda, neque ante em præberi posse Calicem adorandum.

Explica illam formam.

II. R. *Hic* ob rationem datam suprà non potest sumi adverbialiter, sed pro pronomine *hic*. De particula *est* et *enim* etiam dictum est. *Calix Sanguinis mei*, sive continens sanguinem meum, idem est, quod Sanguis meus, sicut dicitur vas aquæ, figuratâ quidem locutione, sed obviâ.

Potiùs dicitur *Calix Sanguinis mei*, quam *Sanguis meus*, ut significetur, quòd Sanguis Christi ibi contineatur per modum potûs, et quòd ibi exhibeatur Calix metaphoricus Passionis Dominicæ.

III. *Novi et Æterni Testamenti*: tum quia sicut Vetus Testamentum fuit confirmatum Sanguine animalium, Exodi cap. 24. ita Novum Sanguine Christi: tum etiam quia Sanguis ille spectat ad Novum Testamentum tanquam ejus pars.

Vocatur *novum*, ut contra *vetus* distinguatur: dicitur *æternum*, quia usque ad finem mundi est duraturum, et quia est de bonis spiritualibus et æternis, cum vetus esset de bonis temporalibus tantùm.

IV. *Mysterium fidei*: quia Sanguis Christi latens sub speciebus vini est res solâ fide cognoscibilis, et quia Christi Sanguis, quatenùs in Passione effusus, est objectum fidei, quâ justificamur.

V. *Qui pro vobis* Apostolis, *et pro multis*, tam Judæis quam Gentilibus, imò pro omnibus (qui *omnes* sunt multi) quoad sufficientiam effundetur in Cruce, et etiam hìc in Cœna per libationem oblationemque in Sacrificium. *In remissionem Peccatorum*, quæ est effectus Passionis Christi æquè ac hujus Sacrificii.

Ampliorem explicationem dant Scripturæ Sacræ Interpretes.

Collige ex hoc et præcedenti Num. valdè periculosum esse quidquam in verbis Consecrationis omittere vel mutare, neque id sinè peccato fieri posse.

N. 20. DE REALI CHRISTI PRÆSENTIA IN EUCHARISTIA ET ERRORIBUS OPPOSITIS.

S. Thom. quæst. 75. *art.* 1

I. *Heresis Berengarii.* II. *Albigensium et Wicleff, Calvini, &c.* III. *Quos omnes damnat Tridentin.* IV. *Duplex error Lutheri* V. *A Tridentino proscriptus.* VI. *Huic Sacramento debetur cultus latriæ.*

I. Dogma Catholicum de reali Christi præsentia in Eucharistia huc usque constans et indubitatum inter fideles, sæculo undecimo Berengarius Turonensis, Archidiaconus Andegavensis, primus palam negavit, asserens, Eucharistiam merum esse Corporis Christi signum. Hæc autem hæresis â Viris doctissimis fuit impugnata et damnata in variis Conciliis: et quamvis aliquoties relapsus sit, pœnitentem tamen et Catholicum obiisse, plures testantur.

II. Berengarium secuti sunt Albigenses et Wicleff, qui docuit substantiam Vini materialis et Panis materialis manere in Sacramento Altaris.

Sæculo decimo-sexto Carlostadius, Zuinglius, Bucerus, Calvinus, et post eum Calvinistæ similiter docuerunt, Eucharistiam esse meram et nudam Corporis Christi figuram.

III. Contra quos ita definit Concil. Trid. sess. 13. can. 1. " Si quis negaverit, in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, unâ cum Anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figurâ, aut virtute ; anathema sit."

Ubi Tridentinum contra fraudes et ineptias Calvinistarum utitur his terminis : *verè*, non repræsentativè, per figuram : *realiter*, non tantùm effectivè per fidem : *substantialiter*, non tantùm objectivè per operationem sive virtutem à Christo diffusam.

IV. Veritatem hanc libenter etiam negasset Lutherus, sed clarissimis Scripturæ testimoniis convictum se fatetur in Epistola ad Argentinenses. Bellum tamen Ecclesiæ Romanæ indicens sustinuit impanationem, sive cum Corpore et Sanguine Christi remanere substantiam Panis et Vini.

Alter Lutheranorum error est, Christum in Eucharistia præsentem non esse nisi in ipsa sumptione.

V. Priorem Lutheranorum errorem damnat Trid. sess. 13. can. 2. et posteriorem can. 4. eumque refutavimus Num. 4.

Ex quo ulteriùs infertur, Christum in hoc Sacramento esse adorandum cultu latriæ, ut docet Trid. hìc cap. 5. et can. 6. id simpliciter negant Calvinus et Calvinistæ : Luthero autem Eucharistiæ adoratio primò visa est res indifferens, deinde etiam utilis et necessaria ; moderni verò Lutherani alii concedunt in sumptione, alii nequidem in sumptione adorationem.

N. 21. PROBATUR REALIS PRÆSENTIA EX JOAN. CAP. VI.

I. *Ex Joan. cap. 6. probatur, Christum* II. *Esse verè,* III. *Realiter,* IV. *Substantialiterque præsentem in Eucharistia.*

PRÆNOTANDUM, tres distingui partes in capite citato : in prima usque ad versum 25. agitur de cibo materiali, sive de multiplicatione quinque panum, quibus Christus pavit quinque millia hominum.

I. In secunda agitur usque ad v. 52. de cibo merè spirituali, nempe fide in Christum incarnatum; in tertia autem parte à v. 52. usque ad finem capitis agitur de manducatione reali et Sacramentali Carnis Christi. His præ-notatis,

II. Probatur hoc ultimum: quia Christus promittens hoc Sacramentum dicit v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* significans, carnem suam *verè* dandam per modum cibi, non in signo tantùm et figura; quia v. 59. opponit illam Mannæ, quæ erat hujus Sacramenti figura. III. Designat etiam, carnem suam *realiter* dandam, et non solum fide: quia loquitur de re nondum factâ, sed futurâ: manducatio autem spiritualis per fidem et tunc erat et etiam fuerat sub veteri lege: nec aliàs v. 56. debuisset distinguere inter cibum et potum spiritualem.

IV. Similiter non significat, carnem suam dandam solâ virtute et energiâ, sed *substantialiter,* ut colligitur ex eo, quòd ob illa verba Judæi litigantes dicerent v. 53.; *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* quibus dixit Christus v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* Et inde magis scandalizati dixerunt v. 61. *Durus est hic sermo,* &c. quem tamen adhuc confirmabat v. 63. exemplo futuræ sui Corporis Ascensionis, et dum v. 67. *Multi Discipulorum ejus abierunt retrò,* intelligentiam eorum non correxit, quod aliàs pro more suo postulare videbatur infinita optimi Magistri bonitas, si verba illa de solo spirituali manducatione intellexisset; quinimo Apostolos suos interrogavit, num etiam vellent abire, ne quidquam de veritatis rigore remitteret.

Obj. Ipse Christus promissionem suam explicat de spirituali manducatione, dicens v. 64. *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam: Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

R. Non corrigit Christus intelligentiam eorum de reali ejus præsentia in Eucharistia, sed solummodo carnalem intelligendi modum, juxta illud S. Augustini Tract. 27. in Joannem: " Non prodest quidquam caro; sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippè intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur." Vide latius Authores.

N. 22. PROBATUR IDEM DOGMA EX VERBIS INSTITUTIONIS.

I. *Probatur ex verbis institutionis.*

ETENIM verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, à tribus Evangelistis Matthæo, Marco et Luca, atque ab Apostolo 1. ad Cor. 11. relata, clarissima sunt, et in sensu proprio, naturali et obvio intellecta important realem præsentiam Corporis et Sanguinis sub speciebus Panis et Vini; atqui verba sic debent intelligi, non autem impropriè et figuratè.

Probatur 1°. Ex regula interpretandi Scripturam Sacram rectissima, quam tradit S. August. lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 10. scilicet verba Scripturæ in proprio et naturali sensu intelligenda esse, quoties nihil continent, quod ad morum honestatem aut fidei veritatem referri non possit, seu quoties nihil obstat in contrarium: ergo, &c.

2°. Ex circumstantiis, quæ omnes conspirant in sensum proprium et naturalem; Christus enim condebat Testamentum, Sacramentum instituebat, Legem sanciebat juxta illud Lucæ: *Hoc facite in meam commemorationem;* dogma singulare tradebat, et amicos instante morte alloquebatur; atqui hæc omnia fieri solent, propriâ naturali et obvia locutione, non metaphoricâ aut figuratâ: ergo &c.

3°. Verba illa dicta sunt illis, quibus (ut dicitur Lucæ cap. 8. v. 10.) *Datum est nosse Mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis,* quas etiam Discipulis seorsum Christus solebat explicare; hoc autum hìc factum fuisse nullibi legitur.

4°. Plus quàm figuram Corporis et Sanguinis Christi necessariò evincunt, quæ addit Apostolus de sumente indignè hoc Sacramentum: *Reus erit Corporis et Sanguinis Domini.* Item, *Qui manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

Objiciunt Hæretici, quòd in verbis formæ verbum *est* sumatur impropriè pro *significat*: similiter ut Lucæ cap. 8. v. 11. *semen est verbum Dei.* Joan. cap. 15. v. 1. *Ego sum*

vitis vera. 1. ad Cor. 10. v. 4. *Petra autem erat Christus,* Gen. 41. v. 26. *Septem boves pulchræ et septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt.*

R. Verum est, quòd in multis Scripturæ locis verbum *est* sumatur impropriè et figuratè; sed illud tunc ex circumstantiis, putà somnii, parabolæ, &c. evidenter colligitur, ut apud interpretes et alios hìc videri potest; in casu autem nullæ circumstantiæ idem denotant, sed omnes potiùs contrarium, ut constat ex dictis.

Hæretici quidam metaphoram ponunt in verbis *Corpus et Sanguis*; sed hoc facilè refellitur ex eo, quòd Apostolus 1. ad Cor. 11. v. 24. illis verbis: *Hoc est Corpus meum,* subjungat: *Quod pro vobis tradetur;* Matthæus et Marcus verbis: *Hic est Sanguis meus,* addant: *Qui pro multis effundetur.*

N. 23. IDEM DOGMA PROBATUR EX TRADITIONE.

I. *Probatur ex Traditione.* II. *Et ex continua possessione.* III. *Item ex Miraculis.* IV. *Regulæ pro intelligentia S.S. Patrum.*

I. Id clarè probat inter alios Bellarminus ex Patrum et Conciliorum Testimoniis, quæ à tempore Apostolorum per singulas ætates Ecclesiæ deducit.

II. Idem ulteriùs invictè probatur ex præscriptione seu continua possessione hoc modo: certum est, quòd sæculo undecimo tempore Berengarii tota ecclesia Catholica realem Christi in Eucharistia præsentiam agnosceret, ut patet ex ipsa confessione Berengarii ejusque condemnatione; atqui nullum est assignabile tempus, quo illa fides sit in Ecclesiam introducta; quod tamen ostendi posset, si non esset ab ipsis Apostolis et Christo, quia debuisset esse postea introducta vel *simultaneè* vel *successivè*: si prius (quod omnino est inconceptibile) illud saltem tanquam summe admirabile referrent Historici: si posterius, non potuisset hoc fieri sine perturbatione et contradictione, quod ex Historicis iterum sciremus; ergo hæc est fides à Christo et Apostolis relicta Ecclesiæ, adeòque vera.

Simili argumento aliæ fidei veritates contra Hæreticos ostendi possunt.

Calvinistæ præcipuè objiciunt contra hoc ultimum: quòd talis fides potuerit successivè introduci sinè oppositione vel contradictione, sicuti in Ecclesia sæpe nova inducta est disciplina, v. g. circa tempus dissolvendi jejunium, &c.

R. Alia longè est ratio fidei, alia disciplinæ; illa enim est immobilis: hæc verò est mutabilis pro varietate temporum et circumstantiarum. Deinde nova disciplina potest induci absque eo, quòd damnetur antiqua; sed novum fidei Dogma importat falsitatem contrariæ opinionis. Tandem mutationes disciplinæ non sunt ita obscuræ, quin ab Historicis fuerint designatæ; ac pleræque omnes non ubique terrarum, sed in certis locis acciderunt. Vide Pauwels tom. 2. cap. 13. §. 3.

III. Argumentis jam dictis accedit, quòd veritatem præsentiæ realis Deus confirmaverit per aperta et frequentia miracula, variis locis et temporibus facta.

Hæc hæretici quidem calumniari solent, sed non majori jure, quàm omnis Historiæ fides negetur, et Judæi Miracula Christi explodunt, illa dæmoni adscribendo: cùm gravissimi etiam Patres ea referant, ut videre est apud Bellarminum, Wiggers, &c. imò apud ipsum Apostolum, 1. ad Cor. 5. v. 30, &c.

IV. Nimis longum foret omnia, quæ ex Sanctis Patribus congerunt heterodoxi, refutare: interim pro intelligentia eorum, quæ ex Patribus opponuntur, juvat notare sequentes regulas.

Prima: dum aliqui Sancti Patres Eucharistiam vocant figuram, imaginem, typum, signum, &c. Corporis Christi, hæc multiplici et vero sensu intelliguntur absque detrimento præsentiæ realis: 1°. Ratione specierum Panis et Vini, quæ ex institutione Christi sunt signum, figura, &c. Corporis Christi, non absentis, sed præsentis. 2°. Quatenùs Corpus Christi, sub speciebus velatum, est signum sui ipsius in propria specie existentis, v. g. pendentis in Cruce, vel Gloriosi in cœlis. 3°. Eucharistia quandoque dicitur signum, &c. Corporis Mystici quod est Ecclesia.

Secunda: hoc Sacramentum tam in Scriptura, quàm apud Patres sæpe vocatur *Panis*: 1°. Ratione specierum, quæ remanent. 2°. Ratione materiæ conversæ in Corpus Christi, sicut Virga Aäron in Serpentem conversa vocatur

adhuc Virga, Exodi cap. 7. v. 12. 38. Quia est Panis Spiritualis animæ.

Tertia : Quando aliqui dicunt, in Eucharistia non esse idem Corpus, quod Filius Dei assumpsit ex Virgine, in quo mortem subiit, &c. tantùm intelligunt, non esse idem Corpus quoad statum et affectiones, &c. licèt sit idem quoad substantiam.

Quarta : dum quidam Sancti Patres ita extollunt manducationem spiritualem, ut aliam admittere non videantur; solùm volunt, externam et realem sinè spirituali non prodesse.

Quinta : si quidam Patres, qui scripserunt ante exortas hæreses, subinde minùs accuratè locuti sunt, hoc ideo erat, quia sciebant, se à fidelibus nulla dubitatione pulsatis intelligi bono sensu.

Quidam etiam parcè et subobscurè locuti sunt, quia prioribus sæculis sacratiora Religionis Mysteria Paganis, Judæis et Catechumenis occultabantur: tum quia hi erant ad illa intelligenda impares, tum ne ea irriderent et profanarent.

Ex his regulis facilè solvi possunt omnia, quæ hæretici proponunt ex Sanctis Patribus.

N. 24. SOLVUNTUR OBJECTIONES EX SCRIPTURA ET A RATIONE.

1. *Notæ contra hæreticos.*

Obj. 1. Christus jussit Eucharistiam perfici in sui Commemorationem, Lucæ cap. 22. v. 19. Atqui memoria est tantùm de re absente, non præsente : ergo, &c.

R. Sensus verborum Christi est : *Hoc facite in memoriam Passionis et mortis meæ*, ut patet ex Apostolo 1. ad Cor. cap. 11. v. 26, Passio autem Christi nec tunc erat, nec jam est præsens.

Præterea minor in sua generalitate est falsa ; quia etiam datur memoria rei præsentis, præsertim si non sit visibilis seu sensibilis.

Obj. II. Juxta varia Scripturæ loca Christus non est amplius in hoc mundo, sed ascendit in Cœlum, ut Matth. cap. 26. v. 11. Joan. cap. 16. 16. v. et Act. 3. v. 21.

R. In illis tantùm agitur de præsentiâ Christi visibili,

a autem invisibili seu Sacramentali, quam habet in ıcharistia.

A ratione objiciunt Hæretici, quòd nostrum Dogma sit impossibilis et involventis implicantiam, putà quòd ıristus sit Corpore præsens in pluribus locis sub parva ostia.

I. R. Præter solutionem similium in particulari (quas le apud Tournelly, &c.) generaliter respondetur, corrindum esse Hæreticorum præjudicium, ostendendo, capandum esse intellectum in obsequium fidei: pro quo vabunt sequentia.

1°. Meminisci, esse Mysterium fidei, et fidem esse arımentum rerum non apparentium.

2°. Allegare alia Mysteria rationi impervia, ut Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis.

3°. Argumentari à minori ad majus hoc modo: plurima nt in rebus naturalibus potiùs mirabilia quàm explicabilia: go à fortiori in Mysteriis fidei.

4°. Allegare quædam similia: v. g. juxta Theologos ıima est tota in toto corpore, et tota in singulis partibus. hristus ex sepulchro et utero clausis egressus est, mutavit ıuam in vinum, &c. quæ fides docet, et ratio non exicat.

5°. Proponere quòd Ecclesiæ Patres semper agnoverint Eucharistia stupenda Miracula et Mysteria inscrutabilis ritatis: ac proinde ex ejusmodi argumentis hæreticorum ın infirmatur, sed è contra stabilitur veritas Dogmatis ıtholici.

N. 25. DE TRANSUBSTANTIATIONE.

S. Thom. quæst. 75. art. 2, &c.

Transubstantiatio. II. *Contra Lutherum. Probatur ex traditione.* III. *Et ex verbis institutionis.* IV. *Panis non annhilatur, sed convertitur.* V. *Corpus Christi hìc non creatur nec adducitur, sed reproducitur.* VI. *Transubstantiatio fit in instanti.*

I. TRANSUBSTANTIATIO (docente Conc. Tridentino sess. ı. can. 2.) est mirabilis illa et singularis conversio totius bstantiæ Panis in Corpus, et totius substantiæ Vini in ınguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus Panis Vini.

Illa vox *Transubstantiatio*, licèt non reperiatur in Scriptura, rectè tamen ab Ecclesia consecratur et adhibetur ad explicandas illas veritates, quæ in Scripturis et Traditione reperiuntur, eisque oppositas hæreses excludendas: sicut Ecclesia rectè adoptavit nomina *consubstantialitas*, *Trinitas*, *Deipara*, &c. quia quod illa verba significant, verè ex Traditione et Scriptura habetur.

II. Transubstantiationem negant Lutherus et Lutherani dicentes remanere substantiam Panis et Vini simul cum Corpore et Sanguine Christi.

Contra quos probatur 1°. Ex perpetua traditione similiter ac supra contra Calvinistas argumentando. Testimonia Patrum et Conciliorum à tempore Apostolorum videre est apud Bellarminum.

III. 2°. Probatur ex verbis institutionis, quo argumento utitur etiam Tridentinum sess. 13. cap. 4. Dicens: "Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie Panis offerebat, verè esse dixit; ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per Consecrationem Panis et Vini conversionem fieri totius substantiæ Panis in substantiam Corporis Christi, &c."

Vis hujus argumenti consistit in eo, quòd si substantia Panis, prolatâ formâ, remaneret, eadem substantia demonstraretur per pronomen *hoc*, utpote sensibiliter et tunc magis principaliter præsens; atqui sic forma foret falsa; cùm falsum sit, quod substantia Panis sit Corpus Christi. Idem est de forma Calicis.

Obj. I. Demonstrando Dolium continens Vinum, verè dico; *Hoc est Vinum*: ergo Demonstrando Panem continentem Corpus Christi, poterat Christus verè dicere: *Hoc est Corpus meum*.

R. Disparitas est, quòd dolium ex natura sua et communi hominum usu sit ordinatum ad continendum vinum: et ita omnes benè intelligunt, quòd demonstrando continens significetur contentum. Panis autem neque ex Christi institutione ordinatus est ad continendum Corpus Christi; proinde sic demonstrando panem continentem Corpus Christi, non magis significaretur Corpus Christi, quàm aliquis demonstrando Panem cui inclusisset nummum Aureum, verè dicere posset: *Hoc est Aureum*.

Obj. II. Certificatur forma remanentibus speciebus Pa-
s: ergo etiam verificaretur remanente substantia Panis.

R. Disparitas est, quod ex natura et communi usu lo-
ıendi pronomen *hoc* non demonstret accidentia, sed ipsam
ıbstantiam, utpote magis principaliter præsentem: adeoque
casu pronomen *hoc* non designat accidentia Panis; sed
ɛsignaret substantiam Panis, si ea remaneret: et conse-
ıenter non verificaretur propositio.

Plures objectiones vide apud Daelman et alios.

IV. Cùm transubstantiatio habeat duos terminos, unum
quo, scilicet substantiam Panis et Vini, et alterum *ad*
uem, scilicet Corpus et Sanguinem Christi; disputatur
ıter Theologos, quomodo vocari debeat ex parte utrius-
ue. Ex parte mutationis quæ Pani et Vino accidit, non
ɔsse vocari *annihilationem*, demonstrat S. Thom. hìc.
rt. 3, quia verum non est, substantiam Panis et Vini in
ıihìlum redigi (quod significat annihilari) sed mutari in
ılud, scilicet in Corpus et Sanguinem Christi: unde ra-
ione termini *à quo* rectè dicitur *conversio*.

V. Ob similem rationem actio, quâ ponitur præsens
Corpus Christi, non potest dici *Creatio:* quia creare est
liquid ex nihilo producere; Corpus autem Christi confi-
itur ex Pane.

Neque etiam *adductio*, quasi Corpus et Sanguis ex alio
ɔco huc adducantur, et loco Panis et Vini substituantur;
ed potiùs *reproductio* meritò appellatur: quia idem Corpus
t Sanguis, quæ sunt in Cœlo et ibidem manent, sub spe-
iebus Panis et Vini producuntur: unde non est productio
impliciter et absolutè, quasi Corpus Christi antea nullibi
xistat, sed productio tali modo, scilicet sub speciebus Panis
t Vini.

VI. Docet S. Thomas hic art. 7. transubstantiationem
ieri in instanti: sic nimirum ut in fine prolationis formæ
lesinat statim substantia Panis et vini, et præsens sit Cor-
ıus et Sanguis Christi; ita ut primum instans non existen-
iæ Panis sit primum instans præsentiæ Corporis Christi.

N. 26. DE ACCIDENTIBUS PANIS ET VINI REMANENTIBUS.

S. Thom. quæst. 75. art. 5. et quæst. 77.

I. *Remanent accidentia Panis, &c.* II. *Ob varias congruentias,* III. *et juxta S. Thom. existunt sine subjecto.* IV. *Non juxta philosophos.* V. *Species idem faciunt ac Panis substantia.*

I. FACTA Consecratione, accidentia omnia Panis et Vini (seu horum species) remanere, et fides et sensus docent; manent enim eadem magnitudo, idem color, sapor, &c.

II. Sic autem Christus Corpus suum et Sanguinem in Eucharistia dare voluit tum ad Mysterii ritum et reverentiam, tum ad Fidei meritum, tum ad Sacramenti convenientem usum.

Quomodo remanent illa accidentia, cùm substantia Panis et Vini non remaneat?

III. R. S. Thomas quæst. 77. art. 1. dicit accidentia illa in Sacramento Divinâ Virtute subsistere extra omne subjectum. Ita enim plures Theologi conformiter ad condemnationem hujus articuli Joannis Wicleff in Concilio Constantiensi: *Accidentia Panis et Vini non remanent sine subjecto in Sacramento Altaris.*

Dicit tamen S. Thomas eâdem quæst. art. 2. in *Corp.* solam quantitatem existere sinè subjecto, cætera verò accidentia existere in quantitate tanquam in subjecto immediato.

IV. Recentiores Philosophi, qui cum Carthesio negant, dari accidens strictæ entitatis, et extra omne subjectum existens, dicunt, illa accidentia subjectari in aëre et sensibus nostris: Concilium autem Constantiense tantùm definivisse accidentia illa manere sinè subjecto, quod est Panis et Vinum, conformiter ad mentem Wicleff.

Quid agere et pati possunt species in Sacramento remanentes?

V. R. Generaliter omne illud, quod agere posset et pati substantia Panis et Vini, si adhuc adesset: et sic species

onsecratæ agunt in alia corpora, et vicissim ab ipsis pauntur: sumptæ nutriunt, alterantur, corrumpuntur, quin t ad earum corruptionem quandoque aliquid generatur, æc omnia Deo sic mirabiliter disponente et operante ad elandum Mysterium.

N. 27. DE MODO, QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO.

S. Thom. quæst. 76.

. *Totus Christus est in Eucharistia.* II. *Partim vi verborum, partim per concomitantiam,* III. *et sub singulis partibus.* IV. *Etiam ante divisionem.* V. *Non tamen pluries in una Hostia indivisa.*

I. An totus et integer Christus est sub qualibet specie? Responsio affirmativa est de fide. Vide Trid. sess. 13. ap. 3. et can. 3.

Quænam continentur sub qualibet specie ex vi verborum, ut S. Thomas dicit, *ex vi Sacramenti*: et quænam ex concomitantiam?

II. R. Vi verborum solum Christi Corpus est sub specie anis, et solus Sanguis sub specie Vini; ipsum autem orpus est sub specie Vini, et Sanguis sub specie Panis, iimaque ipsius sub utraque specie per concomitantiam turalem, seu ex vi naturalis illius connexionis et concoitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis surrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur; Dinitas verò sub utraque specie præsens est per concomitanam supernaturalem, seu ob admirabilem illam ejus cum orpore et anima hypostaticam unionem. Vide iterum rid. loco citato.

Ex dictis reflectunt passim Authores, quòd, si Apostoli triduo mortis Christi consecrassent, sub specie Panis isset Corpus sinè Sanguine et anima, et sub specie vini anguis sinè Corporè et anima; sub singula tamen specie isset Divinitas: quia quod verbum assumpsit nunquam misit. Vide hic Pauwels §. 7. N. 60. cap. 13.

III. An totus Christus etiam præsens est sub singulis cujusque specie partibus?

R. Iterum de fide est, sic esse præsentem sub qualibet parte specierum, *separatione factâ*, ut definivit Trid. sess. 13. can. 3. cujus ratio est, quòd partes post separationem maneant consecratæ: ergo etiam sub illis est Christus.

An etiam ante divisionem?

IV. R. Hoc quidem non est de fide, sed satis certum videtur: quia si Christus contineatur sub singulis partibus post divisionem, debet sub iis etiam esse præsens ante divisionem: cùm consecratione, et non fractione fiat præsens in Eucharistia; illud satis insinuat Trid. cap. 3. citato, ubi absolutè dicit (nulla separationis factâ mentione) Christum esse præsentem sub qualibet specierum parte.

An ergo Christus in una Hostia indivisa pluries existit?

V. R. Negativè; sed unâ et eâdem præsentiâ est totus in tota; et totus in singulis Hostiæ partibus: simili aliquo modo, quo anima est tota in toto corpore, et tota in singulis partibus.

Ex dictis observa, quantopere incumbat, Sacerdotibus, sive in Missa, sive in distribuenda communione observare circa particulas speciei consecratæ: quare etiam præscribit Humbertus à Præcipiano in Epistola secunda Pastorali: "ut Sacerdos porrigendam Sacram Hostiam exiguâ ac decenti motione supra Ciborium diligenter excutiat, ut, quæ fortè adhærent particulæ, in Ciborium relabantur."

Cætera, quia speculativa, scilicet quoad extensionem Corporis Christi intrinsecam, non extrinsecam in hoc Sacramento, vide apud Daelman hoc loco observatione sexta.

N. 28. QUAMDIU CHRISTUS REMANET IN HOC SACRAMENTO?

I. *Donec desinant species.* II. *Nota.* III. *Circa tempus post Communionem.* IV. *Circa renovationem Hostiæ,* V. *et Ciborii purificationem.* VI. *De Miraculo.* VII. *Liquor alius mixtus consecrato Vino.* VIII. *De ultima ablutione.* IX. *Quomodo Pater et Spiritus S. sint in Eucharistia.*

I. Resp. Quamdiu salvæ manent species, sive quamdiu species illæ sic non sunt corruptæ, ut sub illis non remaneret substantia Panis et Vini; desinit verò Corpus Christi

ciebus quando ob harum corruptionem desiisset
ia Panis et Vini, si non fuisset facta Consecratio.
corruptis seu desinentibus speciebus, Christus
on discedit, et multò minùs corrumpitur; seu sim-
ıub iis desinit esse productus.
ıuamdiu autem vel in stomacho, vel aliter salvæ
t species satis incertum est; saltem dici nequit,
ıox post sumptionem desinant: ex quo corollaria
notatu digna deducit Pauwels tomo 2. cap. 13. §
62., &c.
alia autem dicit, valde probabile esse, quòd hoc
ıntum conferat suos effectus non solùm in mandu-
seu deglutione, sed etiam tamdiu ac præsentia
lurat in stomacho: consequenter summè laudabile
ım per horæ quadrantem hærere in templo, seseque
re in spiritu devotionis et meditationis, ut sic
ur continuum gratiæ augmentum.
Deinde quòd communicantes, et nominatim Sacer-
on statim possint sese convertere ad fabulas et mun-
lloquia, sed aliquo tempore sese tenere debeant in
et perfrui Deo suo. Ulteriùs ad minimum per
adrantem convenit abstinere à cibo et potu corpo-
ia indecens est, cibum corporalem spirituali con-
in stomacho.
tem hâc occasione observa, de tempore in tempus
ı in Remonstrantia esse renovandam: et tunc no-
, quòd Sacerdos debeat consecrare duas majores
unam ponendam in Remonstrantia, et alteram
ım ante antiquam Remonstrantiæ: quia Sacerdos
cepto divino tenetur participare de suo Sacrificio
que specie communicando.
lem observandum circa antiquiores Hostias minores
ıtas; quo circa etiam nota, Ciborium de tempore
us debitè esse purificandum, ne antiquiores parti-
lhærentes pixidi ibidem corrumpantur, vel saltem
nultiplicentur. Unde nullo modo probanda est
lorum, qui, non purificato Ciborio, semper Hostias
onsecratas, imponunt super restantes particulas con-
, etsi abesset omne corruptionis periculum.
Casum, quo miraculosè in hoc Sacramento apparet
anguis, vel puer, pertractat S. Thom. quæst. 76.
t Authores passim.
fit, dum Vino consecrato admiscetur alius liquor?

VII. R. Si qualiscumque liquor in parva quantitate admisceatur respectivè ad Vinum consecratum, præsens manet Sanguis Christi sub specie Vini consecrati: quia per similem mixtionem non solvitur species Vini consecrati, cui alius affusus liquor tantùm circumfunditur, aut certò interfluit.

Si alius liquor specie diversus, v. g. aqua, affundatur in tanta quantitate, ut, si adesset substantia Vini, ea non remaneret; cùm tunc non remaneant species consecratæ, desinit sub illis existere Sanguis Christi.

Idem docet S. Th. quæst. 77. art. 8. in *Corp.* dum Vino consecrato in tanta quantitate affunditur Vinum non consecratum: quia dicit, non remanere easdem numero species; plures tamen contrarium hìc sustinent, ut Suarez, Sylvius, Wiggers, &c.

VIII. Hinc iterum observent Sacerdotes ut in Missa pro ultima ablutione curent affundi plus aquæ quàm Vini, ut sic certò solvantur Vini consecrati species: quæ aliàs fortè à purificatorio indecenter absumerentur.

IX. Inquirunt hic etiam, an et quomodo Deus Pater et Spiritus Sanctus sint in hoc Sacramento præsentes?

R. Sunt ibi præsentes speciali quadam ratione, licèt non sacramentali; quatenùs nempe cum Filio ibi operantur mirabiles gratiæ effectus; et etiam propter circuminsessionem, seu mutuam unius in altera Persona Divina existentiam; ita ut, si per impossibile non essent ubique, forent tamen hac duplici ratione in hoc Sacramento. Ita communiter Thomistæ.

§. 29. DE MINISTRO CONFICIENTE EUCHARISTIAM.

S. Thom. quæst. 82. *art.* 1. 2. 5. 7. *et* 8.

. *Minister principalis.* II. *Secundarius est Sacerdos.* III. *Etiam malus, ut hæreticus, &c.* IV. *Plures Sacerdotes consecrant eandem materiam.* V. *Ut Neomistæ.* VI. *Circa quos notandum.*

Duplex est Minister Eucharistiæ, unus conficiens eu consecrationis, alter dispensationis.

I. Quis est Minister Consecrationis?

II. R. Principalis est Christus Dominus: secundarius verò agens ex Persona Christi est Sacerdos legitimè ordinatus de quo hic solùm agitur.

Ratio efficax est sola voluntas Christi solos Apostolos eorumque in Sacerdotio successores instituentis Eucharistiæ conficiendæ Ministros: ut Ecclesia semper intellexit ex his verbis Lucæ cap. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Vide Trid. sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 1. et can. 2.

Ratio congruentiæ est, quòd hoc Sacramentum conficiatur Sacrificando, adeoque convenienter tantùm ab illis, qui ad hoc speciali charactere sunt insigniti.

III. Porrò cùm consecrare sit actus potestatis Ordinis Sacerdotalis, quæ cum charactere inamissibiliter perseverat; hinc validè consecrat omnis Sacerdos, quantumvis malus, hæreticus, suspensus, excommunicatus, degradatus &c.; invalidè autem quiscumque non Sacerdos.

An plures Sacerdotes possint simul eandem materiam consecrare?

IV. R. Affirmativè, si simul finiant verba formæ: sicut dictum est, plures simul posse eundem baptizare.

Casus autem, quo id etiam licitè fit, assignatur hic à S. Thom. art. 2. in *Corp.* et Authoribus passim, nempe in Neomistis simul Consecrantibus cum Episcopo Ordinante.

V. Quidam tamen existimant, Neomistas in casu nòn consecrare, sed solum Episcopum: dicuntque, juxta mentem Ecclesiæ verba Consecrationis à Neomistis non pro-

ferri formaliter sed tantùm materialiter, partim instructionis, et partim cæremoniæ causâ.

Argumenta utriusque opinionis reperies apud Sylvium, Billuart et Henno.

VI. Ob varietatem sententiarum optimum est, ut Neomistæ intendant, quod Ecclesia vult ab ipsis fieri, adeoque proferre verba formaliter, si talis sit mens Ecclesiæ; sin minùs materialiter: curandum etiam est, ut finiant verba consecrationis simul cum Episcopo; ita autem semper intentio formanda est: ut non intendant consecrare, si finiant ante Episcopum, ne hic fortè tunc non consecret: nec etiam si finiant post Episcopum, ne formam proferant super materiam jam consecratam.

N. 30. DE MINISTRO DISPENSATIONIS EUCHARISTIÆ.

S. Thom. quæst. 82. *art.* 3. *et* 9.

I. *Ordinarius est Sacerdos.* II. *Et extraordinarius est Diaconus.* III. *Non Subdiaconus vel inferiores.* IV. *Omnis Sacerdos licitè distribuit.* V. *Tribus casibus exceptis.* VI. *Et quarto pro Regularibus.* VII. *De Ministro indigno.*

QUISNAM est Minister dispensationis Eucharistiæ?

I. R. Ordinarius est solus Sacerdos; et quidem jure divino ut docet Trid. sess. 13. cap. 8. et sess. 23. *de Ordine* cap. 1. et colligitur ex his verbis Christi: *hoc facite*, &c. Id est, consecrate, sumite, et aliis distribuite, sicut me vidistis facere.

II. Minister extraordinarius est Diaconus, scilicet cum licentia Episcopi vel Presbyteri: ut constat ex antiqua praxi Ecclesiæ non rarò committentis Diaconis dispensationem præsertim Sanguinis: unde S. Laurentius dicebat Beato Sixto; *cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.*

Usus committendi Diaconis dispensationem Eucharistiæ jam dudum apud nos exolevit; in necessitate tamen sumendi Viaticum, absente Presbytero, vel præsente, sed irrationabiliter recusante, Diaconus illud administrare potest, etiam sinè expressa commissione.

In aliis quibusdam casibus, v. g. tempore Communionis Paschalis vel Jubilæi, putant aliqui, Parochum impeditum posse committere Diacono Eucharistiæ distributionem; sed quia praxis moderna id non habet, optimum foret in simili casu recurrere ad Episcopum.

An etiam Subdiacono, vel aliis inferioribus Clericis, aut etiam Laïcis similis dispensatio committi potest?

III. R. Attentâ præsertim præsenti Ecclesiæ disciplinâ, negativè: nec refert, quòd ipsi Laïci legantur se olim communicasse, cùm Eucharistiam secum domum asportarent: quia id non fecerunt tanquam Ministri dispensationis saltem ordinarii, nec hoc jam patitur hodierna Ecclesiæ disciplina.

IV. Juxta modernam autem Ecclesiæ praxim omnes Sacerdotes eo ipso, quo permittuntur celebrare, licentiam habent Eucharistiam distribuendi omnibus communicare volentibus cujuscumque Parochiæ vel Diœcesis: cùm Trid. sess. 22. cap. 6. exoptet, ut in singulis Missis qui adstant fideles Eucharistiæ fiant participes.

V. Pro tribus tamen casibus specialis requiritur Pastoris licentia, eaque passim expressa; scilicet pro Communione Paschali, pro Viatico, et pro delatione Paschali, pro Viatico, et pro delatione Eucharistiæ ad infirmos devotionis causâ. Pro Viatico excipitur casus necessitatis.

VI. Possunt etiam Regulares in suis Ecclesiis etiam tempore quindenæ Paschalis, distribuere Eucharistiam sæcularibus juxta privilegia à variis Pontificibus concessa, excepto solo die solemni Paschæ; sic tamen ut sæculares bi communicantes nullo modo satisfaciant præcepto Ecclesiæ de Communione Paschali.

Sic inter alios etiam sustinet Benedictus XIV. lib. 7. *le Syn. Diœces.* cap. 42. Num. 3. unde errat Billuart dissertatione 6. artic. 1. §. 3. dicens, Regulares etiam in die Paschæ posse in suis Ecclesiis ministrare Eucharistiam.

Ritus, quo Eucharistia administranda est, videatur in Ritualibus.

VII. S. Thom. art. 9. inquirit, an liceat ab Excommunicatis vel Hæreticis aut peccatoribus Eucharistiam recipere, et eorum Missam audire: de quo consule dicta *de Sacramentis in genere*, ubi de probitate Ministri.

N. 13. DE DISPOSITIONIBUS AD SUSCEPTIONEM EUCHARISTIÆ GENERATIM.

I. *Dispositio ad Sacramentalem susceptionem,* II. *Et ad fructuosam.* III. *Alia ex parte animæ.* IV. *Alia ex parte corporis.*

QUÆNAM requiruntur dispositiones ad susceptionem Eucharistiæ?

I. R. 1°. Ad Eucharistiam sacramentaliter suscipiendam requiritur character baptismalis, et intentio seu voluntas suscipiendi hoc Sacramentum.

II. 2°. Ad dignam et fructuosam susceptionem alia requiritur dispositio ex parte animæ; alia ex parte corporis.

III. Ex parte animæ requiritur 1°. status gratiæ, cùm sit Sacramentum vivorum.

2°. Qui sibi conscius est peccati mortalis, per se loquendo tenetur præmittere confessionem sacramentalem.

3°. Requiritur sufficiens instructio et discretio, quâ Sacram hanc Mensam à profana, cœlestemque hunc Panem à communi discernat.

4°. Recta intentio et devotio cum veneratione huic Sacramento congrua, præsertim per actus Fidei, Spei et Charitatis: quibus etiam præ cæteris addere convenit actus humiliationis et contritionis. Contritionis quidem etiam ad hoc, ut hoc Sacramentum possit per accidens conferre gratiam primam.

IV. Ex parte corporis 1°. ex lege Ecclesiastica requiritur (quibusdam casibus exceptis) jejunium naturale.

2°. Ex jure naturali requiritur exterior habitus, mundities et compositio corporis, quæ internam animi venerationem et devotionem præ se ferat.

An, et quomodo defectus prædictarum dispositionum impediat effectum Sacramenti, dicetur infra.

)E OBLIGATIONE SACRAMENTALITER)NFITENDI ANTE COMMUNIONEM.

Conc. Trid. Sess. 13. *cap.* 7.

:ius peccati mortalis. II. *Tenetur prævie confi-* III. *Jure Divino.* IV. *Etiam dubius.* V. *Item ice indirecte tantùm absolutus.*

IGATIONEM sacramentaliter confitendi incumbere , qui sibi conscii sunt peccati mortalis, quantumvis itos existiment, docet Concil. Trident. explicans ostoli: *Probet autem seipsum homo* &c. loco citato s: II. " Ecclesiastica autem consuetudo declarat,)ationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absmissa sacramentali confessione ad Sacram Eucha- ccedere debeat: quod à Christianis omnibus, etiam cerdotibus, quibus ex Officio incubuerit celebrare,)cta Synodus perpetuò esse servandum decrevit, n desit illis copia Confessoris: quòd si, necessitate Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, nùm confiteatur."

ibidem definiens can. 11. subjungit: " Si quis ntrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asse- etiam publicè disputando defendere præsumpserit, xcommunicatus existat."

lum Trid. dicit: *Ecclesiastica consuetudo decla-* i est, quasi vellet innuere, id tantùm ab Eccle- ure provenire; sed ut ostendat, consuetudinem et es ita esse interpretatas divinum illud præceptum: *utem seipsum homo,* &c. idque eò magis verum est, ostolus priùs dixerat 1. ad Cor. cap. 11. v. 23. *m accepi à Domino, quod et tradidi vobis;* autem præceptum hoc tradidit: ergo, &c. Ita horibus Benedictus XIV.

um dicitur: *Conscius peccati mortalis,* hoc non ientia solùm certa, sed et probabili venit intelli- cùm etiam hæc sit conscientia peccati, et susci- xponeret periculo profanandi Sacramentum.

Quid si aliquis post confessionem legitimè factam recordetur alicujus peccati mortalis, quod inculpabiliter omisit?

V. R. Probabilis quidem est sententia Collet et aliorum, quòd talis satisfaciat illud peccatum confitendo postea, nempè post Communionem: cùm jam indirectè ab illo sit absolutus, et consequenter jam sit in statu gratiæ. Interim communior et in praxi tutior est sententia, quòd talis teneatur illud confiteri, antequam communicet: ut patet etiam communi ferè sensu fidelium, qui si recordentur alicujus peccati mortalis sive certi, sive dubii in confessione omissi, solent redire ad confessionem, antequam communicent: unde contrariam sententiam longè à fidelium auribus removendam dicit Steyaertius.

Posset tamen ille de quo in casu, alias functiones sacras peragere, v. g. Sacerdos Communionem distribuere, confessiones excipere, &c. manens interim obligatus illud peccatum omissum postea confiteri.

N. 33. QUANDONAM LICEAT COMMUNICARE, NON PRÆMISSA CONFESSIONE?

I. *Conscius peccati mortalis, elicita contritione, potest communicare.* II. *Dum deest copia Confessarii.* III. *Et est necessitas celebrandi vel communicandi.*

Resp. 1°. Id licet illi, qui præmisso debito conscientiæ examine non est sibi conscius ullius peccati mortalis, sive certi, sive dubii; summè tamen laudabilis est et retinenda praxis, quâ Sacerdos vel populus aliquamdiu confessus iterum recurrit ad confessionem, priusquam accedat ad hoc Sacramentum.

I. 2°. Id per accidens licet illi, qui sibi conscius est peccati mortalis; dum nempe hæc duo simul concurrunt, necessitas celebrandi vel communicandi, et deest copia Confessarii: modò etiam allaboret pervenire ad contritionem perfectam; quia contritio imperfecta, cognita seu apprehensa ut talis, non est sufficiens; si tamen bonâ fide existimaret, se esse perfectè contritum, nihil obstare videtur quo-

inus per accidens primam gratiam obtineat per hoc acram. Ita passim Authores deducunt ex sess. 13. c. 7. onc. Trid.

Quandonam censetur deesse copia Confessarii ?

R. Allegari solent sequentes casus :

II. 1°. Quando nullus Confessarius est præsens, nec ullus diri potest sinè gravi incommodo, spectatis circumstantiis ersonæ, itineris, periculi viarum, &c. aut quia instat hora elebrandi, nec potest sacrum sinè nota differri.

2°. Quando quidem adest Confessarius, sed non est approbatus pro ipso communicaturo; v. g. tantum approbatus ro alia Diœcesi, nec alius adiri potest, &c. ut ante, quod emper subintelligitur in casibus assignatis.

Item dum habet casum reservatum, et Confessarius præsens non habet facultatem absolvendi à reservatis. Vide Num. 194. *de Pœnitentia.*

3°. Si quis confiteri non possit, nisi frangendo sigillum acramentale : si tamen talis habeat alia peccata mortalia, uæ sinè fractione sigilli confiteri potest, tenetur hæc conteri.

4°. Communiter allegatur, si ex peccati confessione otabile damnum aut malum confessioni extrinsecum timeatur obventurum pœnitenti, Confessario, vel alteri; sed ic casus in praxi vix præsumendus est, et teste Steyaert ix tractari meretur.

Non deest autem copia Confessarii, si præsente alio, absit Confessarius alicujus ordinarius, vel alius cui majori cum ructu confiteri posset : nec etiam, licèt quis longiùs, v. g. d duas leucas excurrere debeat ad confitendum, etiam epius : si tamen possit sinè gravi incommodo.

Quandonam censetur esse sufficiens necessitas celebrandi el communicandi, dum quis sibi conscius peccati mortalis ion habet copiam Confessarii ?

III. R. Hoc in individuo vix determinari potest ; communiter tamen assignantur casus sequentes :

1°. Si existens in peccato mortali sit alioquin sinè Viatico noriturus, v. g. si tantùm adsit Diaconus, à quo Viaticum ccipiat ; si enim adesset Sacerdos, deberet priùs ab ipso bsolvi.

2°. Si Sacerdos debeat celebrare, ut deferri possit Viaticum moribundo.

3°. Si Parochus celebrare debeat, ut populus die Festo audiat Sacrum.

4°. Si Missæ celebratio non possit omitti absque infamia aut scandalo, v. g. pro exequiis publicis.

5°. Si deficiat Sacerdos aliquis post Consecrationem, nec adsit alius, qui Sacrificium perficiat, quàm conscius peccati mortalis.

6°. Si periculum immineat profanationis Eucharistiæ, v. g. in subitâ infidelium aut Hæreticorum irruptione, qui Hostias consecratas profanabunt.

7°. Si communicaturus jam sit in scamno Communionis, nec possit se retrahere sinè infamia vel scandalo; aliàs teneretur recedere.

8°. Si celebranti memoria peccati mortalis occurrat post Consecrationem; tunc enim (ut docet S. Thom. quæst. 83. art. 6. ad. 2. elicito contritionis actu, debet omnino procedere, neque ab Altari recedendum, neque Confessarius advocandus est juxta Sylvium, Wiggers, Daelman, Billuart, &c. quia Sacrificium interrumpi non potest.

Si autem recordetur ante Consecrationem, tunc sinè infamia vel gravi scandalo (quod ordinariè subest quia celebrat in loco publico) etiam non posset ab Altari recedere vel Confessarius advocari; sed potest contritus Missam perficere.

Notat Scotus quòd, si Sacerdos in Missæ principio recordetur, se peccatum grave commisisse, cui ita irretitus est, ut ejus pœnitere non possit; debeat dimittere Missam quodcumque timeatur scandalum.

Non est autem sufficiens necessitas celebrandi in peccato mortali, ut ipse Sacerdos audiat Sacrum die festo, vel ut ipse aut parochianus faciat Communionem Paschalem: quandoquidem hæc ob varias alias rationes possit differri.

N. 34. DE OBLIGATIONE SACERDOTIS, QUI IN PECCATO MORTALI CELEBRAVIT.

Tenetur confiteri quam primùm. II. *Non comprehendit Laïcos,* III. *Sed celebrantem ex malitia.*

QUID faciendum Sacerdoti, qui in necessitate conscius eccati mortalis absque prævia confessione celebravit?

I. R. Tenetur quamprimùm confiteri, ut præcipit Concil. 'rident. sess. 13. cap. 7. his verbis: "Quòd si, necessiate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraerit, quamprimùm confiteatur."

Nec ea verba consilium tantùm, sed præceptum imporint: unde Alexander VII. proscripsit hanc 38. Propoitionem: "Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrifianti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamrimùm, est consilium, non præceptum."

Illud *quamprimùm* idem est, ac si diceretur: statim ac ioraliter fieri potest: unde ab eodem Pontifice damnata it 39. Propositio: "Illa particula *quamprimùm* intellitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur."

An hoc præceptum etiam concernit Laïcos, aut Sacerotes more Laicorum Communicantes?

II. R. Negativè juxta Steyaert, Daelman, Billuart, c. quia præceptum in suis terminis tantùm comprehendit acerdotes celebrantes: ratio autem hujus discriminis verimiliter fuit, quòd casus ille rariùs in Communicante, sed epius ob frequentem necessitatem celebrandi contingere ossit in celebrantibus, et sic iterùm exponerentur periculo illo statu celebrandi, nisi quamprimùm confiteantur.

An hoc præcepto Tridentini tenetur Sacerdos, qui sibi onscius peccati mortalis, non ex necessitate, sed ex malia celebravit sine confessione?

III. Responsio affirmativa contra aliquos in praxi certò st tenenda; et maximè si tali incumbat ex Officio elebrare. Potest probari argumentando à minori ad majus.

Aliud videtur dicendum de Sacerdote, qui in mortali xistens celebravit bonâ fide, seu sine conscientia peccati iortalis; licèt tamen etiam tunc tutius sit confiteri, quamrimòm fieri potest,

N. 35. DE JEJUNIO NATURALI IN COMMUNICANTE REQUISITO.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 8.

I. *Præceptum jejunii naturalis.* II. *Non admittit parvitatem materiæ.* III. *Et explicatur.*

I. Ob tanti Sacramenti reverentiam jam ab Apostolicis temporibus statutum fuit, semperque in Ecclesia observatum, ut non nisi jejunus (quibusdam casibus Num. 37. excipiendis) ad Eucharistiam accederet, jejunio non tantùm Ecclesiastico, sed et naturali.

Hujus plures rationes congruentiæ dat S. Thomas hic in *Corp.* 1°. propter reverentiam Sacramenti: 2°. Ad significandum, quòd Christus ejusque charitas primò debeat fundari in cordibus nostris: et 3°. Ad evitationem incommodorum, v. g. vomitûs, &c.

II. Hoc præceptum obligat sub gravi, nec parvitatem materiæ admittit sicut præceptum jejunii Ecclesiastici.

III. Porro illud præceptum exigit, ut post mediam noctem sive duodecimam nocturnam nihil sumptum sit per modum cibi aut potûs, quod scilicet ab extrinseco introsumatur, et vitali modo deglutiatur, seu in stomachum trajiciatur, sive cibus sit aut potus, sive non, sive nutriat, sive non nutriat: unde jejunium naturale solvit introsumpta medicina, charta, terra, carbones, lignum, creta, &c. solvitur autem jejunium naturale sive illud fiat voluntariè, sive involuntariè, modò sumatur per modum cibi vel potûs.

Non tamen requiritur, ut quis post cibum vel potum ante mediam noctem sumptum dormierit, vel illum decoxerit; in hujus tamen defectu, si inde contraxit aliquam mentis perturbationem, ob hanc impediri potest ex convenientia. Ita S. Thomas.

Ex jam dictis colligitur, jejunium naturale non solvi per sequentia

1o. Per ea, quæ interiùs ingeruntur sinè sumptione exteriori: v. g. si sanguis, saliva, phlegmata, aliive humores ab intrinseco, v. g. à capite ad os defluentes deglutiantur Aliud censendum, si v. g. sanguis ex vulnere digiti introsumatur quia sumitur ab extrinseco.

2°. Jejunium non solvunt ea, quæ per modum salivæ vel spirationis transeunt in stomachum : v. g. si quis casualiter deglutiret muscam, pulverem, aut quid simile : item si casualiter deglutiret guttulam aquæ, sive os lavando, sive incedendo tempore pluvioso ; quia etiam transit per modum salivæ (aliud foret, si trajiceretur in magna quantitate) : item si quis *casualiter*, inquit S. Thomas, deglutiret reliquias cibi in ore remanentes.

Dicit S. Thom. *casualiter*, et ideo observant multi cum Navanto, quòd jejunium naturale solveret, qui ex dentibus linguâ vel calamo aliquid reliquiarum cibi extraheret, nec exspueret, sed datâ operâ deglutiret. Similiter frangeretur illud jejunium, si saccharum vel quid simile paulatim liquescens in ore simul cum saliva deglutiretur post mediam noctem, etsi vesperi ori impositum et à dormiente introsumptum : quia tunc non trajicitur per modum salivæ, sed judicatur esse id, quod principaliter deglutitur, seu est continuata sumptio ante mediam noctem inchoata. Idem etiam dicendum, si quis ex deliberato proposito aliquid, v. g. guttulam aquæ respiratione attraheret et trajiceret.

Hoc jejunium etiam non solvunt ea, quæ tantùm acciduntur super linguam per modum gustationis, et statim exspuuntur, modò tamen in stomachum nil trajiciatur, nisi fortè per modum salivæ. Ex decentia tamen, inquit S. Antoninus, debet quis à talibus abstinere ante Communionem, nisi id faciat ex necessitate, v. g. ut Sacerdos experiri possit, an revera sit vinum, quod affunditur.

Finaliter nota, quòd, si aliquid sumptum sit per modum ibi vel potûs, solutum sit jejunium, quamvis statim evomeretur.

N. 36. UTRUM SUMPTIO TABACI FRANGAT JEJUNIUM NATURALE.

I. *De tabaco nasali.* II. *Fumigato,* III. *Et Masticato.*

I. Resp. 1°. Si sit sermo de tabaco nasali, per illud non frangi jejunium naturale, videtur satis certum ; quia non est, nec sumitur ut cibus vel potus : et licèt casualiter supponeretur aliquid transire in stomachum, id censetur fieri per modum respirationis vel salivæ.

II. 2°. Per fumigatum aliqui dicunt frangi, eò q per aliquid olei cum fumo deglutiatur : plures tam dicentes, quòd totus fumus à fumigante (præsertim soleat emitti per os et nares : et si quid leve t id fiat, ut ante. Si tamen id fieret in magna q tunc juxta alios frangitur.

II. 3°. Major est difficultas quoad masticatio terim Pontas, et Billuart contra Van Roy et alios per hoc non solvi jejunium ; quia non ordinant trosumptionem, nec plurimæ tabaci particulæ succi introsumuntur, cùm id maximè caveant masticante acrem et ingratum saporem ; si tamen hoc posteri frangeretur jejunium naturale. Benedictus XIV quæstione mentem suam non aperit, sed eam relinquit.

Cæterùm quia valde indecens est, quòd quis ore ibus, tabaco conspurcatis, ejusque redolens grave accedat ad Sacram Mensam ; ideo ab ejus usu con stinere, et quidem omnino à secundi et tertii gener

N. 37. QUIBUS CASIBUS LICEAT NON JE COMMUNICARE.

I. *Id licet* II. 1°. *Per modum Viatici*, III. *Et morbo aliquoties per modum devotionis.* IV *tamen frequenter.* V. 2°. *Ad perficiendum Sacr* VI. 3°. *Ad evitandum grave scandalum.* VII. *profanationem Eucharistiæ.* VIII. 5°. *Dum in remanent particulæ.* IX. *Non tamen Sacrifici peracti.*

I. COMMUNITER allegantur et admittuntur ca quentes :

II. 1°. Per modum Viatici in periculo mortis, turalis sive violentæ ; quod aliquibus videtur posse ad ultimo supplicio afficiendos per sententiam Judi videtur hoc debere intelligi, si tales non possent e Viaticum suscipere.

Porrò dum morbus est periculosus, non debet scrupulosè expectare, ut Viaticum deferat post n noctem ; id enim nullo modo praxis habet, et etia periculum, ne interea infirmus moriatur sine Viatic

III. Perseverante eodem infirmitatis periculo, potest et lebet Parochus iteratò Eucharistiam ministrare non jejunis præsertim si ipsimet infirmi iterum Cœlestem illum Panem suriant), non quidem per modum Viatici, sed ex devotione; uia Viaticum semel tantùm in eadem infirmitate sumitur: ta Benedictus XIV. lib. 7. *de Synodo Diœc.* cap. 12. Num. 4 et 5.

Id constat ex communi Theologorum Doctrina et praxi Pastorum fundata in eo, quòd non censeatur Ecclesia infirmos velle privare medio tam utili et necessario ad vincendas tentationes, &c.

Sed dissensio est, quantum temporis spatium debeat intercedere, ut in eodem morbi statu possit iterum non jejunus communicare. Suarez et Daelman statuunt 8 vel 10 dies, (prout antiquo Rituali Romano constitutum fuisse, dicit Collet) Henno et Billuart 6 vel 7 dies, &c. Servetur consuetudo.

Non licèt tamen infirmo non jejuno, inquit Daelman, quotidie communicare propter reverentiam Sacramenti, etiamsi, dum sanus erat, soleret quotidie communicare.

IV. Quinimo nec frequenter id licet; unde Benedictus XIV. loco citato solùm dicit: *Iterum et tertiò.*

Objicitur Pastorale Mechliniense dicens: "Cæteris infirmis, qui ex devotione in ægritudine communicant, danda est Eucharistia *ante omnem cibum et potum.*" Ita etiam Rituale Romanum.

R. Cum Authoribus communiter, illa verba intelligenda esse de infirmis, qui non periculosè decumbunt.

V. 2°. Dum id necessarium est ad perficiendum Sacrificium: ut si Sacerdos post Consecrationem deficiat, potest et tenetur Sacerdos non jejunus (si desit alius jejunus) Sacrificium perficere et communicare. Deficiente tamen Sacerdote, non posset Laicus, quantumvis bene dispositus, sumere Hostiam consecratam, et multò minùs Sanguinem, sed in Tabernaculo reponi deberet: pariter si Sacerdos, sumpto Calice, deprehendat, loco vini aquam fuisse impositam, debet Vinum consecrare, et consecratum sumere. Similiter si post Consecrationem recordetur, se non esse jejunum; ante Consecrationem verò, tutius esset, inquit S. Thom. ab Altari recedere, *nisi*, inquit, *grave scandalum*

timeretur, quod vix poterit vitari, dum Sacerdos celebrat publicè,

VI. 3°. Generatim ad evitandum grave scandalum, quod aliter evitari non potest: v. g. si Parochus die festo aliquid sumpsisset, et Missam prætermittere non posset sinè gravibus oblocutionibus et sinistris suspicionibus: ordinariè tamen scandalum vitare posset simpliciter dicendo se non esse jejunum.

Certò non potest Sacerdos, qui in die Natalis Domini in prima Missa imprudenter ablutionem sumpsisset, duas reliquas celebrare; quia nemo est, qui inde scandalum patietur.

VII. 4°. Ad evitandam Eucharistiæ profanationem vel irreverentiam causandam, v. g. ab Infidelibus vel Hæreticis, per incendium, &c. tunc enim deberet sumi à non jejuno, etiam Laïco, si desit jejunus.

VIII. 5°. Id licitum est, quando post ablutionem reliquiæ seu particulæ Hostiæ consecratæ inveniuntur superstites in patena, corporali vel Calice, aut etiam in ore; quia ad idem spectant Sacrificium et ad eandem actionem unicamque sumptionem, quamvis etiam sub Missa communionem distribuendo mora aliqua intercessisset.

IX. Non tamen idem dicendum de reliquiis Sacrificii ab altero peracti, v. g. Ciborium purgando: nec de reliquiis sui Sacrificii post Missam repertis, dum v. g. est in Sacristia, nisi, inquit Benedictus XIV. nondum sacris vestibus Sacerdos sit exutus, dummodo eas exuere diu non distulit: nec etiam de integris Hostiis ejusdem sui Sacrificii, quæ supersunt post distributionem communionis, si nempe celebrans sumpserit ablutionem.

Hæc omnia intelliguntur, dum præfatæ reliquiæ et Hostiæ sinè periculo pereundi, et decenter asservari non possunt.

Tandem hìc observa ex communi praxi et sensu Ecclesiæ, et juxta communem Theologorum sententiam, quòd Sacerdos non jejunus celebrare non possit, ut parochiani audiant Sacrum die festo, vel ut quis communicet in Paschate: nec etiam, ut habeat Hostiam deferendam moribundo pro Viatico; sed quia, cùm hoc convenienter impleri non possit, non obligat præceptum divinum in hoc

casu ; sicuti non obligat, si Sacerdos ad eundem finem deberet consecrare sinè vestibus sacris, Latinus in pane fermentato, &c.

N. 38. DE IMMUNDITIA CORPORIS UT IMPEDIMENTO COMMUNIONIS.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 7.

I. *Communionem impedit ex necessitate.* II. *Pollutio mortaliter culpabilis.* III. *Alia solùm ex decentia,* IV. *Nisi justa causa abstergat indecentiam.* V. *Similiter actus conjugalis.*

I. De hoc impedimento tractat S. Thom. loco citato occasione pollutionis nocturnæ tanquam frequentioris : ea tamen ponens principia, quæ aliis immunditiis facilè applicantur. Atque imprimis statuit generale principium : scilicet solum peccatum mortale nondum per Sacramentum Pœnitentiæ expiatum impedire ex necessitate sumptionem Eucharistiæ, ita nempe quòd quis accedendo reus fiat Corporis et Sanguinis Domini.

II. Ex quo infertur 1°. solam pollutionem mortaliter culpabilem, sive in se, sive in sua causa, et necdum per pœnitentiam remissam impedire ex necessitate communionem ; ubi autem remissa est, non impedit nisi ex contuitate, sed per se sub gravi veniali.

III. Infertur 2°. pollutionem, quæ sinè peccato, vel cum solo veniali dormientibus accidit, impedire solùm ex congruentia et decentia, scilicet ob fœditatem quandam corporalem et evagationem mentis ordinariè sequi solitam : unde juxta S. Thomam etiam in 4. Dist. 9. quæstiuncula 2. ad *Corp.* talem pollutionem passus, si ad Sacram Communionem accedat, peccaret venialiter contra reverentiam Sacramento debitam.

IV. Sed juxta eundem Doctorem indecentiam illam abstergit necessitas seu rationabilis causa, v. g. si quis ex Officio celebrare teneatur, vel juxta communitatis regulam certis diebus communicare : item si sit dies solemnis, vel specialis devotio invitet ad communicandum, &c.

Exceptionem insuper ponit S. Thom. hìc in *Corp.* " Nisi fortè talis immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi."

Præterea pollutio nocturna quibusdam interdum causatur involuntariè ex scrupulosa anxietate, vel etiam ex sola astutia dæmonis volentis ita pias animas retrahere à Sacra Mensa; cujus signum est, si ordinariè causetur, dum est communicandum: unde illis propterea Communio nullatenus est dissuadenda, sed potiùs suadenda.

De celebratione post pollutionem nocturnam vide Missale Romanum *de defectibus Missæ* titulo 9. num. 5.

V. Similiter hìc ad 2. resolvit S. Thomas de actu conjugali, insinuans tamen, majorem esse obligationem abstinendi à Communione (licèt solùm ex congruentia et decentia) si actus ex sola voluptate fuerit exercitus, quam si causà prolis, vel reddendi debitum: quemadmodum magis abstinendum, si pollutio nocturna contigerit cum peccato veniali, quàm si sine peccato.

Porrò juxta mentem S. Thomæ per se sufficere videtur, ut conjugati abstineant à Communione ipso die copulæ habitæ: sed juxta Pastorale Mechl. Catechismum Romanum, et S. Carolum Borromæum adhortandi sunt conjuges, ut ante Communionem per aliquot dies à concubitu abstineant, seposito tamen incontinentiæ periculo, et de mutuo consensu: unde pars communicatura non potest eo prætextu comparti petenti et urgenti debitum negare, sed ipsa potiùs Communionem aliquando (non tamen ad longum tempus) prætermittere tenetur ex decentia.

Juxta Sanctum Franciscum Salesium *Introduct. ad vitam devotam* part. 2. cap. 20. indecens etiam est, quòd pars, quæ communicavit, ipsâ die Communionis debitum conjugale exigat; comparti tamen petenti et urgenti reddere tenetur.

Monet Steyaert *in conclusionibus practicis de Administratione Eucharistiæ*, quòd hæc jam dicta nec publicè, nec nimis amarè sint urgenda; non tamen omnino tacenda, sed tempore et loco potiùs suadenda, vel Catechismi Romani, vel Sanctorum verbis.

Deindè ex dictis rectè infert à fortiori, non statim à flagitiis commissis ad Sacram Communionem (nisi justa et gravis admodùm causa urgeat) remittendos esse illos, qui in for-

nalia luxuriæ peccata, putà fornicationem, adulterium, nollitiem, &c. lapsi sunt; etsi interea legitimè fuissent confessi. Vide Steyaert *in Appendice* ad Wiggers.

Peccatis luxuriæ in hac parte annumerat Wiggers alia peccata, quæ etiam causare solent gravem sensûs mentisque distractionem, ut sunt graves iræ et odia.

N. 39. DE PECCATO INDIGNÆ COMMUNIONIS.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 4 et 5.

I. *Indignè communicare* II. *Est grave peccatum.* III. *Graviora ex objecto,* IV. *Et circumstantiis.*

I. INDIGNE communicare simpliciter is dicitur, qui scienter, vel ex ignorantia graviter culpabili communicat in peccato mortali, sive habituali, sive actuali.

Quale et quantum peccatum est indigna Communio?

II. R. 1°. Est sacrilegium ex objecto suo valde grave, tum ob rei tam Sacræ indignam tractationem, tum ob tanti Sacramenti significationem falsificatam. Vide latiùs S. Thom. art. 4. in *Corp.* et 1. ad. Cor. cap. 11. v. 27., &c.

III. Licèt grave sit illud peccatum, et multis aliis enormius secundùm suam speciem; ostendit tamen S. Thomas art. 5. in *Corp.* non esse omnium gravissimum: et sic imprimis dicit, ex objecto graviora esse, quæ immediatè committuntur in ipsam Divinitatem, ut est infidelitas et blasphemia.

3°. Graviora sunt, quæ facta sunt contra humanitatem Christi in propria specie: hinc art. 5. ad 1. dicit, peccatum occidentium Christum fuisse multò gravius. Vide ad 2.

3°. Similiter ad 3. docet, indignâ Communione graviorem fore irreverentiam, quâ hoc Sacramentum projiceretur in lutum, aut objiceretur canibus ad manducandum, aut alio indigno modo tractaretur.

IV. 4°. Licèt ex objecto suo sit gravius peccatis contra cæteras virtutes morales; potest tamen levius esse ratione nocumenti aliarumve circumstantiarum, quæ occurrunt in aliis peccatis, ut homicidio, adulterio, &c. ut dicit Sylvius: unde regula S. Thom. art. 5. in *Corp.* proposita debet intelligi de gravitate peccati ex objecto tantùm.

Interim ex objecto et cæteris paribus gravius peccatum est indigna Communio, quàm indigna alterius Sacramenti susceptio. Similiter inter communicantes indignè is graviùs delinquit cæteris paribus, qui cum pluribus aut gravioribus peccatis accedit.

Ex supradictis observat Steyaert, quòd quædam de indigna Communione à Concionatoriis dici solita intelligi debeant per exaggerationem dicta.

N. 40. AN COMMUNIO SIT NEGANDA PECCATORI OCCULTO.

I. *Peccatori occulto Eucharistiam petenti,* II. *Aliter noto quàm ex confessione,* III. *Neganda est communio,* IV. *Nisi eam publicè petat.*

I. QUÆSTIO in sequentibus non instituitur, cuinam Confessarius permittere vel interdicere debeat Communionem; sed cuinam jam se ad communicandum præsentanti Sacerdos eam debeat dare, vel negare.

Ad quod generaliter respondet Rituale Rom. his verbis: "Fideles omnes ad Sacram Communionem admittendi "sunt, exceptis iis, qui justâ ratione prohibentur."

Unde quæritur, quinam sic justâ ratione prohibeantur: et imprimis de peccatore occulto?

II. R. 1°. Si ejus peccatum ex sola confessione sacramentali constiterit, tunc ipsi sive occultè sive publicè petenti non licet Communionem denegare: quia usus illius scientiæ, tanquam virtualis quædam criminis exprobatio, foret contra sigillum sacramentale.

III. R. 2°. Peccatori occulto, quem aliunde quàm ex confessione constat esse talem, deneganda est Sacra Communio, si eam occultè petat: ita Pastoralia et Theologi communiter: et ratio est, quòd talis sciatur indignus, et aliunde nullum incommodum sit natum sequi ex tali occulta denegatione.

IV. R. 3°. Si verò eam publicè petat, v. g. si flectat cum aliis in mensa Communionis, tunc non potest Sacerdos ipsi communionem denegare, ut constat ex unanimi Doctorum sententia et Ecclesiæ praxi: cujus rationes varii va-

ias allegant: firmior autem et sola adæquata ratio videtur voluntas Christi, manifestata per constantem Ecclesiæ usum conformem exemplo ipsius Christi dantis hoc Sacramentum proditori suo, tunc peccatori occulto.

Suadetur etiam ex incommodis et perplexitatibus aliter orituris ipsi Ministro et communicaturis; quòdque in Ministerio publico non possit condemnari reus ex notitia privata, &c.

Obj. Ille peccator sumendo Eucharistiam graviter peccat: ergo Minister illam dando cooperatur ejus peccato.

R. Neg. conseq. quia Minister ex Christi voluntate se habet merè permissivè ad istud peccatum suscipientis, ad obviandum incommodis ex denegatione secuturis; unde in illud peccatum non censetur influere.

Remedium hìc à quibusdam positum per porrectionem Hostiæ non consecratæ rectè rejicit S. Thom. hoc loco ad 2. et condemnavit Innocentius XI. in propositione 29. Vide Num. 43. *de Sacramentis in genere.*

N. 41. AN COMMUNIO NEGANDA SIT PECCATORI PUBLICO?

S. Thom. quæst. 80. *art.* 6.

I. *Peccatori publico negatur Communio,* II. *Si talis certo sciatur,* III. *Publicitate Juris,* IV. *Vel facti.*

I. Peccatori publico, sive publicè sive occultè petenti, neganda est Sacra Communio: quia hìc propriè urget præceptum Christi Matth. cap. 7. v. 6. *Nolite dare Sanctum canibus* per quos juxta S. Thomam hic ad 1. peccatores manifesti intelliguntur. Nec hìc aliunde obstant incommoda, sicut dum negaretur peccatori occulto publicè petenti.

II. Porrò ad repellendum publìcum peccatorem (idem est de occulto occultè petente) non sufficit aliqua suspicio, vel dubium aut rumor aliquis vagus et incertus, etiamsi publicus; sed requiritur notitia quædam certa, vel huic æquivalens, nempe suspicio, quæ dicitur *violenta*: et ita publicis peccatoribus accensentur, qui publicè de crimine

tam vehementer suspecti sunt, ut illa suspicio nullam in contrarium admittat probabilem rationem: unde suspicio volenta distinguitur contra præsumptuosam et probabilem.

III. Potest autem publicus peccator esse talis publicitate juris, vel facti.

Prioris generis est per condemnationem, vel convictionem, aut confessionem in judicio factam.

IV. Posterioris generis est, quando ipsum factum v. g. meretricium ita evidens est, ut nullâ tergiversatione celari possit: utì etiam, quando factum v. g. exercitium usuræ non potest aliquo suffragio excusari. Quandonam autem tanta censenda sit evidentia facti, moraliter expendere oportet, non tantùm ex numero personarum, quæ illud noverunt, sed et ex qualitate earumdem, item loci, delicti, &c.

An peccatori publico saltem non licet dare Eucharistiam, si cogat metu mortis?

R. Negativè: quia hoc esset intrinsecè malum, &e.

N. 42. QUIS TANQUAM PECCATOR PUBLICUS A COMMUNIONE REPELLENDUS?

I. *Repellendi sunt qui publicè sciuntur peccatores,* II. *Item qui nondum repararunt publicum scandalum,* III. *Ut in Pastorali numerantur.* IV. *Quoad scandali reparationem,* V. *Inhærendum est Rituali.* VI. *In dubio recurratur ad Episcopum,* VII. *Etiam in casibus expressis, si moram patiantur.*

I. Dupliciter potest quis esse peccator publicus in ordine, ut ipsi negetur Eucharistia.

1°. Talis censetur ille, cujus status peccaminosus est publicus, seu de quo notorium est et publicum, quòd sit in statu peccati mortalis, putà si in crimine aliquo conspiciatur pergere, aut peccasse sciatur sinè apparentia pœnitentiæ. Talibus sinè exceptione neganda est Communio juxta hìc inferiùs tradenda.

II. 2°. Peccatores publici in ordine ad negationem Communionis etiam censentur publicè infames, licèt jam legitimè forent confessi et justificati; quamdiu scilicet scandalum

publicum ex enormitate et infamia criminum secutum non reparaverint per vitæ emendationem : his denegatur Communio non adeo ob statum animæ, qui supponitur non esse malus, quàm ob indecentiam ortam ex peccatorum enormitate, et nondum ex animis hominum abstersam.

III. Quocirca ita præscribit Pastorale Mechliniense : " Ad publicam Communionem non admittantur publici peccatores, quales sunt usurarii, meretrices, concubinarii, sortilegi, excommunicati, interdicti, aliique istius generis publicè infames, etiamsi fuerint sacramentaliter confessi ; nisi de eorum pœnitentia et emendatione constet, et publico scandalo priùs satisfecerint."

Nota, quòd Pastorale dicat : *Ad publicam Communionem* ; quia ut expressè addit Pastorale Cameracense occultè ipsis dari poterit, si iis, qui adsunt, nota sit eorum conversio ; non tamen publicanda est eorum Communio priusquam publicè nota fiat eorum emendatio.

IV. Circa modum satisfaciendi publico scandalo consideranda est diversitas personarum, criminum, locorum et aliarum circumstantiarum : et sic v. g. petitio veniæ coram testibus facta à viro nobili vel valde honorato quandoque pluris valere à vulgo æstimabitur ad scandali reparationem, quàm quidpiam longè in se gravius præstitum à plebeio et homine vili.

Ex dictis etiam observa, quòd in ordine ad negationem Communionis peccator publicus non sit omnis ille, cujus peccatum mortale est publicum ; multa enim et communia peccata mortalia sunt talia, ut licèt publicè commissa, non tamen ob illa Communio denegetur, modò ille peccator sciatur, vel meritò præsumatur sacramentaliter fuisse confessus ; nam quod in talibus est scandali, facilè per confessionem, imò et ipsam Communionem (cui præsupponitur confessio) censetur reparari.

V. Quinimo generatim ad evitandas graves difficultates observandum, ut Sacerdos Communionem non deneget pectoribus confessis, nisi in casibus in Rituali exprimi solitas, vel cum consilio sui Ordinarii.

Hinc ait Steyaert *in Appendice* cum nullum, quod constet, Rituale exprimat ebriosos, juratores aut bibones perditissimos : et aliunde hæc sint præsentium temporum et

locorum miseriæ, ut tales pro *manifestè infamibus* (de quibus loquitur Rituale) non habeantur; non ausim aliquid publicè contra illos vi hujus Ritualium regulæ attentare, inconsultis superioribus.

VI. Similiter ad Episcopum vel ejus Officialem est recurrendum, dum dubitatur de aliquo, utrum juxta Ritualia debeat ipsi communio negari, sive de quo, an talis sit, non ita notorium est, quin illud in judicio possit vocari in dubium: sic passim ipsi Officiales prætendunt, et ordo juris exigit.

VII. Quinimo optimum semper est, si res patiatur moram, casum licet expressè in Pastorali expressum, referre ad Judicium Ordinarii vel ejus Officialis, et sic ex eorum consilio et cum eorumdem auxilio procedatur: unde si prævideatur v. g. in Paschate se præsentaturus aliquis cui Communio deneganda erit, tunc opportuno tempore ante Pascha casus ad Episcopum deferatur: prævie tamen adhibitis mediis, ut talis peccator ad pœnitentiam adducatur.

Si autem casus moram recursûs ad Episcopum vel Officialem non patiatur, et manifestè sit in Pastorali expressus, tunc poterit Pastor se conformare Rituali Communionem denegando.

N. 43. DE PECCATORE PUBLICO, QUI EST IN ALIO LOCO, VEL IN ARTICULO MORTIS.

I. *Peccatori publico in uno loco.* II. *Quandoque alibi datur Communio.* III. *Peccatori publico in articulo mortis* IV. *Datur Communio, si pœniteat.* V. *De scandali reparatione in mortis articulo.*

An peccatori publico in uno loco deneganda est Communio, si eam petat in alio loco, in quo publicus non est?

I. R. 1°. Si ille etiamnum publicus sit peccator, tunc ipsi neganda est Communio in alio loco, si ibi ejus crimen facilè possit probari ex loco, ubi publicum est. Ita Steyaert, Daelman et Billuart contra Sylvium.

Aliud foret dicendum, si propter locorum distantiam, &c. crimen in uno loco publicum non possit nisi difficulter probari in alio loco: quia tunc Communionem negando Minister se exponeret pluribus difficultatibus.

. 2°. Ipsi in alio loco danda est Communio si nota sumenda sit ejus conversio, præsertim si fama crintea commissi non videatur facilè eò perventura; im præsumatur legitimè confessus, non potest alibi tanquam indignus in ratione peccatoris; nec etiam ie scandali, cùm illic nullum dederit.

peccatori publico danda est Communio in articulo

R. 1°. Peccatori publico impœnitenti etiam tunc v. g. publico Jansenistæ, qui non vult errores resimiliter etiam peccatori occulto occultè petenti, quàm ex Confessione noto.

R. 2°. Ad peccatorem publicum pœnitentem, licèt nctissimè sit confessus, Viaticum nec publicè dec dari debet, nisi publicæ offensioni satisfecerit: ale Romanum titulo *de Communione infirmorum*. tamen occultè ad eum deferri et occultè ipsi dari, si bus nota sit ejus conversio.

orrò quoad reparationem scandali minùs est agenm moribundis, quàm cum sanis: nam quòd detur n talibus moribundis confessis, minùs natum est zare; cùm quilibet fidelis præsumendus sit in illo facere, quod potest, ut sese bene disponat. Accel durè agendo cum moribundis periculum fieret desiis, &c. unde si coram Parocho et aliquot testibus petant de scandalo, &c. sæpe poterit sufficere: t tamen (ut notat Pauwels) si non exigere, saltem iducere, ut consentiant v. g. publicæ meretrices in em veniæ per Pastorem ex suggestu pro ipsis præ-

N. 44. AN, ET QUANDONAM PUERIS DANDA SIT COMMUNIO?

I. *Communio olim dabatur parvulis.* II. *Nunc tantùm habentibus sufficientem discretionem.* III. *Regulariter inter annum decimum et decimum quartum.* IV. *Anticipanda est in articulo mortis.* V. *Et invigilandum per Pastores et parentes.*

I. CERTUM est, infantibus ante usum rationis tam apud Latinos, quàm Græcos, dispensatam olim fuisse Eucharistiam propter convenientes, et specialis illius temporis rationes, ut notat Conc. Trid. sess. 21. cap. 4.

II. Hæc praxis apud Græcos adhuc hodie observatur; sed in Ecclesia Latina pro majori hujus Sacramenti reverentia id nunc est interdictum, etiam in articulo mortis, donec pueri hoc Sacramentum discernere possint et debitè venerari.

Hinc Pastorale Mechliniense: " Pueri ad primam Communionem non admittantur, nisi priùs diligenter examinati et instructi, eâque discretione et ætate sint, ut dijudicare possint Corpus Domini."

Similiter Rituale Romanum: " Iis qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem et gustum habent, administrare non debet."

III. Quâ verò ætate pueri hanc cognitionem et gustum habeant, generali regulâ determinari non potest; alii enim tardiùs, alii citiùs hoc assequuntur. Interim dici solet, quòd addit Pastorale vetus Mechl. sub Mathia Hovio: " Communiter ætas huic rei apta esse solet ab anno 10 usque ad 14:" ita scilicet, ut Communio ordinariè non sit danda citiùs, aut differenda seriùs.

An interim non est annitendum, ut quam citissimè, putà à 10 anno, pueri communicare incipiant?

R. Steyaertius in conclusionibus practicis de administratione Eucharistiæ: favendum citæ Communioni, ut ejus virtus malitiam ætatis præveniat, sed habitâ ratione non solùm capacitatis et instructionis puerorum, verum etiam et maximè probitatis et pietatis, bonæ indolis et educationis:

: contra indoles et prava educatio suadere potest dilationem ongam, (etiam quandoque post annum decimum quartum), ıt major spes affulgeat servandi postea gratiam primæ Communionis.

Porro Parochus, qui citæ parvulorum Communioni favere voluerit, ne, in pagis præsertim, nimis acriter urgeat exequias pro puero tanquam pro adulto fieri, mox ac ille cæperit communicare. Hactenus Steyaertius.

IV. Observent etiam Pastores, tantam non desiderari ætatem, ut quis in mortis articulo possit et debeat Sacro Viatico muniri, quanta requiritur extra mortis periculum. unde Pastoris est infantem ægrotantem instruere et diligenter examinare, quem si idoneum repererit, munire debet Viatico, tametsi antea nunquam communicasset ; tali enim asu urget præceptum Divinum de sumendo Viatico.

V. Et hinc graviter culpandi sunt parentes, qui in casu, ıe solvere debeant majora jura funeralium, negligunt curare, ut Viaticum suis prolibus moribundis administretur ub prætextu, quòd nondum fecerint primam Communioıem. Hoc autem inconveniens facilè evitabitur, si Parohus, casu quo tales proles moriuntur, non urgeat parentes d exequias more adultorum.

N. 45. AN DANDA SIT COMMUNIO AMENTIBUS, ENERGUMENIS, INDECENTER ACCEDENTIBUS, &c.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 9.

I. *Non datur perpetuò amentibus,* II. *Datur mente debilioribus,* III. *Item amentibus non perpetuò.* IV. *Seposito periculo vomitûs, &c.* V. *Item muto et surdo,* VI. *et reis morte,* VII. *Non datur ad probationem criminis,* VIII. *Neque irreverenter accedentibus.*

I. Pueris adhuc carentibus usu rationis annumerantur mentes pleni et perpetui, sive tales, qui nuhquam usu rationis fruuntur: quibus proinde neque in vitâ, neque in nortis articulo licet Communionem administrare.

II. Qui mente debiliores sunt, seu quasi semiamentes,

si interim discretionem sufficientem habeant, ut ferè initio pueri, ad Communionem admittuntur, præmissâ dispositione possibili; sed rariùs, nempe in Paschate et articulo mortis tantùm. Vide Num. 69. *de Pœnitentia.*

III. Amentes pleni, sed per intervalla, admittuntur in lucidis intervallis; sed non in ipsa plena amentia nequidem in Paschate, præterquam in fine vitæ, si nempe, dum antea mentis compotes erant, se non reddiderint indignos, sed vixerint christianè, frequentando Sacramenta, &c.

His annumerantur senes jam præ ætate repuerascentes, item phrenetici.

IV. Supponitur tamen in his casibus abesse vomitionis vel expuitionis, alteriusve irreverentiæ periculum, quod cum non rarò subsit, sæpius talibus non administratur. Ita S. Thom. loco citato Catech; Rom. *de Eucharistia*, Num. 70. et passim Pastoralia. Vide etiam Steyaert *in Appendicibus*, Num. 9.

V. Etiam mutus et surdus debet, inquantùm potest, de hoc Sacramento instrui; et si quidem cognitionem discretionis ac devotionem erga illud ostendat, ad Sacram Communionem admittitur, etiam sæpius in vita. Vide Num. 70. *de Pœnitentia.*

Energumeni seu à Dæmone possessi olim arcebantur à Communione, fortè ob reverentiam; sed nunc, si neque irreverentia peculiaris vel amentia obstet, admittuntur etiam frequentiùs.

VI. Extremo supplicio afficiendis, etiamsi debitè confessis, in Gallia negatur Viaticum, teste Juenin et aliis; sed contrarium habet praxis Belgica juxta Synodum secundam Provinc. Mechl. tit. 7. cap. 6. "Ultimo supplicio afficiendis tempestivè de Sacra Eucharistia provideatur." Et Pastorale: "Damnatis ad mortem debet dari Eucharistia, sed id fiat ante diem supplicii; vel saltem summo manè."

VII. Porrectio Eucharistiæ suspectis de crimine ad probationem vel purgationem ejusdem, cum reliquis probationibus per ferrum candens, aquam ferventem, luctam, &c. (quæ in particularibus Ecclesiis aliquando fuerunt in usu) jam antiquata est, et ab Ecclesia meritò reprobata: quandoquidem augustissimum hoc Sacramentum ad hoc non sit institutum.

VIII. Denique observa, rationem negandi Communionem, etiam publicè, esse, si cum gravi irreverentia externa accedatur: v. g. si accederet ebrius, vel mulier turpiter nudata.

N. 40. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

S. Thom. quæst. 79.

I. Effectus Sacramenti. II. 1°. *Gratia sanctificans.* III. 2°. *Gratia Sacramentalis.* IV. 3°. *Delectatio spiritualis.* V. 4°. *Remissio peccatorum venialium.* VI. 5°. *Præservatio à peccatis futuris.* VII. 6°. *Adeptio gloriæ.* VIII. *Cum resurrectione et immortalitate corporum.*

I. De effectibus Eucharistiæ hîc agitur, quatenùs est Sacramentum; nam quatenùs Sacrificium alios habet effectus, de quibus postea.

Quinam sunt effectus Sacramenti Eucharistiæ?

II. R. Primus est gratia habitualis seu sanctificans, per se secunda, seu ejus augmentum; per accidens tamen gratia prima, ut passim dicitur cum S. Thoma hìc art. 3. in *Corp.* Vide Num. 21. *de Sacramentis in genere.*

Porro huic gratiæ velut proprietates sunt quædam singularis et inexplicabilis Unio, Christi cum homine, hominisque coadunatio ad Christum, de qua Joan. cap. 6. v. 57. et sæpius Sancti Patres, unde consequens est unio fidelium inter se, juxta 1. ad Cor. c. 10. v. 16 et 17.

III. Secundus effectus est gratia actualis seu Sacramentalis, complectens specialia gratiæ actualis auxilia opportuno tempore vi hujus Sacramenti consequendum, scilicet ut vita spiritualis virtutum profectu et meritorum augmento perficiatur, &c.

IV. Tertius effectus est dulcedo et delectatio spiritualis ipsius animæ, quemadmodum cibus corporalis reficit delectando; quinimo, ut S. Thomas hìc. art. in *Corp.* docet: "Omnem effectum, quem cibus et potus materialis facit, quantùm ad vitam corporalem, (quod scilicet sustentat, auget, reparat et delectat), hoc totum facit hoc Sacramentum, quantùm ad vitam spiritualem."

Excellentem tamen differentiam inter hunc cibum spiritualem et corporalem assignat S. Augustinus lib. 7. Conf. cap. 10. loquens in Persona Christi: "Cibus sum grandium; cresce, et manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me."

Nota quòd illa jam dicta delectatio spiritualis sæpe non sit sensibilis; et non tantùm impediatur per negligentiam, teporem, distractionem vel nimium affectum ad terrena; sed sæpe etiam à Deo animabus sanctis negetur ad probationem, &c.

V. Quartus Eucharistiæ effectus est remissio peccatorum venialium, ut docet S. Thom. hic art. 4. quam remissionem causat dupliciter hoc Sacramentum: immediatè et ex opere operato, quemadmodum cibus corporalis reparat quotidianos et minores defectus corporales; ac *mediatè*, quatenùs per hoc Sacramentum excitatur fervor Charitatis, qui directè opponitur peccatis venialibus; unde Concil Trid. sess 13. cap. 2. hoc Sacramentum vocat antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis; illis nempe, quorum non retinetur affectus, et de quibus aliquis dolor seu contritio habetur.

An Eucharistia remittat etiam pœnas peccato debitas?

R. Juxta S. Thomam hìc art. 5. non facit hoc immediatè et directè, quatenùs est Sacramentum: quia sic non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum, &c. potest tamen hoc facere ex consequenti seu indirectè, ut alia opera bona, quatenùs auget Charitatem, &c.

VI. Quintus hujus Sacramenti effectus, de quo S. Thomas art. 6. est præservatio à peccatis futuris; non solùm mortalibus, (quorum à Concilio Tridentino vocatur antidotum) sed etiam à venialibus: et ideo S. Thomas dicit simpliciter: *à peccatis futuris*: quomodo autem id efficiat, vide apud S. Thomam, art. 6. in *Corp.*

Et hinc evenit, quòd frequenter communicantes cum debita præparatione rariùs, imò vix unquàm peccent mortaliter; ubi contrarium sæpe accidit in rarò et quasi coactè communicantibus.

Ex eo tamen, quòd quis iterum peccet mortaliter, non potest inferri, ipsum indignè communicasse, vel effectum Eucharistiæ non esse præservationem à peccatis: quia, ut dicit S. Thom. art. 6. ad 1. "Licèt hoc Sacramentum

quantùm est de se, habeat virtutem præservativam à peccato, non tamen aufert homini possibilitatem peccandi."

VII. Sextus Eucharistiæ effectus, de quo S. Thom. hìc art. 2. est adeptio gloriæ, unà cum resurrectione et immortalitate corporis: hinc dicit Christus Joan. cap. 6. v. 55. *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Et similiter v. 59.

Imprimis causat adeptionem Gloriæ, non tantùm quia est causa gratiæ, quæ est semen Gloriæ; sed specialiter præ aliis Sacramentis, quatenùs Christus Gloriæ largitor continetur in hoc Sacramento ut cibus nutriens et confortans animam in vita spirituali, quâ possit perseverare usque ad tempus, quo Gloria dabitur: unde à Conc. Trident. sess 13. dicitur, *Pignus futuræ gloriæ.*

VIII. Eucharistiæ etiam tribuitur corporis nostri resurrectio; non quasi corpora eorum, qui non communicârunt, non sint resurrectura; sed quia corpora fidelium justorum ratione realis conjunctionis eorumdem cum Christo in hoc Sacramento resurgent speciali titulo: unde et ex hac parte specialem habebunt immortalitatem. Vide Interpretes in cap. 6. Joannis.

Alia quædam inter effectus Eucharistiæ quandoque enumerantur, sed quæ facilè reducuntur ad jam dictos.

N. 47. QUANDONAM EUCHARISTIA CONFERAT GRATIÆ AUGMENTUM?

I. *Eucharistia dat gratiam,* II. *Dum sumitur.* III. *Crescente dispositione,* IV. *Probabiliter crescit gratia, etiam post sumptionem.* V. *Quod populo exponendum in Concione.*

I. Imprimis certum est, quòd Eucharistia non conferat augmentum gratiæ (idem est de gratiâ prima, quæ per accidens confertur) nisi verè et realiter sumatur, seu manducetur vel bibatur; promissa enim est ista gratia reali et Sacramentali manducationi Joan. cap. 6.

Sed quæstio est, quo instanti conferatur gratia?

II. Respondent Steyaert et Daelman, mox eam conferri ab initio manducationis: Suarez et Billuart, cum Hostia trajicitur per guttur: Gonet verò, dum primùm species stomachum attingunt: sed Sylvius respondet, quòd hoc nemo novérit nisi qui efficit.

Tota quæstio pendet ex eo in quo actu consistat manducatio; quam cùm plures ponant in trajectione cibi per guttur, quousque ad ventriculum perveniat, consequenter inferunt, quòd Hostia totaliter in ore consumpta, aut sumpta in ore et ejecta, non causet gratiam; contrarium verò, si jam species ad stomachum trajectæ sint, licèt postea evomantur.

Obj. Cibus corporalis non nutrit, nisi sit corruptus: ergo nec spiritualis; nisi species sint corruptæ.

R. Disparitas fundatur in verbis S. Aug. Num. præcedenti citatis; nempe quòd cibus corporalis nutriat per sui mutationem in substantiam sumentis, quæ mutatio fieri nequit, nisi corrumpatur cibus; sed cibus Eucharisticus nutrit spiritualiter convertendo sumentem in se, ad quod non requiritur specierum corruptio, sed satis est, quòd sumantur juxta institutionem Christi.

III. An crescente dispositione augetur gratia, non tantùm durante manducatione, sed etiam tempore, quo species perseverant in stomacho?

IV. R. Partem negativam sustinent Bonacina, Soto, Billuart, &c. quia effectus hujus Sacramenti tribuitur manducationi, quæ in casu jam supponitur transiisse: affirmant autem Suarez, Wiggers, Steyaert, Henno, Daelman, Pauwels, et Neesen, quia effectus promittitur manducanti, non ratione manducationis (quæ tantùm est conditio sinè qua non, seu per modum applicationis) sed ratione cibi manducati: unde promissio effectûs potest sic exponi (inquit Suarez) ut sub manducatione cibus ut manducatus, quatenùs sic durat, comprehendatur.

Conformiter ad hanc posteriorem sententiam probabiliter sustinetur, quòd, si quis indispositus ad hoc Sacramentum accesserit, et durante Christi præsentiâ (licèt manducatio jam cessaret) se sufficienter disponat, talis consequatur fructum ipsius Sacramenti.

V. Ex quibus intelligitur (ut etiam dictum est Num. 28.) saluberrimum esse, post Communionem per aliquod tempus

Deo vacare per præces, &c. quod in concionibus et Catechismis simul cum plausibilitate hujus posterioris sententiæ admodùm utile erit populo proponere.

N. 48. AN EUCHARISTIA PROSIT ALIIS QUAM SUMENTIBUS?

S. Thom. quæst. 79. *art.* 7.

I. *Sacramentum Eucharistiæ*, II. *Non ex opere operato* III. *Sed operantis potest aliis prodesse.*

I. EUCHARISTIA in ratione Sacrificii prodesse aliis potest quàm sumentibus, inquantùm pro aliis offertur, ut infra latiùs.

II. In ratione Sacramenti non prodest aliis quàm sumentibus ex opere operato; quemadmodum cibus corporalis ex se prodest soli sumenti.

III. Prout tamen Communio est opus communicantis singulariter bonum, ex opere operantis aliis prodesse potest; est enim actus satisfactorius coram Deo, et sic aliis servire potest per modum suffragii: est etiam actus meritorius et ita aliis prodesse potest per modum meriti de congruo, et per modum impetrationis: unde admodum laudabilis est fidelium consuetudo communicandi cum intentione, ut prosit etiam aliis, sive vivis, sive defunctis.

N. 49. DE IMPEDIMENTO EFFECTUS HUJUS SACRAMENTI.

S. Thom. quæst. 79. *art.* 8.

I. *Tria impediunt.* II. *Omnem effectum Eucharistiæ,* III. *Non venialia præterita.* IV. *Sed præsentia.* V. *Impediunt spiritualem dulcedinem.* VI. *Non tamen augmentum gratiæ.* VII. *Licèt minùs perficiatur.* VIII. *Item defectus devotionis voluntarius.*

PRÆNOTANDUM, quòd effectus principalis hujus Sacramenti sit augmentum gratiæ cum sibi inseparabiliter annexis: alii autem sint secundarii.

Quænam impediunt omnem effectum Eucharistiæ ?

II. R. Hæc tria, scilicet defectus Baptismi, defectus intentionis in adulto, et peccatum mortale. Vide Num. 31.

An peccatum veniale impedit effectus hujus Sacramenti ?

III. R. Peccata venialia dupliciter accipi possunt: uno modo, ut sunt præterita, seu in habitu tantùm remanentia secundùm maculam et reatum ; alio modo, ut sunt præsentia secundùm actum vel affectum.

IV. Si agatur de peccatis venialibus præteritis dumtaxat; respondet S. Thomas hìc in *Corp.* quòd illa non impediant hujus Sacramenti effectum : quin potiùs ipsa eorum remissio est hujus Sacramenti effectus, ut dictum est Num. 46.

V. Peccata venialia actu vel affectu præsentia impediunt aliquem sed non omnem effectum ; de quo ita S. Thomas hìc in *Corp.* " Effectus hujus Sacramenti non solùm est adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis : quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis."

VI. Hoc autem augmentum gratiæ habitualis etiam statim obtinetur, ut contra Cajetanum, Contenson et Neesen passim probant Authores ex eo, quòd Sacramenta novæ Legis gratiam conferant non ponentibus obicem : ille autem, qui cum actu vel affectu peccati venialis communicat, non ponit obicem gratiæ habituali ; cùm illud non opponatur gratiæ. Deinde ille seipsum probavit juxta sensum Apostoli, conformiter ad Concilium Trid. sess. 13. cap. 7. et etiam habet vestem nuptialem, de qua eâdem sessione, cap. 8.

VII. Observa tamen, quòd præter spiritualis delectationis amissionem respectu talis minuantur effectus secundarii ; deinde ipsum gratiæ augmentum longè minus sit, quàm alioquin perciperetur, ob minorem nempe dispositionem.

An ad hujus Sacramenti effectum consequendum necessaria est dispositio devotionis actualis ?

VIII. R. Illius defectus accidit dupliciter: vel *voluntariè*, et ita impedit juxta statim dicta ; cùm sic accedens indubiè peccet venialiter: vel *involuntariè*, v. g. per distractionem involuntariam ; et ita impedit actualem delectationem spiritualem, sed non impedit nec minuit alios hujus Sacramenti

effectus: piam communicandi methodum videre est apud S. Franciscum, Salesium, *Introd. ad vitam devotam* part. 2. cap. 21.

N. 50. DE TRIPLICI MODO COMMUNICANDI.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 1, 2 *et* 3.

I. *Triplex communicandi modus.* II. *Sacramentaliter tantùm.* III. *Spiritualiter tantùm.* IV. *Et Sacramentaliter et spiritualiter.*

I. Concilium Trident. sess. 13. cap. 8. triplicem distinguit modum, quo hoc Sacramentum à fidelibus suscipi potest: scilicet sacramentaliter tantùm, spiritualiter tantùm, et sacramentaliter ac spiritualiter simul: quos modos (inquit Catechismus Rom. Num. 58. *de Eucharistia*) docere oportet populum, ut ingentes Eucharistiæ fructus percipere possit.

Quisnam sumit hoc Sacramentum sacramentaliter tantùm?

II. R. ille, qui illius sacramentaliter suscipiendi capax, et (loquendo de adulto) cum intentione suscipiendi Sacramentum realiter illud sumit; sed sinè fructu spirituali, sive nullum ejus effectum consequitur. Talis est, qui cum conscientia peccati mortalis accedit.

Unde qui sumeret Hostiam consecratam, nesciens esse consecratam, sumeret quidem Sacramentum, sed non sacramentaliter, nisi materialiter, sive merè ex parte manducati. Idem dicit S. Thomas de infideli, qui nollet uti ut Sacramento.

Si non baptizatus communicaret cum intentione Sacramenti suscipiendi, sumeret quidem quasi sacramentaliter, nempe ex parte manducati et actu suscipientis, sed non ex parte subjecti capacis sacramentaliter suscipiendi, quantùm ad effectus vi Sacramenti consequendos.

Similiter art. 3. cit. ad 3. dicit S. Thomas, quòd mus aut canis species sacramentales manducans, non sumat sacramentaliter; docens tamen contra aliquos, quòd tunc Corpus Christi non desinat esse sub speciebus, quamdiu hæ manent. Et ibidem in *Corp.* dicit, antiquos quosdam errasse

docentes, quòd Corpus Christi desinat esse sub speciebus sacramentalibus, tam citò quàm labiis peccatoris contingantur.

Quinam spiritualiter tantùm sumunt Eucharistiam?

III. R. Juxta Trid. loco citato: " Qui voto propositum illum Cœlestem Panem edentes, Fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, et utilitatem sentiunt." Et quidem fructum illum vocat S. Thomas hic art. 1. ad 3. effectum Sacramenti; non quia revera Sacramenti effectus est, sed quia analogicè idem est cum fructu Communionis realis, licèt non per omnia. Vide Num. 24. *de Sacramentis in genere.*

Unde patet, praxim communicandi spiritualiter esse summopere commendandam, signantèr infirmis, item fidelibus assistentibus Sacrificio Missæ, item illis, qui frequentiùs quàm expedit volunt sacramentaliter communicare. Quocirca tamen observa, quòd appeti non possit sacramentalis susceptio nisi peragenda illo tempore, quo hoc desiderium est in statu gratiæ: unde existens in peccato mortali non potest spiritualiter communicare, licèt possit Sacramentalem susceptionem desiderare pro futuro, dum nempe illi peccatum erit remissum.

Docet S. Thom. art. 2. Angelos (idem est de Beatis in Patria) non sumere spiritualiter hoc Sacramentum; quia illud realiter sumere non desiderant, utpote Christum facie ad faciem videntes: possunt tamen dici Christum sumere spiritualiter.

Nec propriè Sancti veteris Testamenti spiritualiter sumebant hoc Sacramentum, etsi figuras cum quodam veritatis desiderio sumerent, ut insinuat Sanctus Thomas, art. 1. ad 3. quia sumptio spiritualis supponit Sacramentum institutum et existens.

IV. Quis sumit sacramentaliter et spiritualiter simul?

R. Qui illud realiter et dignè suscipit, Sacramenti hujus effectus consequendo; ut justus.

5. DE TEMPORE COMMUNIONEM PROHIBENTE.

Ordinariè non dispensatur post meridiem, II. *Vel de nocte.* III. *Nec feriâ sextâ in Parasceve.* IV. *Nec emporè interdicti localis.* V. *Nec pluries de die.*

AN aliquo tempore prohibetur hujus Sacramenti dispenio?

. R. Sylvius in art. 10. quæst. 80. S. Thom. docet, d, seposito scandalo, homo jejunus omni horâ diei comnicare possit; attamen extra Viatici casum vel alterius essitatis, hora congruentior et juxta Ecclesiæ consuetinem retinenda est antemeridiana.

I. Benedictus XIV. lib. 8. *de Sacrificio Missæ* c. 18. m. 13. etiam refert decretum Sacræ Rituum Congregaiis de die 7. Decembris, 1641., quo prohibetur, ne in te Nativitatis Domini post Missam in media nocte detatam successivè celebrentur aliæ duæ, neque adstanis Eucharistia distribuatur.

II. Quoad feriam 6. in Parasceve Domini dicit Beneus XIV. cap. cit. Num. 14. certum esse non esse inris eo die tribuendam Eucharistiam; cùm talis sit Ecliæ Romanæ usus, quem servari in hoc puncto etiam ndat Decretum Congregationis de quotidiana Commune emanatum die 12. Februarii, 1697.

Quod attinet Sabbatum Sanctum, inquit idem eodem o, communem existimamus servandam esse consuetudi- nullis nisi infirmis Eucharistiam ministrandi; verùm consuetudo non videtur in hac Regione communis.

IV. Eucharistiæ dispensatio prohibetur tempore interti localis: excipitur tamen Viaticum juxta cap. QUOD TE, *de Pœnit. et Remis.* Lib. 5. Decret. tit. 38.

V. Quarto præcepto autem Ecclesiastico vetitum etiam pluries eodem die communicare: cujus rationes conientiæ allegat S. Th. quæst. 80. art. 10. ad 4. scilicet òd Eucharistia dicatur panis quotidianus, et ut ita reesentetur unitas Passionis Christi: excipiuntur tamen idam casus, de quibus nunc agendum.

N. 52. QUIBUS CASIBUS LICEAT PLURIES DE DIE COMMUNICARE.

I. 1°. *In Domini Nativitate.* II. 2°. *Ad binandum ex Episcopi commissione.* III. 3°. *et* 4°. *Ad perficiendum Sacrificium, &c.* IV. 5°. *Item ad communicandum infirmum;* V. *Et ex privilegio.*

I. PRIMUS casus est in Sacerdotibus, quibus in die natali Domini conceditur ter celebrare, ad recolendam triplicem Christi nativitatem; scilicet 1°. (et hoc per tertiam Missam) æternam ex Patre: 2°. (et hoc per primam) temporalem ex Virgine Matre: et 3°. (per secundam) spiritualem per gratiam in cordibus fidelium, vel juxta alios per Resurrectionem, quando Christus quasi de terra natus est, teste Apostolo Actor. 13. v. 33.

Alii dicunt per triplicem celebrationem significari, quòd Christus natus sit in salutem eorum, qui erant ante Legem, sub lege, et qui post legem futuri erant sub Evangelio.

Porro non obligantur Sacerdotes, seposito scandalo (quod posset in Pastoribus habere locum) ter illâ die celebrare, uti nec populus tres Missas audire: qui autem unicam celebraret convenientius juxta Gavantum diceret tertiam, cujus oratio cum officio concordat.

II. Secundus casus est in Sacerdotibus, qui ex commissione Episcopi debent binare, v. g. Pastor, qui solus tenetur duabus Parochiis, aut uni valde numerosæ deservire.

III. Tertius et quartus casus est in necessitate perficiendi Sacrificium: item dum est periculum profanationis Eucharistiæ, juxta dicta supra numero 33 et 37.

IV. Quintum casum, sed ferè metaphysicum allegat Preinguè, nempe quòd Sacerdos iterato posset celebrare, si hoc necessarium foret ad communicandum infirmum, dum Sacerdos adhùc est jejunus: quod fieri posset, si sub Sacro admoneretur ante sumptam ablutionem, sed post Communionem Corporis; si enim antea admoneretur, posset infirmo dare partem Hostiæ majoris jam consecratæ.

V. Sextus casus est ex singulari privilegio: et ita Benedictus XIV. concessit omnibus Sacerdotibus in Regno Hispaniæ et Lusitaniæ commorantibus tres Missas celebrare in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, sic tamen ut duæ Missæ pro omnibus defunctis celebrentur gratis, seu sine ulla eleëmosyna.

Ultra casus enumeratos alter inter Authores controvertitur, scilicet:

53. AN VIATICUM SIT DANDUM ILLI, QUI EADEM DIE EX DEVOTIONE COMMUNICAVIT?

I. *Casus controversus*, II. *Circa quem tres sententiæ.*

I. Casus est hic: aliquis manè ex devotione celebravit vel communicavit; et postea eodem die incidit in mortis periculum: an nempe tunc talis possit ac debeat eodem die iterum communicare per modum Viatici?

II. R. Tres sunt circa hoc sententiæ:

Prima: aliqui volunt, talem quidem posse, sed non teneri iterum communicare; sed hi non videntur consequenter loqui: quia quòd talis posset, deberet esse ob præceptum divinum de sumendo Viatico: ergo etiam teneretur.

Secunda sententia, quam amplectitur Pauwels et plures alii, teste Benedicto XIV. affirmat, talem posse et debere iterum communicare: quia præceptum divinum est (ut infra latiùs dicetur) communicandi in mortis articulo; huic autem talis nondum satisfecit; cùm manè dum communicavit sanus, necdum obligaret; et cui præcepto utpote divino cedere debet Ecclesiasticum non communicandi bis de die.

Tertia sententia, quam inter alios tenent Suarez, Wigers, Steyaert et Billuart, negat, talem posse vel debere communicare: quia scilicet convenienter non potest, et sic cessat præceptum divinum.

Accedit, quòd talis moraliter adhuc Viaticum apud se habeat, quod intentione saltem interpretativâ tanquam tale sumpsit.

In tanta, inquit Benedictus XIV. lib. 7. *de Synodo Diœc.* cap. 11, num. 3. opinionum varietate Doctorumque discrepantia

pantia integrum erit Pastori eam sententiam amplecti, quæ sibi magis arriserit. Billuart verò dicit, quòd quisque in his attendere debeat usum suæ Ecclesiæ.

Interim quàm prudentissimè faciunt illi, qui quotiescumque communicant, formant intentionem conditionatam sumendi pro Viatico, si fortè postea hoc Sacramentum amplius suscipere non possent.

Qui autem heri communicavit, et hodìe incideret in mortis periculum, probabiliùs obligatur sumere Viaticum, ut contra Neesen sustinent communiùs. Idem à fortiori dicendum contra aliquos, si non nisi à 4. vel 5. aut pluribus diebus communicavit.

N. 54. DE FREQUENTIA COMMUNIONIS.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 10.

I. *Observanda circa quotidianam Communionem.* II. *Laudabile est sæpè communicare:* III. *Et hoc Pastor promovebit.* IV. *Per erectionem confraternitatis.* V. *Singularis dispositio ad frequentem Communionem.* VI. *Regula S. Thomæ.* VII. *Dispositio pro frequenti celebratione.*

An et quomodo consulenda est frequens Communio?

I. R. 1°. S. Thomas ex professo inquirens circa Communionem quotidianam hìc in *Corp.* habet sequentia: Circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari; unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris: et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione et reverentia ad hoc Sacramentum accedat: et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quòd quotidie sumat.

Unde S. August. cùm dixisset: *accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit;* subjungit: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere;* sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ: non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum.

2°. Licèt ex reverentia et humilitate aliquando laudabiliter ad tempus ab Eucharistia abstineatur, per se tamen laudabilius est ex amore accedere quam ex reverentia abstinere. Vide S. Thom. hìc ad 3.

2. 3°. Unusquisque alliciendus est ad frequentem Communionem, habitâ ratione statûs, conditionis et temporis uniuscujusque: & sic adhortari oportet populum ad Confessionem et Communionem diebus solemnibus, indulgentiarum, quadragesimæ, adventûs, &c.

III. Ita præcribit Pastorale Mechliniense: Parochus summum studium in eo ponat, ut populus sibi commissus ad debitum tanti Sacramenti cultum, et ad frequentem ejus usum, maximè solemnioribus diebus excitetur.

Sic etiam S. Franciscus Salesius, *Introduct. ad vitam devotam* parte 2. cap. 20. Quanquam hoc certò et audacter dicere queam, eos, que devotè Deo servire volunt, non posse minùs quàm singulis mensibus communicare.

IV. Ad hanc autem Communionem singulis mensibus promovendam, plurimùm conducit, quòd in Ecclesia Parochiali sit aliqua confraternitas, v. g. de Venerabili vel sub alio titulo, ut sic Parochus suis exhortationibus inducere possit populum ad saltem singulis mensibus confitendum et communicandum: quam confraternitatem in Parochiis, in quibus non habetur, erigi jubet Humbertus à Præcipiano in Epistola sua Pastorali secunda.

Dicitur *Saltem singulis mensibus*: unde summè culpanda est quorumdam Pastorum incuria, qui non nisi tunc, seu singulis mensibus tantùm se in confessionali præsentant.

V. 4°. Circa quotidianam aut hujusmodi frequentem Communionem certa pro omnibus statui non potest regula; quocirca ita scribit S. Franciscus Salesius loco cit. "Quotidie Eucharistiam suscipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen Dominicis communicandum suadeo, si tamen mens sinè affectu peccandi fuerit. *Et in fine ejusdem capitis*: ad singulis octavis communicandum requiritur, ut quis sit ab omni peccato mortali, et erga peccatum veniale affectu desiderioque liber, ardensque communicandi desiderium habeat; verùm ut quotidie ad sacras epulas quis accedat, potissimam præterea malarum suarum inclinationum partem superârit necesse est, et non nisi Patris sui spiritualis cum consensu consilioque id aggredi debet.

Obj. Si à tam frequenti Communione removeri debeat, qui venialibus affectu inhæret, sequitur, quòd vix justiores sint ad eam admittendi: cùm et ipsi offendant in multis.

R. Nego sequelam: aliud enim est peccare venialiter, etiam frequenter, ex inadvertentia, subreptione vel naturæ infirmitate: aliud autem est affectu ad venialia detineri, quod sonat adhæsionem peccato ex inordinatâ complacentia: unde licèt priori modo peccent etiam justiores, non tamen posteriori.

VI. Observanda hìc etiam est regula, quam ab ipsa experientia desumit S. Thomas in 4. dist. 12. q. 3. art. 1. quæstiunc. 2: Si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; si autem sentiret, per quotidianam frequentationem reverentiam minui, et fervorem non multùm augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia et devotione postmodùm accederet. Hæc autem regula etiam applicari potest frequenti, licet non quotidianæ Communioni.

Legi etiam meretur Decretum Romanum circa quotidianam communionem de 12. Febr. 1679. approbatum per Innocentium XI. quod habetur apud Steyaert *in Append.* tom. 2. et apud Billuart fol. 383. Vide etiam ambas Epistolas Pastorales Humberti à Præcipiano, quæ habentur ad calcem Synodorum Mechliniensium.

Ex his omnibus clarè patet, quò frequentior est Communio, eò majorem requiri dispositionem.

Quid igitur de Sacerdotibus quotidie vel frequenter celebrantibus?

VII. Respondet Steyaert: quod spectat ad eorum dispositionem, planè tenendum est, non minorem sed potiùs majorem, et ut quotidie, vel frequenter conficiant et sumant, requiri puritatem et devotionem, quàm in Laicis, qui sumunt dumtaxat: unde excusandi non sunt Sacerdotes, qui mores suos conformiter ad dignitatem suam componere non curant.

Faciliùs tamen possunt esse rationes, quare, Laicus, etsi satis et æquè dispositus tantisper abstineat potiùs, quàm Sacerdos; cùm hujus officium sit celebrare.

Unde quotidie, sive quàm frequentissimè celebrare est valde commendandum juxta monitum Venerabilis Bedæ: imò pluribus probat Benedictus XIV. lib. 3. *de Sacrificio Missæ* cap. 2. magis consentaneam esse Christi et Ecclesiæ sensui quotidianam Missæ celebrationem, modò cùm iis, quibus æquum est, dispositionibus fiat.

Facilè tamen usu venire potest, quod in persona Sacerdotis ait Thomas à Kempis lib. 4. c. 3. "Licet omni die non sim aptus, nec ad celebrandum bene dispositus, dabo tamen operam congruis temporibus Divina percipere Mysteria, ac tantæ gratiæ participem me præbere."

Caveant sedulò animarum Directores, ne indiscretis sermonibus fideles à frequenti communione retrahant: quia cùm ordinariè ad illam frequentiam non inclinent nisi pii et timorati, his nocebunt, et aliis non proderunt: non ideo tamen reticendæ vel minuendæ sunt requisitæ dispositiones.

Finaliter hìc nota, populo etiam inculcandum esse frequentem hujus Sacramenti cultum et adorationem: hinc triumphales illæ cum Venerabili Processiones et solemnes expositiones: curandum tamen est, ne in his nimia frequentia vel ornatus nimis exiguus contemptum pariat vel minorem reverentiam. Vide Syn. Prov. Mechlin. primam tit. *de Sacramentis* et secundam tit. *de Eucharistia* cap. 8. ac Epistolam Pastoralem Alphonsi de Berges, Archiepisc. Mechlinien*s*is, de die 1. Februarii 1675, quam refert Pasmans.

N. 55. DE NECESSITATE SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

S. Thom. quæst. 73. *art.* 3.

I. *Susceptio Eucharistiæ* II. *Non est necessaria necessitate medii.*

I. Inquiri potest de duplici necessitate, scilicet medii et præcepti: de necessitate præcepti, tam divini quam Ecclesiastici, dicetur infra.

An susceptio Eucharistiæ est necessaria necessitate medii ad salutem in re vel in voto?

R. Negativè: quia ex sui institutione est Sacramentum vivorum, non conferens primam gratiam, sed supponens

collatum: ergo independenter ab ejus susceptione potest homo habere omnia requisita ad salutem.

Obj. I. Joan. cap. 6 v. 54 dicit Christus: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* ergo, &c. Probatur consequentia: ex Joan cap. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest,* &c. colligitur necessitas Sacramenti Baptismi: ergo, &c.

R. Disparitas est potissimùm petenda ex utriusque loci diversa interpretatione per Ecclesiam et Sanctos Patres, ac ex natura utriusque Sacramenti: etenim Baptismus institutus est ut renascentia spiritualis, quæ ad spiritualem vitam et salutem omnibus est necessaria: Eucharistia autem est instituta ut cibus spiritualis: adeoque in suscipiente vitam spiritualem præsupponit, et consequenter omnia necessaria ad salutem; ita ut sensus reddi debeat: *Nisi manducaveritis, &c.* non perseverabitis in vita, ut sit vobis æterna.

Datur ergo hìc præceptum sub pœna mortis æternæ, sed extendens se ad solos adultos, ad quos solummodo sermo Christi dirigitur; qui tamen adulti à prævaricatione hujus præcepti per impotentiam vel aliter possunt excusari: alia autem locutio: *nisi quis renatus fuerit* et generaliter omnes, etiam parvulos complectitur.

Obj. II. S. Augustinus in variis locis verba Christi: *nisi manducaveritis, &c.* extendit etiam ad parvulos: ergo, &c.

R. Non loquitur S Augustinus de manducatione sacramentali, neque verba Christi sumendo in sensu litterali, sed tantum intelligendo de participatione mystica Corporis Christi inquantum per Baptismum Christi et Corpori ejus mystico (quod est Ecclesia) parvuli incorporantur. Ita S. August. explicat ejus discipulus S. Fulgentius citatus apud Daelman *de Eucharistia,* obs. 1. vide etiam sanctum Thomam hìc ad 1. et quæst. 80. art. 9. ad 3.

N. 56. DE PRÆCEPTO DIVINO COMMUNICANDI.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 11.

Præceptum divinum communicandi II. *Obligat adultos* III. *In articulo mortis,* IV. *Et per se sæpius in vita,* V. *Et per accidens.*

An datur præceptum Divinum sacramentaliter communicandi?

I. Affirmativè; de quo S. Thomas hìc in *Corp.* ait: Manifestum est, quòd homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Lucæ cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*" Vide etiam Trid. sess. 13. cap. 2. Idem ulterius probatur ex verbis Christi: *Nisi manducaveritis,* &c. de quibus N. præcedenti.

II. Hoc Divino præcepto omnes et soli tenentur adulti, qui nempe ad annos discretionis pervenerint, juxta dicta Num. 44. Vide Trid. sess 21. can. 4.

III. Quandonam obligat hoc præceptum?

R. 1°. Ex communi contra paucos sententia per se obligat in articulo mortis, ut Eucharistia sumatur per modum Viatici; tunc enim acriores sunt hostium insultus, contra quos Eucharistia tanquam antidotum confortans est instituta: hinc universalis Ecclesiæ praxis et maxima sollicitudo tunc Viaticum administrandi.

Articulus mortis censetur juxta Rituale Rom. et Pastorale Mechl. dum probabile est, quòd hoc Sacramentum ampliùs suscipi non poterit, sive morbo naturali id fiat, sive ex quacumque alia causa: unde colligitur, Jure Divino ad Communionem teneri mulieres prægnantes, quæ regulariter cum summa difficultate et mortis periculo pariunt, periculosè navigaturos, præliaturos, &c. Si nempe tempus suppetat, et communicandi detur occasio.

Obj. Ecclesia olim moribundis ob quædam crimina Eucharistiam denegavit; et nunc in aliquibus locis ad mortem damnatis negat: ergo, &c.

R. Nunquam in alterutro casu fuit talis praxis universalis Ecclesiæ, eamque particularium quarumdam Ecclesiarum disciplinam improbant plures Theologi.

An ille, qui in articulo mortis non communicavit, tenetur illo transacto communicare ?

R. 1°. Negativè ; si nempe aliunde non obligetur ; quia tempus in casu non est solummodo appositum ad sollicitandam obligationem (ut fit v. g in Communione Paschali) sed ad illam simpliciter finiendam ; ut v. g. ad audiendam Missam die festo.

IV. 2°. Præceptum communicandi per se obligat etiam pluries in vita : tum quia hoc Sacramentum institutum est per modum cibi spiritualis, tum in jugem Passionis et Mortis Christi memoriam.

Quoties autem in decursu vitæ per se obliget jure divino, determinatum non invenitur ; unde juxta Steyaert, Dælman et Billuart contra Pauwels, censetur per se loquendo illi satisfacere, qui semel in anno communicat ; quia cùm Ecclesia non plus exigat, non satis saluti fidelium providisset, si præceptum divinum plus requireret.

V. 3°. Præceptum divinum potest etiam sæpius obligare per accidens, v. g. si alicui videatur hoc Sacramentum tanquam medium quodammodo necessarium ad resistendum gravi tentationi, &c.

N. 57. DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE.

S. Thom. quæst. 80. *art.* 12.

An ex præcepto divino Eucharistia sumi debet sub utraque specie, scilicet Panis et Vini ?

R. 1°. Sacerdotes celebrantes jure divino tenentur communicare sub utraque specie ab ipsis consecratâ : quia id pertinet ad integritatem Sacrificii.

2°. De fide est, Laïcos et Clericos non conficientes nullo præcepto divino ad sumptionem utriusque speciei obligari. Ita post Conc. Constantiense contra Hæreticos definivit Concilium Tridentinum sess. 21. canone. 1. " Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eu-

charistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit. " Latè id probat idem Conc. sess. eâdem, cap. 1.

Objiciunt Hæretici praxim primitivæ Ecclesiæ, juxta quam omnes fideles sub utraque specie communicabant.

R. Verum quidem est, usque ad sæculum duodecimum passim in usu fuisse Communionem sùb utraque specie; sed negatur, eam usurpatam fuisse tanquam necessariam et ex præcepto divino; cùm sæpius, seu publicè, seu privatim, etiam tunc fieret sub unica specie, putà in Communione infirmorum, item dum tempore persecutionis fideles Eucharistiam sub sola specie Panis domum asportabant, &c. ut latiùs videri potest apud Tournelly et Collet. Successit tempus, quo in diversis Ecclesiis diversus mos vigeret, ut de suo testatur S. Thomas hìc in *Corp.* Tandem ad evitanda incommoda (quæ vide in Catechismo Rom. *de Eucharistia* Num. 72. et apud Billuart fol. 393.) usus Calicis abrogatus est, et in Conc. Constantiensi sess. 13. Decretum, ut Laïci et Clerici non conficientes communicarent sub specie panis tantùm, quod postea à Tridentino est confirmatum.

Objiciunt præcipuè ex Scriptura verba Christi Joan. cap. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

R. Christus ibi non præcipit modum sumendi, sive manducare et bibere seorsim; sed præcipit sumere rem ipsam, scilicet Corpus et Sanguinem suum, quæ æquè sub una ac sub utraque specie continentur.

Deinde licèt particula *et* de se sit copulativa, sæpe tamen in Scripturis sumitur disjunctivè, ut v. g. Actor. cap. 3. v. 6. *Argentum et Aurum non est miki.* Hic autem particulam et divisim esse accipiendam, docet series contextûs, cùm paulò post addatur: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* hoc autem falsum foret, si sumeretur copulativè. Idem insinuat Apostolus I. ad Cor. cap. 11. v. 27.

3°. Aliqui respondent, ibi quidem datum esse præceptum de sumptione utriusque speciei, sed illud datum esse Ecclesiæ implendum per aliquos, putà Sacerdotes celebrantes, non per singulos.

Objiciunt etiam varios Sanctos Patres, qui, dum de Eucharistia sermonem habent, referunt eam sub utraque specie ex lege et præcepto à fidelibus sumendam.

R. Quòd illi Sancti Patres attendant ad usum communem suis temporibus communicandi sub utraque specie; qui hoc ipso quo erat communis ex recepta Ecclesiæ disciplina, poterat dici lex et præceptum; præsertim cùm aliquando revera fuerit lata lex de Communione sub utraque specie ad detegendos Manichæos, qui inter fideles latentes nolebant sumere sub specie Vini, quod commentabantur esse fel Draconis seu Diaboli. Nulli autem Sancti Patres dixerunt, utriusque speciei sumptionem esse juris Divini.

I. An ergo de facto non licet ulli quàm Sacerdoti communicare sub utraque specie?

R. Licet in certis casibus: et sic 1°. cùm alioquin Calix ab Hæreticis, &c. esset profanandus, seu in alio etiam periculo perditionis, irreverentiæ, &c.

2°. Ex speciali privilegio, v. g. quod datur Regibus Galliæ in eorum inauguratione, &c.

II. Casus, quo infirmus deberet mori sinè Viatico, nisi sumeret de Calicè consecrato, metaphysicus est: et equidem tunc rectiùs videretur dicendum, quòd cessaret præceptum divinum de sumendo Viatico.

N. 58. AN MAJOR CONFERATUR GRATIA PER UTRAMQUE SPECIEM, QUAM PER UNICAM.

I. *Sumptio utriusque speciei* II. *Non confert per se loquendo* III. *Gratiam sanctificantem.*

I. Resp. 1°. Potest conferri major gratia *per accidens* ratione majoris dispositionis, ut si in sumptione secundæ speciei intendatur fervor charitatis.

2°. De fide est ex Conc. Trid. sess. 21. cap. 3. "Nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt."

3°. Unde tantùm quæstio est, quæ Catholicè disputatur an sumptione utriusque speciei conferatur *per se loquendo* major gratia, licèt non sit necessaria ad salutem.

II. R. Communior et ad sensum Trid. sess. 21. cap. 1. conformior est sententia negativa.

Probatur: non potest conferri major gratia ratione specierum, utpotè quæ ex se non causent gratiam: atqui nec ratione rei contentæ; quia totus et integer Christus continetur æquè sub una, ac sub utraque specie; nec etiam ex

o, quòd bis eodem tempore sumatur; quia aliàs sequetur, quòd Sacerdos, qui duobus aut tribus haustibus sumeret Sanguinem, plus gratiæ reciperet, quàm qui unico haustu Calicem ebiberet; item si plures formulas seu species integras per modum unionis refectionis sumeret: ergo, &c. Vide dicta Num. 6.

Obj. Sacramenta efficiunt quod significant: adeoque hæc plus significant, plus operantur: atqui ambæ species plus significant, nempe plenitudinem refectionis spiritualis: ergo, &c.

R. Verum est, quòd utraque species perfectiùs repræsentet refectionem spiritualem, quàm altera sola, si attendatur modus significandi; non autem si attendatur res significata, quam efficiunt: quia eadem est spiritualis unio et animæ refectio, quæ sive per utramque, sive per alteram speciem significatur et efficitur. Vide Num. 6.

Quandonam communicans sub utraque specie percipit gratiam sanctificantem?

III. R. In sumptione primæ speciei: nec ideo sumptio secundæ speciei dici debet inutilis; cùm fiat juxta Christi institutionem: deinde conducit ad expressiorem convivii spiritualis significationem; et etiam per accidens potest augere gratiam, augescente nempe dispositione.

N. 59. DE PRÆCEPTO ECCLESIASTICO COMMUNIONIS.

I. *Præceptum Communionis Ecclesiasticum,* II. *Obligat solos baptizatos,* III. *Etiam infirmos,* IV. *Et injustos.*

An datur præceptum Ecclesiasticum Communionis?

I. R. Affirmativè: nempe quod vulgò recitatur inter quinque Ecclesiæ præcepta, et quod latum est in magno Concilio Lateranensi can. 21. sub Innocentio III. anno 1215. referturque in Jure Canonico lib. 5. Decret. tit. 38. cap. 12. his verbis: "Omnis utriusque sexùs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti..suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eu-

charistiæ Sacramentum: nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis ob oliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiani careat sepulturâ."

Et Conc. Trid. sess. 13. can. 9. "Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexûs cùm ad annos discretionis pervenèrint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ; anathema sit."

Quinam tenentur hoc præcepto Ecclesiastico?

II. R. Imprimis dicit Conc. Lateranense: *Omnis utriusque sexûs fidelis;* quo significatur solus baptizatus, utpote solus Ecclesiæ subditus: et in hoc differt hoc præceptum à divino, quod omnes obligat, scilicet fideles simpliciter et infideles, ut convertantur et sic baptizati communicent.

Addit Concilium: *Postquam ad annos discretionis pervenerit:* unde observa, majorem requiri discretionem ad communicandum, quàm ad confitendum. Vide Num. 44. et *de Pœnit.* Num. 68. Discretio autem in pueris explorari debet per Catechismos tempore quadragesimæ instituendos.

III. Hoc præcepto etiam tenentur infirmi, ut præscribit Pastorale Mechl. ipsis Parochis: Ægrotis parochianis etiamsi extra præscriptos Paschales dies Communionem sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferet ac ministrabit.

IV. Tenentur etiam peccatores, ut scilicet se disponant, et ita dignè communicent: unde peccat contra hoc præceptum, prout etiam contra divinum, qui malitiosè ponit impedimentum ejus impletioni, non volendo se disponere.

60. QUANDONAM OBLIGET PRÆCEPTUM ECCLESIASTICUM COMMUNIONIS?

Præceptum Ecclesiæ importat annuam Communionem II. *Tempore Paschali.* III. *Qui non communicant in Paschate,* IV. *Debent sub gravi* V. *Quam primùm communicare,* VI. *Licèt intra annum communicassent.* VII. *Prævidens impedimentum tempore Paschali,* VIII. *Tenetur prævenire.* IX. *Licèt tamen infra annum communicasset.* X. *Et impedimento sublato, iterum communicare.*

I. Resp. Obligat ad communicandum singulis annis, idque Paschate: "Incipit autem Pascha (inquit Synodus cunda Prov. Mechl. tit. 7. cap. 5.) ad hunc effectum in ominica Palmarum, et durat usque ad Dominicam in lbis inclusivè."

Ita fert consuetudo apud nos, licèt in quibusdam locis mpus Paschale ad hunc effectum latiùs extendatur.

II. Unde observa, quòd illud præceptum reipsa duo imrtet: 1°. ut ad minus semel in anno communicetur. 2°. t illa communio fiat tempore Paschali: tum quia illo mpore Christus hoc Sacramentum instituit, et mortem biit, cujus est memoriale; tum ut Pastores meliùs invilare possint, an omnes eorum subditi huic præcepto satisciant. Hinc qui communicant ante quindenam Paschan, debent iterum in illa communicare.

An ille sive qui culpabiliter, sive non culpabiliter non comunicavit in Paschate, fit liber à præcepto usque ad sequens ıscha?

III. R. Negativè; quià, ut mox dictum est, Ecclesiæ æceptum duo importat; et quidem directè cadit in ipsam ɔmmunionem, et secundariò tantùm in hoc vel illud tems: ergo licèt tempore elapso, præceptum quoad circumıntiam temporis impleri non possit, quoad ipsam tamen substantiam impleri debet.

IV. Unde practicè dicendum, quòd talis augeat continuò um peccatum omissionis, quamdiu ulteriùs differt sinè sta causa, et consequenter in confessione desuper est in-

terrogandus : sicuti si quis tempore præfixo non solvit suum debitum, non ideo extinguitur obligatio solvendi, sed è contra urget magis.

V. Hinc certum est, quòd ille, de quo in casu, si ab anno sive in Paschate præcedenti non communicavit, teneatur quamprimum moraliter potest communicare, utpote aliàs continuaturus suum peccatum omissionis.

VI. Qui autem à pluribus annis non communicavit propterea non tenetur jam pluries communicare. Si verò supponatur, quòd talis, de quo in casu, tempore intermedio v. g. in Natali Domini communicaverit, sustinent Henno et Billuart, quòd jam, transacto tempore Paschali, non teneatur communicare quamprimùm, sed possit differre usque ad finem anni computandi à tempore ultimæ Communionis: sic enim observabit præceptum pro ea parte, qua adhuc potest, scilicet non differendi Communionem ultra annum: sed Suarez et Collet contrarium sustinent: quia intentio Ecclesiæ pro annua Communione designantis tempus Paschale est ad urgendam obligationem, ulteriorem moram continuò prohibendo: et ideo etiam Superiores Ecclesiastici urgent, si quis in Paschate non communicaverit, ut id quamprimùm faciat; unde hæc posterior sententia in praxi est tenenda.

An ille qui prævidet futurum impedimentum communicandi in quindena Paschali, teneatur illud tempus prævenire ?

VII. R. 1°. Si, quindenâ Paschali jam inchoatâ, prævideat impedimentum communicandi ultimis diebus ejusdem, tenetur primis diebus adimplere præceptum, utpote quod modo urget: sicuti prævidens die festo impedimentum audiendi ultimum Sacrum, debet aliud priùs audire.

VIII. 2°. Si, quindenâ nondum inchoatâ, prævideat futurum impedimentum per totam quindenam et ab ultimo Paschate non communicaverit, tenetur quindenam prævenire. Similiter licèt post ultimum Pascha communicaverit, si prævideat continuum impedimentum communicandi infra annum ab ultima Communione.

Si verò post ultimum Pascha communicaverit, et etiam habeat opportunitatem communicandi infra annum ab ultima communione, probabile est, quòd non teneatur præ-

ıire, sed satisfaciat communicando post illam quinde-
m.

IX. Generatim tamen et sinè distinctione dicit Steyaert, ɔd prævidens, se in Paschate ratione impedimenti non mmunicaturum, prævenire debeat potiùs, quàm postea ɔplere; nisi fortè cum Pastoris licentia; hæcque sen-ıtia tutior est: unde etiam monet Pontas, satiùs esse, ut, ı hoc anno etiam Eucharistiam recepisset, eandem adhuc te tempus Paschale reciperet.

An ille, qui prævenit tempus Paschale, quia timebat pedimentum futurum, iterum in quindena Paschali de-ıt communicare, si ipsum impedimentum reverâ non ɔsit.

X. R. Hoc disputatur utrimque probabiliter; sed quia iones sententiæ negativæ non sunt convincentes, ideo ictè monendus quisquis Communionem anticipavit, ut nuò, cùm potest, in Paschate communicet.

61. A QUO, ET UBI SUMENDA SIT COMMUNIO PASCHALIS?

A proprio Pastore, II. *Vel ejus delegato.* III. *Exempti.*

I. Resp. Sumenda est è manibus proprii Sacerdotis: id idem in Cap. Omnis utriusque sexus, directè non di-ur; sed sufficienter insinuatur ex eo, quòd Ecclesia præ-ıiens Confessionem annuam proprio Sacerdoti faciendam, tim subjungat: *suscipiens reverenter,* &c. item ex eo, ɔd statim post de eodem iterum mentio fiat pro danda ɛntia Communionem differendi.

Id etiam constat ex consuetudine vim legis habente: hoc rationabiliter, nempe ut meliùs invigilare posset Pa-ɨhus, an omnes Ecclesiæ præcepto satisfaciant.

Per proprium Sacerdotem itaque intelligitur Pastor seu rochus, et procedendo à minori ad majus, etiam Episcopus ɔprius et Pontifex. Intelliguntur etiam delegati à store.

II. Nomine proprii Sacerdotis nullatenus venient Reli-ɛi, qui quamvis ex Pontificis concessione possint exci-ɐ confessiones tempore Paschali, non tamen Commu-

nionem Paschalem distribuere : etenim pro confessione speciales sunt rationes, quæ non militant pro Communione; signanter libertas conscientiarum, et quòd faciliùs omnes de manu Parochi aut ejus delegati possint communicare, quàm eidem omnes confiteri.

Conformiter ad decret. Synodi I. Prov. Mechl. tit. *de Sacramentis*, cap. 5. observatur, præsertim in Parochiis ruralibus, ut qui alteri quàm Pastori confessi sunt, adferat tempore Paschali testimonium seu scedulam confessionis. Vide Num. 164. *de Pœnitentia.*

Ubinam Communio Paschalis est sumenda ?

R. Absolutè non debet suscipi in Parochiali Ecclesia; cùm extra illam possit Pastor eam suo subdito administrare; quia tamen id fieri vix solet, ideo generatim dici potest, Communionem Paschalem faciendam esse in Parochia seu Ecclesia Parochiali.

Unde qui v. g. apud Religiosos communicaret, licèt in quindena Paschali, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ. Ita etiam declaravit S. Congregatio anno 1638.

An satisfaceret, qui communicat in Ecclesia Metropolitana aut Cathedrali, quæ non est ejus propria Parochia?

R, Sententia negativa practicè certa videtur : tum quòd nomine Parochiæ intelligatur Parochia unicuique respectivè propria, tum quòd alioquin non satis dignosceretur, quinam præceptum adimpleant; tum denique quia usus est contrarius.

An et quinam eximuntur ab obligatione communicandi in Ecclesia Parochiali ?

III. R. 1°. Ex consuetudine satisfacit Sacerdos ubivis celebrando intra quindenam : observant tamen aliqui, quòd Sacerdos, qui non intendit celebrare toto tempore Paschali, teneatur communicare in Ecclesia Parochiali.

2°. Omnes Religiosi, quibus sufficit recipere Communionem Paschalem in suis Ecclesiis; sub Religiosis autem comprehenduntur Novitii.

Idem plures dicunt de Religiosorum famulis et commensalibus; sed attendenda est variorum locorum consuetudo: quia contrarium præscripsit Synodus Buscoducensis sub Masio, tit. 7. cap. 17. et Sanctus Carolus Borromæus in Conc. 5. Mediolanensi, part. 1. cap. 9.

3°. Eximuntur illi, qui extra Parochiam communicant de Parochi consensu expresso vel tacito; imò ob justam causam rationabiliter præsumpto, cum intentione hoc ipsi postea indicandi: ubi tamen consensus facilè peti potest, petendus est; ut ita recognoscatur Pastor, et hic vicissim cognoscat oves suas.

4°. Etiam omnes illi, qui tempore Paschali non possunt commodè adire propriam Parochiam, ut vagi et peregrini: hos tamen non satisfacere communicando apud Religiosos, sed ad illud teneri in Parochia, in qua tunc versantur, contra aliquos docet Pauwels; quia distribuere Communionem Paschalem non est actio Religiosorum, sed Pastoris.

Observat Collet, eos, qui in Paschate non satisfecerunt, postea remittendos esse pro Communione ad Parochum seu ad Ecclesiam Parochialem, si ad extraneum in anni decursu accedant: quia semper urget tota lex, adeoque et legis modus.

N. 62. DE VENIA DILATIONIS COMMUNIONIS PASCHALIS.

I. *Confessarius quiscumque ob indispositionem,* II. *Et pastor ob alias causas potest alicui differre Pascha.*

QUISNAM potest dare veniam pro Communione Paschali differenda, et ex qua causa?

I. R. Ex causa indispositionis, seu concernente casum conscientiæ, veniam dilationis dare potest, non tantùm Parochus, sed et Confessarius quiscumque suo pœnitenti, ut pœnitens meliùs disponatur.

Obj. In cap. OMNIS UTRIUSQUE SEXUS dicitur: *de proprii Sacerdotis consilio:* ergo, &c.

R. Nego conseq. quia ex quo Confessarius quiscumque accepit potestatem in Paschate excipiendi confessiones, etiam ipsi data est potestas differendi Communionem Paschalem, si id exigat pœnitentis indispositio, de qua est Confessarii judicare.

Hinc observa, non esse absolvendum indignum, aut ei dandam Communionem, quia Pascha est: quamvis meritò, inquit Steyaert, quia Pascha est, aliquid majoris facilitatis

possit adhibere Confessarius, quàm si non esset Pascha, ne v. g. pœnitens nimis contristetur, vel etiam ab aliis notetur; sive, ut ait Pauwels, aliquâ minore morali certitudine debeat tunc esse contentus Confessarius, quàm esset extra illud tempus.

II. 2°. Etiam ex aliis causis Communio Paschalis differri potest; hoc autem dijudicandum venit prudenti judicio Pastoris, non alterius Confessarii extra casum Confessionis; causæ autem illæ variæ esse possunt pro variis circumstantiis, ex quibus quasdam allegat Pauwels tom. 2. c. 17. §. 4; et sic v. g. quòd mulier post puerperium nondum venerit ad Ecclesiam, &c. vel si aliquis sit parùm æger, sic ut brevi tempore post Pascha possit venire ad Ecclesiam; si enim aut graviter infirmetur, aut prævideatur non nisi post longum tempus venturus ad Ecclesiam, Communio ad ipsum esset deferenda.

N. 63. DE PŒNA NON COMMUNICANTIS IN PASCHATE.

I. *Pœna non tenentis Pascha*, II. *Est sententia ferenda*, III. *A solo Episcopo vel Officiali.*

I. Qui sinè venia jam dicta aut alia legitima excusatione Communionem Paschalem omiserit, juxta cap. Omnis utriusque, incidit in pœnam, ut vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ careat sepulturâ.

Hæc pœna juxta Steyaert non est eadem cum excommunicatione, sed quasi tantùm pars illius, ut patet ex aliis effectibus excommunicationis.

II. Non est etiam sententiæ latæ, sed ferendæ; unde Pastor non potest eam propriâ authoritate executioni mandare.

Unde dum casus occurrit, deferendus est ad Ordinarium vel ejus Officialem; non tamen statim; sed priùs debet Pastor subditum suum, quem novit non communicasse, opportunè et importunè exhortari ad Communionem, adjungendo etiam minas delationis, si necesse sit: ubi autem Pastor ex sua parte fecit omnia, quæ facere potuit et debuit, sed frustra, tunc tandem illum suum subditum tanquam Ecclesiæ inobedientem denuntiabit Ordinario vel ejus Officiali, ex cujus mandato, et non aliter, contra eundem procedet.

III. Licèt autem dictus transgressor præcepti Ecclesiasi ex mandato Ordinarii vivens arcendus foret ab ingressu cclesiæ, moriens tamen non est privandus Ecclesiasticâ pulturâ nisi transgressio sit notoria, et in fine vitæ nulla derit signa doloris, ut constat ex Rituali Romano. Et super ut Pastor sic quempiam privaret sepulturâ Ecclesasticâ, debet semper habere specialem ab Ordinario vel us Officiali commissionem.

N. 64. DE COMMUNIONE SACRILEGA IN PASCHATE.

Per Communionem sacrilegam II. *Non satisfit divino ec Ecclesiastico præcepto.*

AN satisfit præcepto Communionis Paschalis per Comunionem sacrilegam ?

I. R. Neque Divino neque Ecclesiastico: primum patet x eo, quòd Christus juxta Trid. sess. 13. cap. 2. " Sumi oluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum ibum, quo alantur et confortentur viventes vitâ illius, qui ixit: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.*" Atui sacrilegè communicans non ita sumit; sed è contra juxta postolum: *Judicium sibi manducat*: ergo non satisfit.

II. Posterius patet ex eo, quòd Præceptum Ecclesiastium sit tantùm Divini determinativum quoad temporis circumstantiam: ergo Ecclesia eandem præcipit Communioem, quam Christus, ut etiam patet ex cap. OMNIS UTRIUSQUE, ubi dicitur; *suscipiens reverenter.*

Deinde probatur etiam ex hac propositione damnata ab nnocentio XI. *Præcepto Communionis annuæ satisfit er sacrilegam Domini manducationem.* Unde hæc sententia jam omnino certa est.

Quoad solutionem objectionum vide Tract. *de Legibus*, bi quæritur, *an modus et finis præcepti cadant sub præepto*, item *an Ecclesia possit præcipere actus internos.*

Ex dictis concluditur, quòd moribundus sumens indignè Viaticum non tantùm peccet peccato sacrilegii, ut quivis ndignè communicans, sed et contra Præceptum Divinum anc communicandi: unde manet obligatus eidem satis-

facere, modò possit sinè scandalo vel infamia ut sæpe potest fieri per administrationem occultam.

An autem hoc posset eâdem die, controvertitur: sicuti casus relatus Num. 53. in his igitur quisque servet praxin suæ Ecclesiæ.

Similiter qui non nisi sacrilegè communicavit in paschate ultra peccatum sacrilegii transgressus est Præceptum Ecclesiasticum, cui adhuc satisfacere tenetur juxta Num. 60, neque Communio sacrilega liberat à pœnis de quibus in capitulo OMNIS UTRIUSQUE SEXUS.

N. 65. DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

I. *Eucharistia non defertur leviter infirmis,* II. *Sed confessis.* III. *Datur Viaticum,* IV. *Dum probabile est mortis periculum,* V. *Quod aliquando præveniendum.* VI. *In eodem morbi statu non iteratur,* VII. *Tempore pestis,* VIII. *De ore arido et faucibus angustis,* IX. *Cavenda est irreverentia.* X. *Non datur ad osculum.*

Quæ spectant ad Communionem infirmorum, pleraque ex Pastorali Mechl. et ex dictis colligi possunt: quædam tamen hìc magis explicatè traduntur.

I. Non convenit Communionem deferre domum leviter infirmis, nisi fortè in Festis solemnioribus, aut quorum infirmitas ita est notabilis, diuturna, et continua, ut non patiatur eos in Ecclesia pro more Christianorum ad Sacramenta accedere. Quo casu tamen non deferatur frequenter, sed cum reverenti temporis intervallo.

II. Monet Syn. Prov. 2. Mechl. tit. 7. cap. 3. " Quando fieri potest, antequam Sacra Eucharistia ad ægrotum deferatur, præmittatur Confessio."

Pro Communione infirmorum particulare est, quòd possit dari non jejunis per modum Viatici, et etiam aliquoties per modum devotionis, juxta dicta Num. 37.

III. Inquiri hìc etiam posset, an et quibus infirmis dandum sit Viaticum; sed de iis jam dictum est, nempe de peccatoribus N. 43. de pueris N. 44. de amentibus Num. 45. vide etiam Num. 56.

Quandonam infirmis dandum est Viaticum?

IV. Respondent passim Pastoralis, dum probabile est, òd Eucharistiam ampliùs suscipere non poterunt; illud tem probabile periculum non vult quidem Ecclesia præniri, sed tamen extremum non est expectandum. Imò ɔc debet, nec convenit expectari idem periculum, quod ·o Extrema Unctione: quia valor Eucharistiæ etiam per odum Viatici non ita dependet à statu morbi, sicuti Exemæ-Unctionis.

V. Observandum autem hìc est, quòd v. g. in febribus ıalignis, licèt ab initio non subsit probabile mortis pericuım, subsit tamen cum communi mortis periculo sæpe probabile periculum delirii: unde hoc præveniri debet, Viatium administrando; est enim tunc probabile, quòd talis ıfirmus Viaticum non poterit ampliùs suscipere. Etenim .cèt in delirium aut amentiam post rationis usum lapsis 'iaticum per se non sit negandum, sæpe tamen, imò ordiariè non datur ob periculum irreverentiæ, vomitûs, &c. 'ide Num. 45.

An Communio pluries danda est infirmo?

VI. R. 1°. In eodem morbi statu non iteratur per modum Viatici, ut docet S. Carolus Borromæus; unde si post Viaticum iterum Communio deferatur, dicat Sacerdos: *Corpus Domini nostri*, &c. non autem: *Accipe frater vel oror*, &c.

2°. Si ita notabiliter mutetur morbi status, ut ægrotus vaserit mortis periculum, et denuò in novum incidat periulum, iterum administratur per modum Viatici.

3°. Licitum est etiam pluries in eodem morbi statu communicare ex devotione, non tamen nisi post aliquod temoris intervallum, putà octo vel decem dierum. Vid Num. 37.

Circa modum, qui jam servatur in Ecclesia latina (scilicet immittendi Eucharistiam ori fidelium immediatè manu Ministri), nihil potest innovari in morbis ordinariis, etiam contagiosis, v. g. febribus malignis, dysenteria, variolis, &c.

VII. Quoad modum ministrandi Viaticum tempore pestis, ut obvietur contagii periculo, vide Sylvium suppl. quæst. 32. art. conclusione 4. ubi varios modos examinat; item eximium Scaille, in opusculo *de modo administrandi Sacra-*

menta tempore pestis, cap. 38. et sequentibus, et Collet, tomo 4. fol. 444. interim determinatio istius modi spectat ad Episcopum.

Cæterùm teneri Parochos suis Parochianis peste infectis administrare Viaticum, contra aliquos certum videtur cum Sylvio, Marchantio et Suarez.

Quid si periculum sit, ne infirmus præ oris ariditate vel faucium impedimento Hostiam deglutire possit?

VIII. R. Modus ab aliquibus tunc assignatur, ut Hostia vel aliqua particula imponatur vasculo repleto aliquo liquore, putà aquâ vel vino, ut infirmus illam simul cum liquore hauriat. Id tamen totum honorificè et reverenter fiat, nimirùm Sacerdos manu dextrâ accipiens v. g. cochlear ad medietatem circiter impletum vino vel aquâ, et supra illud manu sinistrâ tenens Hostiam, illam admovet ori infirmi, et tum in cochleari dimissam ori imponit seu infundit.

Alter modus convenientior est, quòd Hostia integra vel pars aliqua priùs detur, et deinde aliquis liquor, v. g. aqua vel vinum; quo introsumptio Hostiæ facilitetur. Vel etiam in casu nimiæ ariditatis posset prævièdari vinum vel aqua, ut sic os madefiat.

Similiter faciendum pro acceleratione introsumptionis, et ratione ablutionis in infirmis phlegmaticis: quibus, ut notat Pauwels, dum per aliquod modicum tempus abstinuerunt, consultius est sputa phlegmatica permittere, quàm impedire quia illa non veniunt ex stomacho: et præterea difficulter à talibus retinentur; esset enim periculum, ne retinendo recipiant illa in stomachum, et sic facilè ad vomitum excitarentur.

Non est tamen in casu supra posito Communio administranda, si id fieri non posset nisi modo indecenti, v. g. miscendo eam vino adusto, sine quo fortè nil sumere posset ex tali potu cacheticus.

IX. Generatim monet Pastorale Mechl. "diligenter curandum est, ne iis tribuatur, à quibus ob phrenesim, assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri possit."

Indecentia autem illa præcipuè timetur, dum subest periculum, seu justus et prudens metus vomitûs vel expui-

nis: ubi autem de hoc dubitatur, prudentiæ Pastoris est ud experiri, præviè præbendo quid aliud, v. g. Hostiam n consecratam.

Nihil autem periculi (ait Scaille) videtur subesse à solo ngultu continuo, nec à sternutatione: cùm non soleat se ita continua, quin relinquat locum administrationi de- nti.

X. Pergit Pastorale: " Quòd situm demum, quando ad grotum ventum est, intelligatur, tale quod periculum se, doceatur, quomodo spiritualiter illud sumere, ejus- ue præstantissimos effectus accipere possit, et tunc exhi- eatur ei adorandum, sed non detur ad osculandum.

XI. Ex quo observa, quòd, licet juxta hæc verba Pas- ralis hoc Sacramentum jam delatum exhiberi possit infirmo d adorandum, dum ratione impedimenti non potest illud umere; non possit tamen ad hunc finem deferri ad talem grotum.

Quid si infirmus Sacram Hostiam evomat?

XII. R. Conformiter ad Missale Rom. de *defectibus Missæ*, tit. 10. num. 14. si species appareant integræ, reve- enter accipiantur, et postea sumantur; si autem id nausea etet, tunc cautè separentur à sordibus, et ita in aliquo co sacro reponantur, et postquam corruptæ fuerint, mit- antur in sacrarium seu piscinam sacram; etenim citra Sa- rilegium species, quam diu integræ sunt, comburi non ossent.

Similiter faciendum, si quomodocumque, sive per negli- entiam, sive aliâ occasione, species reperiantur corruptæ.

Si autem in casu species non appareant, et tamen veri- imile sit, illas nondum esse corruptas ob breve temporis patium, quod intercessit; tunc res sic evomita debet com- uri, et cineres mitti in sacrarium vel alium locum sacrum, . g. terræ mandari in cœmeterio.

Quid si, sumpto Viatico, infirmus statim moriatur?

XIII. R. Si Sacra Hostia non appareat in ejus ore, tunc ta relinquendus est defunctus, quantumvis nesciatur, an am deglutierit: si verò appareat in ore, modestè extra- hatur, et reverenter servetur, donec species corrumpantur: et tunc fiat, ut mox dictum est de Hostia evomita.

Cujus officium est infirmis deferre Eucharistiam?

XIV. R. Est officium Parochi, ut insinuatum est Num. 30. qui propterea omni tempore ad hoc debet esse paratus.

Hinc qui sine Pastoris licentiâ id attentaret extra casum necessitatis juxta communem sententiam peccaret mortaliter, utpote violans jus Pastoris in re gravi: imò si esset Religiosus (non sic Sacerdos sæcularis) id præsumens sine speciali Parochi licentia, incurreret excommunicationem ipso facto reservatam Pontifici; idque sive deferret per modum Viatici, sive per modum devotionis, sive publicè, sive occultè. Vide Num. 233. *de Pœnitentiâ.*

Circa modum autem deferendi hoc Sacramentum ad infirmos notandum est, illud etiam à Pastoribus fieri debere publicè, non autem occultè, sive prætextu, quòd infirmus velit morbum dissimulare, sive alio quocumque, nisi per longius et difficilius iter abeundum foret.

Cætera circa modum deferendi, sive publicè, sive occultè, utì etiam circa ritum administrandi, et alia hùc spectantia, diligentèr consulendum est Pastorale.

APPENDIX.

N. 66. DE MATERIA ET FORMA COMPONENTE SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ.

Cum omnis res debeat habere materiam et formam, et quidem per formam modificetur et determinetur ad certam speciem; hinc dicitur, quòd hoc Sacramentum (quod est compositum quoddam morale) præter materiam et formam transeuntem, seu Eucharistiæ conficiendæ (quæ sunt panis triticeus et vinum de vite, et verba Consecrationis) habeat materiam et formam illud constituentem et componentem, seu prout consistit in re permanente.

Quænam autem præcisè sit materia et forma componens hujus Sacramenti inter Authores ambigitur; inter varias autem opiniones hæc verior apparet; nempe quod compositum ex speciebus Panis et Vini, et Corpore et Sanguine Christi habeat rationem materiæ, idem autem complexum cum habitudine ad verba Consecrationis antea prolata habeat rationem formæ; vi cujus habitudinis, quæ speciebus moraliter adhæret et intrinseca est, species Sacramentales manent determinatæ ad repræsentandum Corpus Christi sub speciebus Panis, et sanguinem sub speciebus Vini.

FINIS TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

TRACTATUS

DE

SACRIFICIO MISSÆ.

Hactenus de Eucharistia quatenùs est Sacramentum, seu ut ordinatur ad hominis Sanctificationem, egimus; nunc de ea quatenùs est Sacrificium, sive quatenùs ad Cultum Dei refertur, agendum est.

N. 1. DE SACRIFICIO GENERATIM SUMPTO.

S. Thom. 3. *part. quæst.* 83.

I. *Sacrificium dupliciter sumitur.* II. *Propriè sumptum definitur.* III. *Oblatio* IV. *Externa,* V. *Quâ res sensibilis,* VI. *Et permanens,* VII. *Per legitimum Ministrum* VIII. *Consecratur, perimitur, aut aliter immutatur,* IX. *In protestationem supremi Dei, &c.* X. *Sacrificium soli Deo offertur.* XI. *Oblatio, consecratio et immutatio tantùm ratione differunt.* XII. *Sacrificium est actus elicitus Religionis:* XIII. *Estque juris quasi naturalis.*

I. SACRIFICIUM, secundùm nominis etymologiam quasi Sacrum factum, dupliciter sumitur in Scriptura; propriè et impropriè, seu metaphoricè, pro quavis actione quæ in

in Dei gloriam cedit, ut divinæ laudis celebratio: Psal. 49. v. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me;* eleëmosynæ largitio, ad Hebr. cap. ult. v. 16. *Talibus enim Hostiis promeretur Deus.*

Secundò propriè pro illo actu Religionis, qui distinguitur contra omnia alia bona opera; et ita sumitur Oseë cap. 6. v. 6. *Misericordiam volo, et non Sacrificium.*

II. Sacrificium propriè et strictè sumptum pro actione sacrificativa, de quo hic agimus, sic definitur: Oblatio externa, quâ res aliqua sensibilis et permanens per legitimum Ministrum consecratur, perimitur aut aliter immutatur in protestationem supremi Dei in res omnes creatas dominii, nostræque erga eum subjectionis.

Explica singulas definitionis particulas?

III. R. Dicitur *oblatio:* quæ vox habet locum generis, in quo Sacrificium convenit cum aliis oblationibus, v. g. primitiarum.

IV. Additur *externa*: conjuncta tamen cum internâ, ut Deo placeat; qua scilicet homo se suaque omnia Deo offert et subjicit.

V. *Quâ res sensibilis*: Sacrificium enim, inquit Trid. sess. 22. cap. 1. visibile esse debuit, sicut hominum natura exigit: deinde Sacrificio in ejusdem Religionis cultum homines coadunantur; homines autem inter se communicare nequeunt, nisi per signa sensibilia.

VI. *Et permanens*: non quòd res debeat semper permanere post actionem Sacrificativam: potest enim totaliter destrui, ut patet in Holocausto; sed quòd debeat esse res solida et distincta contra actiones merè transeuntes, ut v. g. genuflexiones, &c.

VII. *Per legitimum Ministrum:* non per quemcumque hominem, sed eum qui ad hoc Ministerium vocatur et eligitur: tales autem sunt in nova Lege soli Episcopi et Sacerdotes: de Ministro Sacrificii in Lege Naturæ et veteri, vide Num. 69. *de Religione.*

VIII. *Consecratur*: quia res, quæ Deo offertur, debet ex profanâ fieri Sacra et Deo dicata.

Perimitur aut aliter immutatur: debet enim res, quæ sacrificatur, per occisionem aut aliam mutationem destrui, vel saltem quasi in interitum tendere, ut constat ex omni-

bus Judæorum et Gentilium Sacrificiis; unde in veteri Lege Sacrificia non erant primitiæ aut similes oblationes.

IX. *In protestationem supremi Dei in res omnes creatas dominii, &c.* hic enim est primarius finis Sacrificii; quandoquidem Sacrificium sit Latriæ cultus, quo protestamur, Deum à nobis haberi ut supremum vitæ et necis Dominum, qui sicut creare omnia potuit, sic et omnia destruere potest; unde et infimam suam subjectionem protestatur homo: et ideo si alio fine oblatio fieret, licet cum peremptione aut alia immutatione, non foret Sacrificium: hinc à ratione Sacrificii facilè excluduntur purificatio et candelarum incensio quæ adhibentur, non ad recognitionem supremi Dei dominii, sed ad augendam solemnitatem, ad excitandum fidem et devotionem: vide N. 68. *de Religione.*

X. Cùm, ut dictum est, Sacrificium importet supremum latriæ cultum, patet soli Deo esse offerendum: unde S. Aug. lib. 10. *de civitate Dei* c. 4. " Quis sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?"

XI. Observandum circa prædicta, quòd in Sacrificio tres illæ actiones, oblatio, consecratio et immutatio sint quidem ratione diversa, sed non reipsa: cum unica actione res possit offerri, consecrari et immutari: sic dum in Veteri Lege animal in honorem Dei immolabatur, erat oblatio in actu saltem exercito (quæ sufficit ad Sacrificium) licèt Sacerdos eam non exprimeret; quatenùs nempe occidebatur ad recognoscendum supremum Dei dominium, et ita Deo offerebatur: erat quoque consecratio, inquantum per illam occisionem destinabatur ad cultum Dei: erat etiam immutatio, imò destructio, ut per se patet: similiter in actu exercito erat recognitio supremi Dei dominii, licèt illa non fieret expressis verbis.

Qualis actus, et cujus virtutis est Sacrificium propriè dictum?

XII. Est solius virtutis Religionis actus elicitus et externus, estque opus Religionis præstantissimum, ut facilè patet, si cum aliis ejusdem virtutis actibus comparetur.

Utrùm oblatio Sacrificii sit de jure naturæ?

XIII. R. Daelman et Collet dicunt, Sacrificium non esse strictè jure naturali præceptum; cùm non desint media à Sacrificio distincta, quibus exterior Deo cultus honestè et sufficienter exhiberi valeat, qualis sunt laus, oratio vocalis,

genuflexiones, &c. admittunt tamen, quòd Sacrificii oblatio sit quasi de Lege naturali, ut patet ex consensu omnium populorum, qui statim atque Deum cognoverunt, aut putaverunt, aut finxerunt, eidèm sacrificandum censuerunt; nec mirum, cùm nullo cultu sublimiori recognitio supremi Dei dominii fieri possit: hinc in statu innocentiæ, si perdurasset, fuisset Sacrificium, licèt non fuissent Sacramenta; ita ut mirandum sit, quòd sectarii nostri Sacrificium visibile à natura dictante, saltem, si non simul præcipiente, hominibus inditum penitus eliminaverint, statuentes Religionem sine Altari et sacrificandi exercitio.

N. 2. DE DIVISIONE SACRIFICII.

I. *Divisio Sacrificii ratione diversi mundi statûs,* II. *Ratione materiæ,* III. *Ratione formæ,* IV. *Ratione finis,* V. *Ratione temporis,* VI. *Ratione modi.* VII. *Antiqua Sacrificia fuerunt figuræ sacrificii novæ Legis.* VIII. *Sacrificium Novæ Legis quomodo unicum?* IX. *Quomodo duplex?*

QUOMODO dividitur Sacrificium?

I. R. 1°. Secundum diversum mundi statum dividitur in Sacrificium Legis Naturæ, Legis Moysaicæ et Legis Novæ. Prima generis Sacrificia videntur quoad rem et formam ab hominibus fuisse determinata, licèt aliqua ab ipso Deo præscribi potuerint: secunda à Moyse quidem populo sunt promulgata, sed à Deo immediatè instituta: unicum verò novæ Legis Sacrificium à Christo institutum est.

II. 2°. Ratione materiæ, dividitur in Hostias seu victimas, dum offerebatur animal; in immolationes, cùm fructus terræ offerebantur, et in libamenta seu libamina, dum liquor aliquis offerebatur.

III. 3°. Ratione formæ seu variæ actionis, per quam res immutari solebat, dividitur in Holocaustum, in quo res oblata tota comburebatur, ita ut nihil inde cederet in usus humanos, eratque Sacrificium perfectissimum: in Hostiam pro peccato, quæ partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum, qui in atrio Templi ex ea vescebantur; et Hostiam pacificam, quæ offerebatur vel in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, vel ad nova impetranda:

hæc Hostia in tres partes dividebatur, quarum una in honorem Dei cremabatur, altera cedebat in usum Sacerdotum, et tertia in usum offerentium.

IV. 4°. Dividitur ratione finis in Sacrificium Latreuticum, propitiatorium sive expiatorium, Eucharisticum et impetratorium: hæc divisio parùm differt à præcedenti.

Latreuticum dicitur, quod tantùm ad cultum Dei dirigitur, protestando ejus principatum et nostram subjectionem, et id potissimùm fit in Holocausto.

Propitiatorium offertur pro peccatis et peccatorum pœnis ac flagellis avertendis, et idem est quod Hostia pro peccato.

Eucharisticum fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, et impetratorium pro beneficiis accipiendis: utrumque autem in veteri Lege dicebatur Hostia pacifica.

V. 5°. Ratione temporis dividitur in juge Sacrificium, quod quotidie; in Sacrificium Agni Paschalis, quod in Pascha te; et in Sacrificia, quæ in aliis Solemnitatibus offerebantur.

VI. 6°. Ratione modi dividitur in cruentum et incruentum: circa dictas divisiones et earum explicationes vide *Analogiam Becani*, cap. 14.

VII. Nota quòd multiplicia illa, tum Legis Naturæ, tum Legis Moysaicæ Sacrificia omnia præfiguraverint Sacrificium novæ Legis; adeoque illa cessent in nova Lege.

An Sacrificium novæ Legis unicum est, an duplex?

VIII. R. Sacrificium Crucis idem omnino est quoad substantiam cum Missæ Sacrificio, quia idem utrobique Sacerdos est, et Hostia eadem Christus Dominus, et sic considerando Sacrificium novæ Legis unicum est.

IX. Si spectetur modus et ritus offerendi, est duplex, nempe cruentum, quo Christus seipsum pro salute omnium in Cruce obtulit, et incruentum, quo idem Christus sub speciebus Panis et Vini in Missa offertur quotidie in memoriam cruenti. hinc Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. *de Sacrificio Missæ* docet: "Una enim eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversa."

Posset et alio sensu dici duplex novæ Legis Sacrificium; unum redemptionis in Cruce, quod plenam nobis promeruit

peccatorum remissionem; aliud religionis in Eucharistia, per quod eadem remissio nobis applicatur.

N. 3. DE EXISTENTIA SACRIFICII MISSÆ.

I. *Derivatio vocis* Missæ. II. *Sacrificium Missæ.* III. *Probatur ex prophetia Malachiæ.* IV. *Item ex Sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech.* V. *Probatur etiam ex verbis institutionis.* VI. *Probatur usu.* VII. *Ex traditione.* VIII. *Ex conditionibus Sacrificii propriè dicti.*

I. Olim duplex distinguebatur Missa, una Catechumenorum et Pœnitentium, quos Diaconus post Evangelium et concionem dimittebat; unde ab introitu usque ad offertorium vocabatur Missa Catechumenorum: altera Fidelium, et ea durabat ab introitu usque ad finem, quo tempore Diaconus admittebat populum his verbis: *Ite, Missa est*; quæ secunda dimissio etiamnum remanet, et ideo Sacrificium, quod quotidie in templis Sacerdotum ministerio offertur, vocatur *Missa*.

Porro Missa sumitur pro tota illa actione sacra, quâ in Ecclesia Catholica offertur incruentum novæ Legis Sacrificium cum variis precibus et cæremoniis: omnia tamen illa non spectant eodem modo ad Sacrificium Missæ: sed alia pertinent ad essentiam Sacrificii, alia ad ejus integritatem, alia ad majorem reverentiam, Mysterii explicationem et ædificationem Fidelium, ut patebit postea.

Quid est Sacrificium Missæ.

II. R. Est oblatio externa Corporis et Sanguinis Christi per species Panis et Vini sensibiliter exhibitorum à legitimo Ministro, facta Deo in recognitionem supremi ejus dominii, adhibitis quibusdam precibus et cæremoniis ab Ecclesia præscriptis ad majorem Dei cultum et populi ædificationem.

Zuingliani et Calvinistæ, ac quotquot realem Christi præsentiam negant in Eucharistia, consequenter negant, in Missa offerri verum ac propriè dictum Sacrificium.

Lutherani, licèt præsentiam realem admittant, etiam tamen Sacrificium Missæ rejiciunt, ita ut Lutherus, lib. *de Missa privata*, scribere non erubuerit tandem sibi à dæ-

suggestum ac persuasum fuisse, Missæ Sacrificium
ndum esse. Volunt ergo novatores, non esse in
Lege nisi Sacrificium spirituale bonorum operum,
n seu Eucharistiam esse meram commemorationem
cii Christi in Cruce, Christumque nobis dedisse men-
n qua epulemur, sed non altare, super quo sacrifi-
: contra quos errores dogma Catholicum, scilicet in
offerri verum ac propriè dictum Sacrificium, defini-
id. sess. 22. can. 1. his verbis: " Si quis dixerit, in
non offerri Deo verum et proprium Sacrificium,
ıòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad
ıcandum dari; anathema sit."
ba, in Missa offerri verum ac propriè dictum Sacri-
?

R. Probatur 1°. ex Prophetia Malachiæ cap. 1. v.
' Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus ex-
ım: et munus non suscipiam de manu vestra." Et
. " Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum
›men meum in Gentibus, et in omni loco sacrifi-
ɜt offertur Nomini meo oblatio munda."
› importat hæc Prophetia, nempe fore rejicienda Sa-
ı Judæorum, et iis substituendum fore novum; non
›bstat, quòd dicitur: *Sacrificatur et offertur* in præ-
id enim familiare est Prophetis, ut propter certitu-
prædictionis futura quasi præterita aut præsentia
ent: atqui per illud novum non potest aliud intelligi
Sacrificium Missæ; " Hæc enim est oblatio munda,
rpus scilicet et Sanguis Christi, quæ in omni loco
› offertur) et nullâ (ut dicit Trident. sess. 22. cap. 1.)
gnitate aut malitiâ offerentium inquinari potest."
licas cum Hæreticis, posse intelligi Crucis Sacrifi-
vel spirituale bonorum operum: contra primum est,
Sacrificium Crucis non fuerit oblatum in omni loco,
ı uno loco Judææ: contra secundum, Sacrificium
ale bonorum operum non est novum, nec substituen-
loco antiquorum Sacrificiorum; fuit enim ab initio

licas, Augustinum et Hieronymum verba Malachiæ
:etari de Sacrificio laudis, R. Ita quidem esse, sed
xcludendo Sacrificium propriè dictum; cùm enim of-
cum laude, potest etiam dici Sacrificium laudis.

IV. 2°. Probatur: quia Christus, Psalm. 109. dicitur *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech;* quæ verba secundum Apostolum ad Hebræos, c. 7. 8. et 9. ita conveniunt Christo; ut non possit dici *Sacerdos secundum ordinem Aaron:* atqui Melchisedech obtulit Sacrificium in Pane et Vino, ut constat ex Genesi, cap. 14. v. 18. ergo et Christus, qui erat Sacerdos secundum ritum offerendi Melchisedech, debuit in Pane et Vino Sacrificium offerre: jam autem nisi id fecerit in Eucharistia, nullibi fecit; non enim in Cruce ubi Corpus et Sanguinem suum obtulit in propriis speciebus: ergo in ultima cœna: nec solùm ibi, sed adhuc quotidie tanquam Minister principalis ministerio Sacerdotum sese offert, et hac ratione etiam *sempiternum habet Sacerdotium.... semper vivens ad interpellandum pro nobis,* ut loquitur Apostolus ad Hebr. cap. 7.

Obj. Melchisedech non obtulit Panem et Vinum in Sacrificium, sed protulit ea ad reficiendum Abrahæ milites ex prælio defatigatos.

R. Licèt probabile sit, Melchisedech Panem et Vinum divisisse sociis Abrahæ; quia moris erat, ut in Sacrificiis in gratiarum actionem institutis, veteres aliquid oblationis degustarent; dubium tamen non est, eadem ante Sacrificium Domino oblata fuisse; quia certò sciebat Melchisedech, Abrahæ milites spoliis onustos non eguisse Pane et Vino aliunde asportatis: ergo non detulit panes ad reficiendum exercitum; sed ut solemni Sacrificio gratias ageret Deo pro victoria Abrahæ.

2°. Quia scriptura sæpe mentionem facit Sacrificii Melchisedech ut distincti ab Aaronico: ergo conveniens est, ut alicubi dicat, quale fuerit illud Sacrificium: si autem illa oblatio panum facta Gen. 14. non sit verum Sacrificium, nullibi Scriptura loqueretur de Sacrificio Melchisedech.

V. 3°. Eucharistiam esse Sacrificium, probatur ex verbis institutionis relatis Matth. 26, Marc. 14. Luc. 22. et 1. ad Cor. cap. 11. ex quibus sic argumentamur: ut Eucharistia sit Sacrificium, sufficit, ut in ea sit oblatio victimæ cum effusione sanguinis: atqui, ut colligitur ex locis citatis, prædicta oblatio reperitur in Eucharistia; quia agitur de oblatione et effusione, quæ actu fiebant, dum Christus lo.

batur, prout insinuant verba præsentis temporis; sic l Lucam, cap. cit. v. g. dicitur de Corpore: *Quod pro s datur:* apud Apost. loco cit. v. 24. in Textu Græco: *d pro vobis frangitur;* Textus Græcus trium Evantarum de Sanguine habet *funditur.*

ec obest quòd nos legamus apud Evangelistas et in Ca- Missæ *effundetur* in futuro, quia utraque lectio vera sive in præsenti *funditur,* id est, nunc in Cœna; sive turo *fundetur,* id est, paulò post in Cruce, et deinceps e ad finem mundi in Sacrificio à Sacerdotibus celedo.

I. 4°. Probatur ex illis locis Scripturæ, in quibus usus ificii Missæ insinuatur: sic Actorum cap. 13. v. 2. *istrantibus illis Domino,* græcè *liturgiam celebran-*, hoc est, *Sacrificium offerentibus,* unde Erasmus t, *sacrificantibus illis Domino:* similiter 1. ad Cor. 10. v. 21. *Non potestis mensæ Domini participes et mensæ Dæmoniorum;* ubi insinuat Apostolus, esse e et Sacrificium Domini, uti erat Altare et Sacrificium oniorum.

I. 5°. Probatur ex traditione et perpetua Ecclesiæ ina et praxi, ut patet ex antiquissimis Liturgiis et Patribus, qui, loquentes de Eucharistia, vocant eam ficium, Hostiam, Victimam, &c.

II. 6°. Probatur ex eo, quòd Sacrificio Missæ convedefinitio Sacrificii propriè dicti; etenim in Consecrautriusque speciei (in qua sola consistit essentia Sacri- habetur *Oblatio* in actu saltem exercitô; *externa,* fiat verbis; *rei sensibilis et permanentis,* Corporis et Sanguinis Christi per species Panis et Vini senum: etiam habetur Consecratio per dedicationem ad m divinum; item immutatio, inquantùm vi verborum is separatur à Corpore, et Corpus à Sanguine: datur finis legitimus: nempe Dei cultus; nullus enim Deo exhiberi potest dignior, quàm quo Deus-homo ur Deo Patri; tandem concurrit Minister primarius, e Christus et secundarius, Sacerdos.

j. I. Christus juxta Apost. ad Hebr. cap. 10. v. 14. *oblatione consummavit in sempiternum sanctifica-* ergo non est aliud in nova Lege quàm Sacrificium s, et quodcumque aliud est injuriosum Sacrificio i.

R. Dist. antec. unâ oblatione consummavit Christus in sempiternum sanctificatos, quantùm ad sufficientiam pretii soluti pro sanctificatione et redemptione totius generis humani, concedo: quantum ad applicationem hujus pretii seu fructûs Passionis Christi, nego: id enim unum docet Apostolus de Sacrificii Crucis efficacia, cruentam Christi oblationem tanti fuisse valoris, ut in ea plenum fuerit nostræ sanctificationis pretium; sed non sequitur, quòd Sacrificium Missæ ideo sit inutile, aut derogans Sacrificio Crucis cùm pretium redemptionis nostræ, licèt à Christo abundè solutum, nobis applicari debeat: ergo sicut per Sacramenta, Orationes, &c. nobis illud applicatur, sic et per Eucharistiæ Sacrificium nobis applicari potest citra ullam Sacrificii Crucis injuriam.

Obj. II. Apostolus ad Hebr. cap. 10. probat inefficaciam Sacrificiorum veteris Legis ex eo, quòd sæpius repetantur; dicit enim: *quòd Sacrificia veteris Legis nunquam possint accedentes perfectos facere*: v. 2. *Alioquin cessassent offerri; ideo quòd nullum haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati*: atqui nostrum Sacrificium etiam sæpe repetitur: ergo pariter est inefficax, adeoque rejiciendum.

R. Neg. cons. Disparitas est, quod illa vetera Sacrificia repeterentur ut diversa, inquit Estius, nec ad unum aliquod Sacrificium ordinata, ex quo dependerent, et inde vim suam acciperent; Sacrificium autem Missæ non offertur ut diversum à Sacrificio Crucis, sed ut unum cum eo; semper enim offertur in illius commemorationem, adeo ut noverit Sacerdos, non aliunde quam ex illo uno Sacrificio Crucis quotidiani sui Sacrificii fructum esse exspectandum.

N. 4. DE ESSENTIA SACRIFICII MISSÆ.

Quæ Hostia in Sacrificio Missæ. II. *Nullatenus panis et vinum.* III. *Elevatio Hostiæ non est pars essentialis Sacrificii, nec fractio specierum,* IV. *Neque communio Sacerdotis.* V. *Christus sumpsit Corpus et Sanguinem in ultima Cœna.* VI. *Communio Sacerdotis est pars integralis Sacrificii.* VII. *Essentia Sacrificii consistit in consecratione utriusque speciei.*

Nomine Sacrificii tum res oblata, tum actio sacrificativa ıtelligitur, et utrumque Sacrificii Missæ essentiæ explindæ causâ considerandum est.

Quidnam est Hostia sive res oblata in Missæ Sacrificio? I. R. Per se sive vi verborum Hostia in Missæ Sacrificio ıt *Christi Corpus et Sanguis,* non quidem simpliciter, sed *ıb speciebus Panis et Vini;* actio enim sacrificativa primò per se attingit Corpus et Sanguinem: ex consequenti men seu per concomitantiam, res oblata, sive victima, ıt totus Christus, eadem quippe est Sacrificii cruenti et cruenti victima: vide Trid. sess. 22. cap. 1. et 2.

Dices: Sacrificium est essentialiter oblatio rei sensibilis: ergo species Panis et Vini pertinent ad rationem rei oblatæ ı Sacrificio requisitæ.

R. Distinguo consequens: ergo species Panis et Vini ertinent ad rationem rei oblatæ in recto tanquam pars rei blatæ, neg. conseq.; in obliquo tanquam conditio necesıria rei oblatæ, per quas Corpus et Sanguis redduntur senıbiles, ut sit sacrificium sensibile, concedo totum: interim pecies sunt pars rei oblatæ ut existentis in ratione ;acramenti: ita can. HOC EST, *de Consecratione* distinct. . dicitur hoc Sacrificium duobus constare, visibili specie lementorum, et invisibili Domini nostri Jesu Christi Carne t Sanguine.

II. Panis et Vinum nullatenus, nec inchoativè, nec parialiter, nec minùs principaliter sunt Hostia, quæ in Sacriıcio Missæ offertur: habent tamen relationem aliquam ad Sacrificium, putà ut materia transiens, non Sacrificii quilem, sed Sacramenti.

Quænam in Missa actio est, in quo consistit essentia ;acrificii?

III. R. Notandum 1°. quòd in Missa concurrant plures actiones, ut v. g. elevatio Hostiæ, sinè qua essentialiter Sacrificium subsistit; quia non est immutativa Hostiæ (quod tamen requiritur ad essentiam Sacrificii) nisi localiter.

2°. Fractio panis, quæ est quidem immutativa specierum, sed non Corporis Christi, nec versatur circa utramque speciem, cùm tamen utraque species ingrediatur essentiam Sacrificii.

IV. 3°. Communio Sacerdotis non est pars essentialis Sacrificii: ratio est, quia S. Th. 3. parte, q. 79. art. 5. in *Corp.* dicit: "Hoc Sacramentum..rationem Sacrificii habet, inquantùm offertur: rationem autem Sacramenti, inquantùm sumitur."

4°. Sumptio est participatio fructûs Sacrificii; adeoque præsupponit victimam mactatam per Consecrationem.

5°. Fide certum est, Christum in ultima Cœna sacrificasse; et tamen fidei non est Christum Eucharistiam sumpsisse; quod tamen de fide deberet esse, si consumptio Hostiæ per Sacerdotem foret de essentia Sacrificii.

V. Interim tamen probabilius est, Christum in ultima Cœna sumpsisse Corpus et Sanguinem suum: quia Christus Lucæ cap. 22. v. 15. dicti: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar*: quæ verba secundum Tertullianum, Chrysostomum Homilia 83. in Matthæum, et S. Thom. 3. parte, quæst. 81. a. 1. ad 3. intelliguntur de novo Paschate, quod in Sacramento Corporis et Sanguinis sui instituturus erat: deinde si ipse non sumpsisset Corpus et Sanguinem suum, periculum erat, ne Discipuli scandalizarentur, sicut Capharnaïtæ Joan. cap. 6. ita Chrysostomus.

VI. Porrò Sacerdotis Communio est pars integralis Sacrificii; quia Eucharistia non tantùm est Sacrificium, sed etiam Sacramentum; et eatenus habet rationem cibi et potûs: ergo ducit ordinem ad sumptionem tanquam ad partem integralem: et hæc est ratio, cur tanta sit Ecclesiæ solicitudo quâ vult, ut, si Sacerdos subitaneo morbo oppressus utramque speciem sumere non posset, alius substituatur Sacerdos, etiam non jejunus, si alter desit, qui utramqe speciem sumat, ut, inquit Sanctus Thomas, perficiatur Sacramentum. Ex quo sequi videtur, Communio-

nem celebrantis non tantùm esse Juris Divini, sed etiam spectare ad integritatem Sacrificii. His præmissis,

VII. R. Probabilior est sententia quæ docet Sacrificii essentiam consistere in sola Consecratione utriusque speciei.

Probatur 1° quia in Consecratione habentur omnia essentialiter requisita ad Sacrificium, ut dictum est Num. præcedenti: deinde sola illa Missæ actio propriè fit in Persona Christi, qui est principalis offerens hujus Sacrificii.

2° In illa actione constituenda est essentia Sacrificii, quæ est immutativa rei oblatæ: atqui talis est Consecratio; quia illa, quantùm est de se, separat Sanguinem viventis à Corpore ejus; cùm de vi verborum ponat solum Corpus sub specie Panis, et solum Sanguinem sub specie Vini.

Huic sententiæ favere videtur S. Th. q. 82. art. 10. in *Corp.* ubi dicit; quòd Deo Consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offeratur: et ad 1. dicit: Hoc Sacramentum perficitur in Consecratione Eucharistiæ, in qua Sacrificium Deo offertur.

Quòd autem requiratur utriusque speciei Consecratio probatur: tùm quia Christus dicitur illius Sacrificii Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech, seu Ritum sacrificandi Melchisedech, qui in utroque, scilicet in Pane et Vino sacrificavit: tum quia Sacrificium Missæ est expressa repræsentatio Sacrificii cruenti: quia ergo in Cruce non fuit solum Corpus aut solus Sanguis, sed utrumque, seorsim tamen unum ab altero: hinc etiam in Sacrificio Eucharistiæ debet utrumque fieri præsens, non tantùm per conversionem Panis in Corpus Christi, sed simul etiam per conversionem Vini in Sanguinem, ut, sicut Sanguis sensibiliter fluxit ex latere Christi, ita hæc effluxio et separatio Sanguinis à Corpore sensibiliter repræsentaretur: unde licèt Consecratio unius speciei de se videretur sufficiens ad Sacrificium, non tamen sufficit, attentâ institutione Christi, qui, ut docet Trid. sess. 22. cap. 1. "Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis apostolis..eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit." Quantumvis ergo habeatur sufficiens

immutatio ad Sacrificium per Consecrationem unius speciei, non sufficit tamen ad Sacrificium novæ Legis, quia Sacrificium aliam immutationem requisivit, sicque non erit Christus nisi alia adhibeatur; mutatio enim Sacrificii fit in Dei honorem.

Obj. Actio sacrificativa est necessariò victimæ immutativa: atqui Consecratione nulla fit immutatio victimæ, sed ejus tantùm productio: ergo, &c.

R. 1°. Potest Consecratio considerari ut est actio destructiva Panis et Vini; sed per eam non potest ista immutatio explicari: cùm Panis et Vinum non sint Hostia Sacrificii Missæ; quia Sacrificium Missæ idem est quoad rem oblatam cum Sacrificio Crucis.

2°. Consecratione fit productio victimæ et immutatio simul, inquantùm vi Consecrationis Christus redactus ad punctum in Altari colitur modo quodam mortuo, et ad naturales functiones sensuum inepto, et quidem in ordine ad destructionem in Communione consummandum.

3°. Probabiliùs tamen dicitur, realem immutationem adesse, inquantùm vi verborum Consecrationis sub speciebus panis ponitur solum Corpus sine Sanguine, et sub speciebus Vini Sanguis sine Corpore; ac ita videtur meliùs requisita immutatio explicari: sic enim vi verborum Christus sub speciebus producitur modo quodam mortuo, atque iterum immolatur; cum solummodo per concomitantiam Corpus Christi ponatur cum Sanguine, &c.

Inst. I. Non sufficit immutatio vi verborum. Probatur Assump. quia est reale Sacrificium: ergo debet esse realis immutatio, sicut Minister, Hostia, actio sacrificativa, &c. debent esse realia.

R. Habetur realis immutatio, inquantùm verba illa, cùm sint practica, habent illum effectum, quòd realiter Corpus ponant et nihil aliud: ergo, quantùm est ex vi verborum, habetur realis immutatio, nempe positio solius Corporis, adeoque separati à Sanguine: non quasi excludatur Sanguis ab alia causa adveniens, sed quòd illa verba non ponant Sanguinem.

Inst. II. Atqui nequidem negativè excluditur sanguis vi verborum. Probatur assumpt. quia si dicam ostendendo caput Joannis: *Hoc est caput Joannis;* etsi adsint pedes, per hoc non excludo caput à pedibus: ergo vi formæ non excluditur Sanguis à Corpore.

R. Neg. conseq. Disp. est, quòd propositio in exemplo allegata sit merè demonstrativa, quæ nil realiter ponit vi verborum: ergo verificatur, modò adsit illud, quod demonstratur: sed verba formæ sunt practica, ad cujus veritatem requiritur, et sufficit, ut producatur illud, quod significatur, et nil aliud vi verborum, ergo solum Corpus.

N. 5. DE MINISTRO SACRIFICII MISSÆ.

I. *Primarius Minister Sacrificii est Christus Dominus*: II. *Secundarius est omnis et solus Sacerdos*: III. *Etiam fideles sunt offerentes.*

QUIS est Minister Sacrificii Missæ?

I. R. Principalis Minister et offerens hujus Sacrificii est Christus Dominus, non solùm quia illud instituit, et quia ei totam efficaciam ex meritis suis contulit, sed præcipuè ex eo, quòd per Sacerdotes tanquam per suos Vicarios et Ministros offerat, qui propterea verba consecrationis pronuntiant in Persona Christi.

II. 2°. Omnis et solus Sacerdos legitimè ordinatus post Christum est verus et proprius Minister hujus Sacrificii: quia illi soli possunt conficere hoc Sacrificium, qui potestatem supernaturalem ad id acceperunt, soli autem Sacerdotes potestatem illam receperunt, ut patet ex eorum Consecratione.

Valori non obstat Sacerdotis malitia, modò adhibeat debitam materiam et formam cum intentione consecrandi: potestas namque Ordinis est in eo indelebilis: sed ad licitè et piè celebrandum, inter alia, ex parte dispositionis animæ, requiritur puritas vitæ, rectitudo intentionis, devotio ac reverentia: de quibus pulcherrimè Cardinalis Bona in Tractatu ascetico *de Sacrificio Missæ*.

III. 3°. Fideles etiam suo modo sunt offerentes, mediàtè nimirum per Sacerdotes, qui modus solet distingui tripliciter: primò generaliter et quasi habitualiter, et sic omnes fideles sunt offerentes: quia sunt membra Ecclesiæ, cujus nomine offert Sacerdos.

2°. Specialiter, assistendo Sacrificio, et conformando intentionem suam intentioni celebrantis,

3°. Specialiùs concurrendo ad Sacrificium, sive per subministrationem necessariorum ad Sacrificium, sive in serviendo sacrificanti, sive per postulàtionem, et præcipuè per stipendium: de quibus utiliter populus monetur et instruitur.

N. 6. DE FINE SACRIFICII MISSÆ.

I. *Sacrificium est Latreuticum,* II. *Eucharisticum,* III. *Propitiatorium,* IV. *Et impetratorium.*

Sacrificium Missæ ratione finis distinguitur in Latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium et impetratorium.

1°. Est Latreuticum, inquantùm offertur in honorem Dei et agnitionem supremi ejus dominii ac servitutis nostræ, quod significatur in Missa, dum dicitur: *Ad laudem et gloriam nominis sui;* item: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ.*

II. 2°. Eucharisticum est, inquantùm offertur in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, sive ordinis naturalis, sive supernaturalis, et signanter pro beneficio Redemptionis nostræ, quod expressit Christus dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* et Ecclesia in Missa exprimit, dum dicit: *Quam tibi offerimus in memoriam Passionis, Resurrectionis et Ascensionis Domini nostri Jesu Christi,* intelligendo de memoria grata, qualis esse solet memoria beneficiorum: ipsa quoque beneficia recensita intelliguntur cum omnibus donis et gratiis, quæ inde profluunt.

Novatores concedunt, Sacrificium nostrum (sumpto Sacrificii nomine improprie et latiori sensu) esse Latreuticum et Eucharisticum; quia Eucharistiæ manducatio fit ad cultum Dei et in gratiarum actionem pro singulari Dominicæ Passionis Beneficio: sed negant, illud esse propitiatorium et impetratorium, ne veri Sacrificii rationem agnoscere cogantur.

III. 3°. Sacrificium Missæ est propitiatorium: quia secundum Apost. ad Hebr. c. 5. præcipuum munus Sacerdotum est offerre Sacrificia pro peccatis: atqui Ecclesia certò habet suos Sacerdotes: ergo hi ad Sacrificia pro peccatis offerenda constituti sunt: jam verò Sacrificium pro pecca-

tis offerri, et esse propitiatorium, sunt synonyma: unde ergo Sacrificium Missæ offertur ad remissionem peccatorum obtinendam, ad placandum Deum offensum, ad remissionem pœnæ peccatis quoad pœnam remissis adhuc debitæ: et ita in Missa dicitur: *Pro innumerabilibus peccatis et offensionibus*, &c.

IV. 4°. Est etiam impetratorium; quia per illud consequimur tum bona spiritualia, cùm sit applicativum meritorum Sacrificii Crucis, in quo Christus nobis quæcumque spiritualia bona promeruit; tum bona temporalia; quia hæc nobis utilia sunt et media esse possunt, quibus ad Deum deducimur: hinc offertur pro pace, aeris temperie, pluviâ avertendâ, &c.

Meritò igitur Conc. Trid. sess. 22. can. 3. "Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantùm esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti; non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit."

Obj. Apparet indignitas quædam in eo, quòd augustissimum illud Sacrificium ordinetur ad res caducas, v. g. ad sanationes animalium, aut ejusmodi res terrenas impetrandas: ergo, &c.

R. Neg. antec. Sacrificium Missæ non ordinatur ad bona terrena primariò, et tanquam ad finem ultimum; offertur enim primariò ad cultum Dei; sed secundariò tantùm et ut causa ad effectum, et in hoc ipso recognoscimus nostram, etiam in omnibus minimis, dependentiam à Deo: deinde terrena illa non petimus, ut in illis finem ultimum constituamus, sed quatenùs sunt instrumenta nostræ vel alterius saluti deservientia; et cùm sic subsint ordini divinæ prædestinationis, quæ facta est in Christo, rectè expetuntur.

N. 7. DE EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ.

I. *Varii effectus Sacrificii Missæ :* II. *Cultus Latriæ,* III. *Gratiarum actio,* IV. *Remissio peccatorum,* V. *Liberatio à pœnis hujus vitæ,* VI. *Remissio pœnæ adhuc debitæ peccato remisso,* VII. *Impetratio bonorum.*

I. I. QUINAM sunt effectus Sacrificii Missæ ?

R, Quadruplici fini Sacrificii Missæ de quo Num. præced. correspondent varii effectus, qui ad aliquot classes reducuntur.

II. I. Primus effectus est Cultus Latriæ excellentissimus, et quantùm est ex parte principalis Sacerdotis, qui est Christus ; et quantùm est ex parte victimæ, quæ etiam Christus est : et hic est effectus Sacrificii Missæ, quatenùs est Latreuticum.

III. II. Gratiarum actio pro beneficiis acceptis, præcipuè pro beneficio Redemptionis, est effectus Sacrificii, quatenùs Eucharisticum est.

IV. III. Est remissio mediata peccatorum, tam mortalium quàm venialium.

V. IV. Est placatio Divinæ iræ pro liberatione à pœnis hujus vitæ in vindictam peccatorum immissis, v. g. à peste, bello, &c.

VI. V. Remissio pœnæ ex peccato quoad culpam remisso adhuc debitæ, et luendæ in hac vita, vel in purgatorio, nisi illius remissio per hoc Sacrificium, indulgentias, &c. obtineatur.

Tres proximi enumerati effectus sunt Sacrificii Missæ ut propitiatorii.

VII. VI. Effectus Sacrificii Missæ est (inquantùm est impetratorium) impetratio quorumcumque bonorum spiritualium ac temporalium, quatenùs ad salutem conducunt.

N. 8. DE MODO ET TEMPORE, QUO SACRIFICIUM MISSÆ SUOS OPERATUR EFFECTUS.

I. *Sacrificium Missæ causat effectus suos ex opere operato,* II. *Aliquos tantùm mediatè, ut remissionèm peccatorum.* III. *Etiam venialium,* IV. *Et in justis gratiam habitualem,* V. *Alios immediatè, ut pœnarum temporalium remissionem,* VI. *Aliquos operatur infallibiliter,* VII. *Non sequitur, quòd divitis conditio, pro quo multa Sacrificia offeruntur, melior sit quam pauperis justioris, pro quo vix offertur,* VIII. *Non operatur infallibiliter remissionem peccatorum,* IX. *Nec gratiæ augmentum, nec bona temporalia.* X. *Magis est utile, curare Missas celebrari pro seipsis mortuis.* XI. *Diversus modus impetrandi per orationem et Sacrificium Missæ;* XII. *Tempus quo Sacrificium Missæ suos operatur effectus.* XIII. *Missæ mali Sacerdotis æquè valent ex opere operato ac boni;* XIV. *Item inquantum Sacerdos orat nomine Ecclesiæ;* XV. *Non tamen inquantum orat ut privata persona.*

NOTANDUM, quòd aliquid possit esse efficax ex opere operato dupliciter, mediatè nempe et immediatè: immediatè et per modum Sacramenti, eo scilicet modo, quo Sacramenta suos producunt effectus; vel mediatè et per modum impetrationis, quando nempe vi illius impetratur aliquid cui aliud annexum est.

Itaque petitur, utrùm Sacrificium effectus præmemoratos causet ex opere operato?

1. R. Affirmativè; quia in hoc Sacrificio est eadem Hostia et idem offerens principalis, prout in Sacrificio Crucis: ergo eadem etiam est utriusque efficacia: unde Trid. sess. 22. cap. 1. docet, vim Sacrificii Missæ non pendere ex privata Ministri conditione: hæc, inquit, illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.

Nec refert, quòd tantùm ad aliquos effectus requiratur dispositio ex parte suscipientis; non enim requiritur ut ratio formalis causandi, sed solummodo ut conditio, sicut in Sacramentis: et hinc tales effectus plus vel minùs perci-

piuntur secundùm majorem vel minorem dispositionem recipientis.

An istos effectos Sacrificium Missæ operatur immediatè, an mediatè?

II. R. aliquos mediatè, aliquos immediatè: sic mediatè tantùm remittit peccatum mortale, quatenùs in anima certas parit dispositiones, quarum ope peccator remissionem delictorum consequi valeat; unde Trid. sess. 22. cap. 2.: " Hujus (Sacrificii) oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit."

III. Idem dicendum de remissione peccati venialis; quia nullum peccatum, licèt veniale, remittitur sine aliquo bono motu peccatoris, quem motum impetrat hoc Sacrificium.

IV. Similiter tantùm mediatè in justis auget gratiam habitualem, inquantùm Missæ Sacrificium justis gratias obtinet actuales, vi quarum in ipsis gratia crescit aut crescere potest, tum quia immediatè causare augmentum gratiæ habitualis proprium est Eucharistiæ Sacramento, et aliis Sacramentis vivorum; tum quia parvulus baptizatus, pro quo plura offerentur Sacrificia, posset fieri major Sanctus illo, qui diuturnam vitam in praxi omnium virtutum peregisset: quod est contra communem Ecclesiæ sensum.

V. Immediatè autem operatur in justis relaxationem pœnæ temporalis ex peccatis condonatis relictæ, aliaque bona spiritualia et corporalia immediatè operari potest; si enim per bona opera, jejunium, orationes, eleëmosynas, &c. hæc bona immediatè obtineantur, et pœnæ peccatorum remittantur, id non est denegandum Sacrificio Missæ, quod est totius Religionis opus præstantissimum; deinde valet hoc Sacrificium tam vivis quàm defunctis pro remissione pœnarum juxta Tridentinum; Defunctis autem valere non potest impetrando ipsis actum satisfactorium; quia non sunt illius capaces: ergo valet immediatè; si autem ita defunctis prosit, quid in viventibus?

An Sacrificium etiam vim habet ex opere operantis?

R. Affirmativè; quia valet per modum orationis, quæ, quò magis accensa est, eò majorem producit fructum.

Habet etiam Sacrificii oblatio impetrandi vim, quatenùs

est ab Ecclesia ut ab offerente per Ministrum publicum, etiamsi non sit in statu gratiæ : ratio est, quia Ecclesia semper est Sancta, ac proinde grata Deo.

Habetne Sacrificium Missæ effectus suos infallibiliter ?

VI. R. Infallibiliter habet effectum, inquantùm est Latreuticum et Eucharisticum, quia ex actione sacrificativa à Christo instituta Dei honor et gratiarum actio spontè sequuntur.

2°: Infallibiliter habet effectum satisfactorium in justis, sive vivis, sive defunctis obnoxiis debito pœnæ temporalis, quæ remissâ jam culpâ restat. Non omnis tamen culpa in unoquoque Sacrificio remittitur, alioquin perperam pro eodem defuncto pluries offeretur Sacrificium : quapropter si sit de vivis sermo, credibile est, plus ei remitti pœnæ temporalis, qui meliùs est dispositus, quàm minùs disposito, sicut Sacramenta plus gratiæ conferant meliùs dispositis : quoad defunctos verò, probabile est, Deum vel habere rationem gradûs piæ dispositionis, in qua decesserunt, vel pœnas moderari, secundum occulta justitiæ suæ judicia.

VII. Hinc non inferes, quòd diviti, pro quo multa Sacrificia offeruntur, meliùs futurum sit, quàm pauperi justiori, pro quo vix offertur ; quia pauper talis vel habet minoris pœnæ reatum, vel tanquam magis justus plus participavit de Sacrificiis generalibus pro animabus defunctorum oblatis quàm minùs Sanctus, sicut et ex Missis in Thesauro Ecclesiæ positis, ex quibus ad ratam sanctitatis participant animæ eorum patientes, qui, inquit S. August. cùm viverent, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerunt,

VIII. 3°. Remissio peccatorum per hoc Sacrificium non obtinetur infallibiliter, ut experientiâ constat ; multi enim in peccatis perseverant, pro quibus sæpius offertur Sacrificium Missæ : dantur tamen infallibiliter gratiæ actuales uberiores ad eliciendos contritionis actus, nisi occurrat obex, qualis esse potest actualis peccati effectus.

Cæterùm si pro peccatoribus, qui, ut loquitur Tri. sess. 22. cap. 2. cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia ; contriti ac pœnitentes ad Deum accedunt, Sacrificium offertur, per ipsum infallibiliter fiet, ut Sacramentum Pœnitentiæ in re susceptum vel in voto susceptum remissionem suorum peccatorum ac delictorum accipiant.

IX. Similiter impretatio aliorum bonorum spiritualium, v. g. augmenti gratiæ, gloriæ æternæ, non causatur infallibiliter; quia sæpe potest esse obex ex parte subjecti: nec infallibiliter obtinentur bona temporalia; quia non semper expediunt ad salutem: rectè tamen dici potest, Sacrificium Missæ habere illam infallibilem efficaciam per modum causæ impetratoriæ eorum, quæ in nomine Christi debitè petuntur, sicuti datur oratio infallibiliter impetratoria.

X. Ex his sufficienter patet, quòd Christiani plus utilitatis habeant, si curent pro seipsis vivis Missas celebrari, quàm pro seipsis mortuis; quia considerandum est, per Sacrificium dari gratias necessarias ad perseverandum, vel quibus spiritus pœnitentiæ obtineatur, à quibus felix vel infelix dependet æternitas; quid enim juvabit, quòd ordinent pro se legi centena aliqua Sacra post mortem, ut liberentur ex purgatorio, ad quod forsitan nunquam devenient.

In quo conveniunt et disconveniunt quoad effectum impetrationis oratio et hoc Sacrificium?

XI. R. 1°. Disconveniunt in eo, quòd oratio non sit impetratoria nisi ex opere operantis; hoc autem Sacrificium sit impetratorium ex opere operato, vel saltem quasi ex opere operato, ideoque multò facilius et efficacius.

Dictum est; *Vel saltem ex opere operato;* quia secundùm plures effectus temporales non impetrantur propriè ex opere operato, nec etiam propriè ex devotione Ministri, sed ex dignitate rei oblatæ et principalis offerentis Christo.

2°. In conditionibus infallibilis impetrationis partim conveniunt et partim disconveniunt: pro quo notandum, quòd conditiones orationis infallibiliter impetratoriæ, de quibus Num. 60. *de Religione*, sint quatuor, nimirum ut quis petat pro se, piè, perseveranter et necessaria, vel saltem utilia ad salutem: ex quibus prima conditio non est hujus Sacrificii, quod ex sua institutione est propitiatorium et impetratorium pro se et pro aliis.

Neque secunda conditio est Sacrificii ex parte offerentis, sed in eo continetur eminentissimè ex parte Christi principalis offerentis et Hostiæ Sacrificii; ex parte tamen eorum, qui de illius fructu participant, requiritur, ut impetrationi non obstent obice indignitatis.

Tertia conditio etiam hìc locum habet; unde quandoque pro eadem re impetranda sæpius hoc Sacrificium offertur.

Quarta conditio, scilicet orantis perseverantia, hìc similiter obtinet, defectu cujus petita sæpius non obtinentur; ita ut hujus conditionis ratione s;militer hoc Sacrificium sæpius offerendum sit.

Quò tempore Sacrificium Missæ suos operatur effectus?

XII. R. Cum Sacrificium Missæ secundum probabiliorem sententiam essentialiter perficiatur utriusque speciei Consecratione, ut dictum est, probabiliùs etiam videtur, quòd in ordine ad effectus, quos confert ex opere operato, totam suam efficaciam habeat eo ipso, quo finita sunt verba Consecrationis; sicut Sacramenta, dum essentialiter sunt completa, effectus suos conferunt: non ideo tamen statim omnes effectus conferuntur, quia potest esse dilationis ratio, v. g. non statim semper conferuntur gratiæ prævenientes, aut alia bona, sive spiritualia, sive temporalia, pro quibus impetrandis Sacrificium offertur, sicut etiam in Sacramentis non statim conferuntur gratiæ actuales, quæ sacramentales vocantur; et hoc est, quod innuere videtur Trid. sess. 22. cap. 2. dicens, *Per hoc Sacrificium conferri auxilium opportunum:* statim tamen Sacrificium Missæ effectum suum habet inquantum est Latreuticum et Eucharisticum, et similiter inquantùm satisfactivum est pro pœna temporali restante, peccato remisso, effectum suum in justis, sive vivis, sive defunctis, statim operari videtur: unde effectus, qui applicatur, dum Sacerdos memoriam defunctorum facit, solummodo est ex opere operantis; hinc Sacerdos debet ante Missam, vel saltem ante Consecrationem per intentionem designare illos, pro quibus Sacrificium offerre intendit, sive sint vivi, sive defuncti.

XIII. An Missa mali Sacerdotis minùs valet, quàm boni?

R. 1°. Inquantùm offertur Sacrificium, quod valet ex opere operato, eatenus non minùs valet Sacrificium Missæ mali Sacerdotis, quàm boni.

XIV. 2°. Non minùs fructuosa est missa Sacerdotis mali inquantùm celebrans est Minister Ecclesiæ; cujus ministerium etiam manet in peccatoribus; et eatenus æque fructuosa est non solùm oratio Sacerdotis peccatoris in Missa quatenùs Ecclesiæ Ministri, sed omnes ejus orationes, quas facit in Ecclesiasticis Officiis, in quibus gerit personam Ec-

clesiæ, ac orationes Justi: cujus ratio est, quòd Ecclesia semper sit sancta, ac proinde semper Deo grata. Licèt Sacerdos ab Ecclesia præcisus validè consecret ratione Characteris Sacerdotalis, orationes tamen, quas fundit in Missa, sunt infructuosæ: quia non orat in persona Ecclesiæ, à cujus unitate est præcisus: ita S. Th. quæst. 82. art. 7. ad 3.

XV. 3°. Inquantùm præces, quæ dicuntur in Missa, considerantur tanquam opus ipsius Sacerdotis ut personæ privatæ, sic ex opere operantis magis fructuosa est Missa Sacerdotis melioris, tum sibi ut opus meritorium, tum sibi vel aliis ut opus impetratorium et satisfactorium, idque magis vel minùs secundùm modum dispositionis et devotionis ejus; quia verò considerari debet secundùm omnes suas circumstantias, absolutè dicendum videtur, quòd melior sit Missa Sacerdotis boni, quàm mali.

Quamvis indignè celebrans graviter peccet, si tamen accepto stipendio plures in malo statu Missas fecerit, non obligatur, ut passim docent Theologi, ad illius restitutionem; licèt congruat, ut piâ oratione compenset, quod impietate suâ abstulisse videtur.

N. 9. DE TRIPLICI PORTIONE FRUCTUUM SACRIFICII MISSÆ.

I. *Triplex portio fructuum Sacrificii Missæ.* II. *Generalis,* III. *Specialis,* IV. *Specialissima.* V. *Propositio damnata.*

NOMINE fructûs hujus Sacrificii intelligitur ejus effectus inquantum est propitiatorium pro peccatis expiandis, satisfactorium pro pœnis remittendis, et impetratorium pro bonis, tum spiritualibus, tum temporalibus acquirendis: sed quia expiatio peccatorum non causatur immediatè, sed mediantibus gratiis, quæ impetrantur, hinc ex hac parte dici potest effectus impetratorius: et ideo, fructus Sacrificii Missæ solet distingui in satisfactorium et impetratorium.

Quotuplex solet distingui fructus Sacrificii Missæ respectu eorum quibus prodest?

R. Triplex distinguitur portio, generalis scilicet, specialis et specialissima; aliqui vocant generalissimam, mediam et specialem.

Portio generalis est, quæ obvenit toti Ecclesiæ : juxta illud Missalis Romani : *Sed et pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis ;* imò juxta aliquos toti mundo, conformiter ad illud : *Pro nostra et totius mundi salute.*

Ex illa autem portione quisque videtur habere partem cum proportione dignitatis, sanctitatis seu dispositionis, &c. ita ut Prælati Ecclesiæ, Principesque temporales præ privatis participent, justi præ peccatoribus, sanctiores præ minùs talibus ; et principaliter quidem ii, quorum mentio fit in Canone, *ut Papa, &c.* uti etiam illi quorum Sacerdos meminit in *Memento,* sive absentes sint, sive præsentes ; sic tamen ut cæteris paribus magis inde participent, qui magis ad Sacrificium concurrunt procurando, assistendo, &c.

Docet Henno, quòd Sacerdos excludens vel unicum Ecclesiæ membrum in sua applicatione, sive ex odio, sive ex inimicitia, sive ex alio prætextu, graviter peccet contra charitatem et obedientiam Christo et Ecclesiæ debitam.

III. Portio specialis seu media competit illis, pro quibus Sacerdos intendit specialiter sacrificare : illam tamen potest sibi applicare, dum pro nullo Missam celebrat : quin imò valde est conveniens, inquit Daelman, quòd omnis Sacerdos quandoque sibi applicet portionem Sacrificii specialem, cùm et ipse sæpe indigeat.

IV. Portio specialissima Sacerdoti est propria, etiam dum pro altero celebrat, licèt ex stipendio : et quidem juxta Suarez, Collet, Steyaert, Daelman et Pauwels contra Henno portio illa ita Sacerdoti celebranti propria est, ut nequidem validè eam possit à se abdicare alteri applicando, eò quòd Sacerdos juxta Apost. ad Hebr. 7. debeat *priùs pro suis delictis Hostias offerre, deinde pro populi.*

An Sacerdos non potest per unam Missam satisfacere duobus stipendiis, applicando uni partem solitam, et alteri portionem specialissimam ?

V. R. Negativè : ut constat ex propositione condemnata ab Alexandro VII. quæ est numero octava : " Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII." Ratio enim est, quòd debito ex

ex justitia certò non possit satisfieri solutione incertâ : jam autem incertum est, an Sacerdos fructum specialissimum à se abdicare possit; imò sententia negativa videtur probabilissima; deinde incertum est, an fructus specialissimus æquivaleat fructui medio seu speciali; cùm aliqui ut Navarrus, eum tantùm tertiæ parti medii fructûs respondere contendant.

N. 10. DE APPLICATIONE FRUCTUS SACRIFICII MISSÆ.

I. *Applicatio non requiritur pro portione specialissima,* II. *Nec necessariò pro portione generali,* III. *Sed requiritur pro portione speciali.* IV. *Quòd si facta non sit, fructus ille remanet in thesauro Ecclesiæ,* V. *Etiam si applicetur incapaci.* VI. *Sufficit intentio actualis non retractata.* VII. *Non licet celebrare anticipatè pro stipendio postea daturo.* VIII. *An Beneficiatus possit Missas anticipare ?*

I. UTRUM ad participationem de fructu Sacrificii ultra capacitatem participantis requiratur applicatio, ex parte Sacerdotis celebrantis ?

R. 1°. Portio fructûs specialissima, supposità dispositione, derivatur in ipsum Sacerdotem celebrantem, neque ad hoc opus est speciali applicatione.

II. 2°. Ad participationem de portione fructûs generali nulla etiam specialis Sacerdotis celebrantis applicatio requiritur; sed ex Christi voluntate in eos omnes derivatur, qui illius capaces sunt, et respectu quorum obex nullus ponitur.

Nec ideo Sacerdos pro aliquo principaliter celebrans frustra quorumdam aliorum v. g. parentum aut benefactorum secundariò specialiter meminit; id namque potest eis prodesse ex opere operantis ipsius celebrantis, idque eò magis ac citiùs, quia Sacerdos, dum offert Sacrificium, faciliùs à Deo impetrat, et probabiliter etiam ex opere operato ob specialiorem memoriam.

III. 3°. Portio fructûs specialis sive media relicta est liberæ applicationi et determinationi celebrantis, ut constat ex communi Ecclesiæ sensu approbantis morem fidelium, quo petunt pro se Sacrificium Missæ specialiter offerri:

unde ad participationem hujus portionis necessariò requiritur applicatio celebrantis specialis, quia Sacrificium Missæ species est quædam orationis; sed oratio, nisi specialiter applicetur, specialiter non prodest: applicatio autem, ut dictum est Num. 8. debet saltem fieri ante Consecrationem, imò in praxi curandum, ut fiat ante Missam, ut etiam orationes et preces præparatoriæ illis prosint, quibus applicatur Sacrificium Missæ: idem observa circa alios, quorum secundariò specialem memoriam facere vult Sacerdos.

Quid si Sacerdos nemini explicitè aut implicitè applicet portionem specialem?

IV. R. Tali casu, ut docent Authores, remanent fructus illi in thesauro Ecclesiæ: posset fortè dici, inquit Daelman, quòd magna istius portionis pars specialis applicetur in tali casu Sacerdoti, juxta illud Ps. 34. *Oratio mea in sinu meo convertetur.*

V. In Ecclesiæ thesauro pariter remanebit fructus, si applicetur incapaci; nisi Sacerdos priori intentioni secundam addat conditionatam, quam Authores suadent, et fieri potest in hunc modum; *offero* v. g. *pro anima Joannis, in cujus gratiam stipendium recepi, quòd si capax non est, eandem offero, prout re cognitâ fieri vellent, qui stipem dederunt, vel prout Deus magis expedire cognoscit.*

Utrum qui ratione stipendii vel beneficii, aut mandati superioris tenetur fructum specialem applicare uni, possit validè applicare alteri?

R. Affirmativè, quia hanc applicationem facit ex potestate Ordinis: quæ verò jure divino Ordini sacerdotali sunt annexa, neque Ecclesia neque ullus Superior irritare potest; nulli etiam potestati humanæ subjacet jus divinum: erit tamen dicta applicatio illicita, ut per se patet.

Qualis ex parte Sacerdotis requiritur intentio, ut fructus Sacrificii alicui specialiter applicetur?

VI. R. Juxta Boudart, Neesen, Billuart, Preinguè, et Collet, sufficit ea habitualis, quæ dicitur actualis non retractata, absolutè scilicet determinata, sed ita præterita, ut nec actualis nec virtualis celebrationem comitetur; ratio est, quòd applicatio sit quasi quædam donatio seu translatio fructûs, qui ex Missa percipiendus est, quæ donatio seu fructûs translatio valida est, etiamsi multo tempore ante facta sit, et multis actibus interrupta, dummodo revocata non

sit: unde qui promisit heri Petro Missam crastinam, hodie verò promissionis immemor, neque alteri applicare cogitans, sive explicitè, sive implicitè, reipsâ celebrat pro Petro; quin imò, inquit Collet et Preinguè, et toto mense et anno, si id semel voluerit, nec animum mutet, pro eodem celebrabit: eodem modo sicut hodie possum dare omnia bona, quæ hoc anno acquiram.

Observa tamen, non sufficere eam intentionem, quâ quis fructum applicasset, casu quo advertisset.

Item observandum, quòd intentio applicandi debeat esse absoluta, ad quam reducitur conditionata de præsenti aut præterito, non autem pendens de futuro; quia sicut Sacramentorum, sic etiam Sacrificii effectus pendere non potest à conditione futura.

Obj. Ad confectionem Sacramentorum requiritur intentio actualis vel virtualis; ergo etiam ad applicandum Sacrificii fructum.

R. Disparitas est, quòd voluntas applicandi Sacrificium non concurrat tanquam illius causa; eò quòd possit subsistere Sacrificium sine ejus applicatione: voluntas verò seu intentio conficiendi Sacramentum ad illud concurrit tanquam illius causa, quæ proinde debet actualiter vel virtualiter existere.

Licetne Sacerdoti, anticipato tempore, Missas celebrare pro eis, qui postea stipendium oblaturi sunt ad celebrandum Missas?

VII. R. Negativè; quia Sacra Conc. Trid. Congregatio die 15. Novembr. 1605. hanc praxim reprobavit, tanquam pluribus nominibus periculosam, Fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimiùm aberrantem; quod Decretum approbavit Clemens VIII. atque edidit Paulus V. Ratio responsionis etiam est, quòd hæc praxis sit contra communem Fidelium sensum, qui petunt Missam non celebratam, sed celebrandam: deinde non potest ad arbitrium Sacerdotis suspendi fructus Sacrificii, quod valet ex opere operato, sicut effectus Sacramentorum in subjecto bene disposito suspendi nequit.

Obj. Neque dicas, probè nosse Deum, esse futurum, ut Joannes v. g. crastinâ die roget Sacerdotem, et ipsi largiatur honorarium, ut pro ipso celebret.

R. Quamvis enim hoc verum sit, sicut tamen Deus nullum punit nec remunerat ob ea, quæ futura prævidet, sic etiam effectum hujus Sacrificii non confert cum respectu ad futuram hominis voluntatem : accedit, inquit Pauwels, quòd talis praxis sit fraudulenta et injusta; quia Sacerdos exponit dantem eleëmosynam periculo privandi fructu illius Sacrificii, utpote qui tunc fortè erat in statu peccati mortalis. Vide latiùs Daelman, oratione 1. ad calcem tomi 8.

Si tamen, ut ait Collet et Pauwels, sacerdos prævideat futurum, ut à se postulentur Missæ pro Paulo defuncto, poterit jam nunc easdem offerre, et deinceps stipendium accipere; quia sic offertur Sacrificium pro persona determinata, nec expectatur indigentia, sed supponitur, tantùmque incurrit Sacerdos stipendii amittendi periculum.

An Sacerdos, qui ratione beneficii tenetur singulis hebdomadibus celebrare duas vel tres Missas, non posset anticipatè legere illas, quæ celebrandæ erant hebdomada sequente ?

VIII. R. Sub distinctione : vel fundator unicè intendit, ut tot Missæ in honorem Dei aut suî-ipsius requiem celebrarentur, et tali casu licitè anticipat; quia anticipata debiti solutio non nocet, sed prodest creditori : vel ex beneficii fundatione apparet, fundatorem voluisse, ut quâlibet hebdomadà duæ vel tres Missæ celebrarentur, vel ne quædam Altaria Missâ carerent, vel ne cuidam loco certis quibusdam diebus Missa deesset, et tunc anticipare non licet; in his enim casibus videtur fundatoris voluntas anticipatæ Missæ celebrationi adversari.

Ex dictis infertur, quòd, si sint singulis mensibus 12. v. g. Sacra celebranda pro defunctis alicujus Parochiæ, non posset Sacerdos hoc mense celebrare 12. pro mense futuro; quia tunc anticipatio efficit, ut qui mense sequenti decedunt, debito sibi subsidio fraudentur.

Pariter infertur, quòd, si fundator Missas celebrandas affixerit ex intentione pia certis diebus, ut si Passionem Domini feriâ sextâ, et Deiparam sabbato specialiter honorari voluerit, non liceat Sacerdoti diem alterum substituere : aliud foret, si fundator tantùm intenderit, ut per hebdomadam bis vel ter pro seipso celebraretur.

N. 11. DE VALORE SACRIFICII MISSÆ.

I. *Valor hujus Sacrificii est quoad sufficientiam infinitus,* II. *Non tamen quoad efficientiam,* III. *Vel propter limitationem dispositionis illorum, pro quibus offertur.* IV. *Vel, quod probabilius, propter Christi institutionem:* V. *Et hæc sententia probatur.* VI. *Fructus offerentibus respondens non minuitur ex majori eorum numero.* VII. *Monita practica.*

DISTINGUENDUM est inter valorem Sacrificii Missæ et ejus effectum; nam valor significat dignitatem, quam habet, tum ex parte offerentis, tum ex parte rei oblatæ; effectus autem id, quod de facto datur intuitu illius dignitatis.

Utrùm valor Sacrificii Missæ sit infinitus?

I. R. 1° Valor Sacrificii Missæ consideratus quoad substantiam et sufficientiam rei oblatæ et principalis offerentis Christi est infinitus; quia hoc Sacrificium, quantùm ad substantiam est idem cum Sacrificio Crucis, cujus valor fuit quoad sufficientiam infinitus; ergo etiam hujus Sacrificii valor: unde nulla sunt beneficia, quantumvis magna, quin possint hoc Sacrificio impetrari, nec tot, quin plura, nec pro tot, quin pro pluribus: et similiter nulla tanta est pœna, pro qua ad satisfaciendum non sufficiat, neque in subjectis tam multis, quin in pluribus.

II. 2°. Quoad actualem applicationem et efficientiam valor Sacrifici Missæ est finitus, tam respectu fructûs satisfactorii, quàm impetratorii: constat ex Ecclesiæ praxi et communi fidelium sensu; cùm pro una et eadem re impetranda, utì etiam pro eadem anima sæpius Sacrficium Missæ iteretur.

Undenam provenit limitatio ista fructûs Sacrificii, sive undenam provenit, quòd Missæ Sacrificium ex parte principalis offerentis et rei oblatæ valoris infiniti producat tantùm fructus finitos?

III. R. Duplex desuper præcipuè est sententia: prior docet, quòd Sacrificium Missæ secundum se sit productivum fructûs infiniti, tum intensivè, scilicet majoris et majoris in eodem secundùm majorem et majorem ejus dispositionem,

tum extensivè, id est, quòd eundem effectum possit producere in pluribus et in pluribus in infinitum, ita ut limitatio fructûs proveniat ex dispositione et devotione illius, pro quo sacrificatur: et secundùm hanc sententiam Sacrificium Missæ oblatum pro pluribus æquè prodest singulis, cæteris paribus, ac si pro uno tantùm offerretur; quia cùm valor sit infinitus, et cuilibet Sacrificium prosit secundùm quantitatem suæ devotionis, ut docet S. Thom. quæst. 79. art 5. et 7. nihil tollitur de fructu debito illius devotioni, pro quo offertur, ex hoc quòd offeratur pro aliis; infinitum enim est inexhauribile.

Admittit tamen hæc sententia, injustum esse accipere pro una Missa plura stipendia; quia stipendium non datur tanquam pretium fructûs Sacrificii, sed pro sustentatione Ministri, quia non ideo majori indiget alimento ex eo, quòd hoc Sacrificium pluribus integrè prosit: adeoque nec plus nisi ex liberalitate datum recipere potest.

IV. Posterior sententia, quæ inter recentiores est communior, dicit, limitationem quantitatis fructûs provenire ex voluntate Christi, qui sic instituit hoc Sacrificium, ut certum et limitatum tantùm fructum produceret, ut sic excitaretur fidelium pietas, ad frequentiùs procurandam Sacrificii celebrationem: et in hac sententia Sacrificium oblatum pro pluribus non æquè prodest singulis, ac si pro uno tantùm offerretur; quia finitum, quò pluribus distribuitur, eò magis decrescit et minùs singulis datur.

V. Probatur hæc sententia 1°. quia Christus hoc Sacrificium instituit, ut frequentaretur: ergo non voluit, ut haberet effectum infinitum: 2°. licèt res oblata et principalis offerens sint infiniti valoris, ipsa tamen Sacerdotis oblatio est finita: 3°. quia praxis Ecclesiæ habet, quòd Sacrificium offeratur pro aliquo in particulari: si autem pro multis factum tantùm valeret singulis, ac si pro uno tantùm fieret, deberet Sacrum fieri v. g pro omnibus defunctis, non pro uno tantum. 4°. Confirmari potest hæc sententia ex condemnatione hujus propositionis per Alexandrum VII. " Non est contra Justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere et Sacrificium unum offerre."

VI. Nec sequitur ex hac sententia, fructum minui ex numero audientium Missam, vel assistentium Sacerdoti celebranti; quia cùm sint offerentes cum Sacerdote, singuli

cæteris paribus tantùm accipiunt, quantùm si unus solus cum illo offerret; quia ubi multiplicantur offerentes, eatenus etiam multiplicantur oblationes; quia unusquisque perinde offert, ac si esset solus, sicque nullus alteri obstat in fructu offerenti respondente: unde fructus illis correspondens pro majori numero crescit extensivè, et tamen intensivè non minuitur: et hinc generaliter dici solet, quòd portio fructûs generalis sit quasi extensivè infinita, ita ut inde participantibus, utique aliquâ ratione offerentibus, æquè prosit singulis, sive plures sint, sive pauciores: aliud est de portione fructûs speciali; ubi enim Sacerdos specialiter offert pro pluribus, non ideo specialiter multiplicantur oblationes, sed eatenus unica specialis oblatio est pro pluribus per Sacerdotem facta.

VII. Observat Cardinalis Bona in tractatu Ascetico *de Sacrificio Missæ*, optimum aliquibus videri, quòd Sacerdos, qui pro pluribus offerre intendit, eos specialiter et nominatim exprimat, non generaliter et in confuso; quia singulis minùs prodesset; suum enim producit effectum secundùm modum applicationis.

Observat 2°. ad arcendos scrupulos in formanda intentione, Sacerdotem 1°. debere applicare ei, pro quo celebrare tenetur, vel ratione beneficii, eleëmosynæ aut aliter: deinde sinè illius præjudicio fructum Sacrificii cæteris applicare pro quibus simul offert ex charitate, pietate aut alio titulo gratuito, suam ipsius intentionem Christi, summi Sacerdotis, intentioni subjiciens.

N. 12. PRO QUIBUS OFFERRI POSSIT SACRIFICIUM MISSÆ.

I. *Offerri potest pro omnibus Ecclesiæ membris.* II. *Item pro iis, qui sunt extra Ecclesiam.* III. *Quæstio est, an pro excommunicatis.* IV. *Probabilius et communius negativè.* V. *Quid in hac opinionum varietate agendum.* VI. *Sacrificium Missæ non offertur pro damnatis.* VII. *Nec propriè pro Sanctis.* VIII. *Sed offertur pro animabus in purgatorio.*

GENERALITER loquendo offerri potest pro vivis et defunctis, ut colligitur ex Sacerdotum ordinatione, in qua ab Episcopo dicitur: "Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis."

Quinam intelliguntur nomine *vivorum*, pro quibus Sacrificium Missæ potest offerri?

I. 1°. Certò offerri potest pro omnibus Christ. Fidelibus, sive Ecclesiæ membris, justis, vel peccatoribus, et etiam quotidie pro eis offertur secundum hæc verba Canonis Missæ: "Offerimus tibi.... pro omnibus Orthodoxis atque Catholicæ et Apostolicæ Fidei Cultoribus." Justis solis tamen potest prodesse in ratione satisfactionis pro pœna ex peccato remisso restante.

II. 2°. Pro Catechumenis et Infidelibus potest offerri Missæ Sacrificium, non tantùm indirectè, v. g. pro Ecclesiæ Catholicæ propagatione offerendo, sed etiam probabiliùs directè, id est, pro bono ipsorum Infidelium, vel spirituali, vel etiam temporali.

Probatur: quia in veteri Lege Sacrificia fiebant pro Gentibus, ut libro 1. Esdræ cap. 6. pro Dario et ejus filiis, et 2. Machab. cap. 3. pro Heliodoro: ergo id etiam licet in nova Lege; nulla enim desuper extat expressa Ecclesiæ prohibitio: hinc dicit Tertullianus libro ad Scapulam: "Sacrificamus pro salute Imperatoris."

III. 3°. Quantum ad excommunicatos conveniunt Authores, quòd excommunicati non excludantur privatis fidelium suffragiis, adeoque quòd Sacerdos ut privata persona

possit orare pro eis, etiam in Missa exprimendo illos in *Memento:* conveniunt pariter, quòd Sacerdos possit indirectè pro illis, item pro Hæreticis baptizatis, offerre Missæ Sacrificium, offerendo, v. g. pro iis, qui incumbunt illorum conversioni, ut fructuosè munus suam exequantur, vel pro hæresium extirpatione, Ecclesiæ exaltatione, &c. Sed hic difficultas est, an liceat directè pro iisdem offerre Sacrificium Missæ; affirmat Billuart ex Sylvio dicens, quòd Sacerdos, etiam tanquam Ecclesiæ Minister, directè possit pro excommunicatis orare, et ipsis directè fructum Sacrificii applicare, modo eorum nomina in Ecclesiæ orationibus non exprimantur, et intentio Sacerdotis non sit pro eis orare aut sacrificare, ut membris Ecclesiæ (quod solummodo per Ecclesiam dicit esse prohibitum) sed ut pœnitentiâ ducti, ad ejus gremium revertantur: plerique tamen alii verosimiliùs negant, Sacerdotem in persona Ecclesiæ agentem posse directè pro eis orare aut sacrificare: ratio illorum est, quòd excommunicati priventur communibus Ecclesiæ suffragiis, inter quæ sunt oratio, et præcipuè Missæ Sacrificium.

V. Quidquid sit de utraque hac opinione tutissimum est intentionem suam ita moderari, ut intendant directè offerre, pro augmento, unitate et pace illius Ecclesiæ, quæ inter Hæreticos, excommunicatos vel Schismaticos conversatur: eundem enim intentio hæc habet effectum, quem habet alia in sententia Billuart; cùm in illis locis Ecclesia non possit augeri, uniri ac pacificari, nisi jam dicti convertantur.

Pro quibus defunctis potest hoc Sacrificium offerri?

VI. R. 1°. Pro damnatis sive æternis suppliciis in inferno addictis nec debet, nec potest offerri Missæ Sacrificium, quia nullo modo ipsis potest prodesse; quia in inferno nulla est redemptio.

Obj. Sacerdos in Missa pro defunctis orat ut inferno liberentur damnati his verbis: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni:* ergo, &c.

R. Neg. antec. quia Ecclesia per inferni pœnas vel intelligit pœnas Purgatorii, quod sano sensu vocari potest infernus, et tunc non mirum, si ab iis Ecclesia fideles suos omni quo potest modo liberare conetur: vel intelligit pœnas Dæmonibus præparatas, et tunc respicit ad illud instans, quo animæ constitutæ sunt in exitu vitæ, et orat Ecclesia

animæ illæ sint de numero reproborum, neve absorbeat eas tartarus, sed in sinum veri Abrahæ recipiantur, perinde ut in *sequentia* pro defunctis in persona morientium ibidem erat Sacerdos: *Sed ut bonus fac benignè, ne perenni cremer igne.*

VII. 2°. Non offertur Sanctis Missæ Sacrificium; cùm sit cultus Latriæ, qui uni Deo debetur: nec offertur pro Sanctis, ut est propitiatorium aut satisfactorium; quia cùm Dei visione fruantur, nil culpæ vel pœnæ luendum superest, neque etiam ut impetratorium gloriæ essentialis; quia nihil, Deo sic ordinante, gloriæ essentiali superaddi potest: quia autem Sancti possunt acquirere novam gloriam accidentalem, et ea de facto ipsis accrescit, ex eo, quòd Sacrificium offeratur Deo in gratiarum actionem pro eorum victoria et corona, et ad implorandum eorum auxilium, per quod significatur illos multum æstimari; hinc aliqui volunt, quòd pro Sanctis Sacrificium Missæ possit offerri ut impetratorium istius gloriæ accidentalis: alii verò dicunt, quòd hoc propriè non sit impetrare Sanctis, sed potiùs nobis impetrare gratiam ut Sanctos debito honore prosequamur, et nos juvent suis precibus; sicut non oramus pro Deo, ut aliquid ei impetremus, dum quotidiè dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*; sed petimus gratiam, quâ tum nos, tum alii eum honoremus, et Sanctum habeamus.

VIII. 3°. Piè et utiliter pro solis animabus in purgatorio existentibus offertur Sacrificium Missæ: probatur ex lib. 2. Machab. cap. 12. ubi legitur, Judam Machabæum jussisse orari et sacrificari pro Judæis, qui in Bello ceciderant: patet etiam ex concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. et Canone 3. item probatur ex praxi et traditione Ecclesiæ, quæ semper et ubique servavit ritum orandi pro mortuis: ergo cùm id à nullo Concilio statutum legatur, meritò ab apostolica traditione oriri judicatur.

Porrò animabus existentibus in purgatorio prodest Sacrificium Missæ infallibiliter in remissionem pœnarum ex culpa restantium, saltem quoad partem, ut dictum est Num. 8.

N. 13. DE DIFFERENTIA SACRIFICII MISSÆ AB ALIIS, ET A SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

I. *In quibus differt hoc Sacrificium ab antiquis,* II. *Item à Sacrificio Crucis,* III. *Et à Sacrificio ultimæ Cœnæ.* IV. *Item à Sacramento Eucharistiæ.*

In quibus differt Sacrificium Missæ à Sacrificiis antiquis, sive Legis Moysaïcæ et Naturæ?

I. R. 1°. Ex parte rei oblatæ: 2°. ex parte principalis offerentis, qui in hoc Sacrificio est Christus: 3°. materia in hoc Sacrificio, quæ assumitur, non est res principaliter oblata, sed id, quod ex illa per actionem sacrificativam efficitur: in aliis autem materia, quæ assumebatur ad Sacrificium, erat id, quod principaliter offerebatur: 4°. Differunt penes Ritum offerendi: sic ad Consecrationem in Missa requiruntur verba determinata, et in Persona Christi prolata: 5°. longè major est dignitas hujus Sacrificii et efficacia; non enim tantùm valet ad effectus temporales, sed etiam spirituales, idque ex opere operato, non sic Sacrificia antiqua: 6°. Sacrificja vetera significabant futuram, hoc verò præteritam significat Christi mortem: 7°. Missæ Sacrificium omnes differentias et species veterum Sacrificiorum perfectissimo modo continet: ex quibus patet, hoc Sacrificium ab antiquis differre essentialiter.

In quo differt Sacrificium Missæ à Sacrificio Crucis?

II. R. Præcipuè in sequentibus: 1°. Christus in cruce seipsum obtulit immediatè; in Missæ Sacrificio se offert Ministerio Sacerdotum.

2°. Christus in cruce oblatus fuit in propria specie, mortalis, passibilis et cruentè; in Sacrificio Missæ sub speciebus Panis et Vini, immortalis, impassibilis et incruentè offertur.

3°. Sacrificium crucis non erat significativum nec repræsentativum alterius Sacrificii; Sacrificium verò Missæ est signum commemorativum Sacrificii crucis.

4°. Sacrificium crucis erat de condigno meritorium et satisfactorium; verùm Sacrificium Missæ non tale est; cùm Christus sit extra statum viæ,

5o. In cruce solutum est sufficientissimum Redemptionis nostræ pretium; in Missæ Sacrificio illud nobis applicatur.

6o. Sacrificium Crucis tantùm semel oblatum fuit: Sacrificium Missæ usque ad consummationem sæculi jugiter in Ecclesia est offerendum.

7o. Differunt penes varias circumstantias, putà loci, cæremoniarum, &c.

Cùm autem eadem utrobique sit Hostia, idemque principalis offerens Christus, non videtur inter utrumque intercedere differentia essentialis, sed accidentalis in modo et ratione offerendi, de quo ita Trid. sess 22. cap. 2. "Una eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ."

An et quomodo Sacrificium Missæ differt à Sacrificio ultimæ Cænæ?

R. Non differt essentialiter à Sacrificio Cœnæ ultimæ ob rationem jam datam, et ulteriùs quia est idem offerendi modus: differt ergo tantùm accidentaliter, imò in ultima Cæna Christus se ut mortalem obtulit; in Missa verò se quidem offert in statu mortis, sed ut jam non moriturum.

2o. In ultima Cœna Christus se obtulit immediatè; in Missa verò per manus Sacerdotum.

3o. Sacrificium ultimæ Cœnæ meritorium erat et satisfactorium, non item Missæ.

4o. Sacrificium ultimæ Cœnæ mortem Christi ut futuram, Missæ verò sacrificium ut præteritam representat.

5o. Sacrificium Cœnæ non fuit imago alterius Sacrificii incruenti: Missæ autem Sacrificium est vera imago et repræsentatio Sacrificii Cœnæ.

6o. Potest adhuc dici, quòd differant in aliis circumstantiis, vel physicis, ut sunt tempus, locus, &c. vel moralibus, penes Ritum, apparatum, &c.

IV. In quo differt hoc Sacrificium à Sacramento Eucharistiæ?

R. Præcipuè in sequentibus: 1o. Sacramentum consistit in re permanente, Sacrificium in actione victimæ sacrificativa et transeunte.

2o. Ad essentiam Sacrificii requiritur Consecratio utriusque speciei; essentia Sacramenti salva est in una etiam specie.

3°. Sacrificium per se et primariò ordinatur ad cultum Dei; Sacramentum ad nostram sanctificationem est institutum.

4°. Alii sunt effectus Sacramenti, alii Sacrificii, ut constat ex dictis de utriusque effectibus.

5°. Sacramentum ex opere operato prodest suscipienti soli; Sacrificium celebranti et aliis.

N. 14. DE STIPENDIO MISSARUM.

I. *Origo stipendiorum.* II. *Celebrans licitè accipit stipendium.* III. *Taxatum ab Ordinario vel consuetudine.* IV. *Plus exigens peccat contra justitiam.* V. *Non potest celebratio alteri committi retentâ sibi parte stipendii.* VI. *Duo casus excipiuntur.* VII. *Dilatio celebrationis ultra duos menses est mortalis.* VIII. *An ex stipendiis aliquid licitè detrahatur pro indumentis.*

I. NOTANDUM, quòd in primitiva Ecclesia fideles singuli, quotquot ad Missarum solemnia conveniebant, pro sua facultate Panem et Vinum offerrent, quorum exigua pars consecrabatur, et reliqua Massa Sacerdotibus et Clericis cedebat; postea invectus est mos, ut loco Panum ad Altare pecunia offerretur, cui successit usus stipem Sacerdoti elargiendi, ut Sacrificii fructum in se vel alios derivaret.

An licitum est stipendium vel honorarium accipere pro Missa?

II. R. Affirmativè; non quidem tanquam pretium ipsius Missæ; hoc enim simoniacum foret, sed titulo sustentationis occasione celebrationis Missæ: constat ex doctrina Christi, Matth. 10. v. 10. *Dignus est operarius cibo suo*, quam confirmat Apost. 1. ad. Cor 9. v. 13. *Qui Altari deserviunt, cum Altari participant.*

2°. Probatur: quia Sacerdos habet jus exigendi necessaria ad Sacrificium ab iis, qui illud petunt: inter necessaria autem ad illud ministerium computatur sustentatio Sacerdotis, non minùs quàm vinum, cera, Minister, &c.

Confirmatur: stipendii usum tota per orbem frequentat Ecclesia: ergo est licitus, nisi culpare vellemus Ecclesiam, quod temerarium est.

Utrùm ille Sacerdos est simoniacus, qui ita est constitutus, ut non celebraret, si non haberet stipendium.

R. Daelman, Observ. 7. *de Simonia*, talem non statim de simonia esse condemnandum; non enim functiones illas facit pro temporali; sed temporale solùm est causa, cur hìc et nunc se determinet ad functionem, quam præstabit et ordinabit ad honorem Dei: latiùs hoc explicatur in Tractatu *de Religione*, Num. 206.

III. Quantum esse debet stipendium?

R. Quantum taxatum est ab Ordinario vel consuetudine, quod pro locorum et temporum circumstantiis potest esse diversum: pro Archidiœcesi Mechl. inquit Pauwels, Illustrissimus Alphonsus De Bergers taxavit stipendium ad octo asses.

IV. Steyaert rectè monet Sacerdotes, ut non exigant plus quàm stipendium taliter taxatum; imò plus exigens non solùm delinquit contra legem Ecclesiæ, verùm etiam justitiam commutativam lædit: nec minus facilè admittant ob incommoda multa et magna, dicit Steyaert; si tamen justæ causæ adsint, minus accipere licet: si autem Sacerdoti aliunde suppetat, ut vivat, præsertim ex proventibus Ecclesiasticis, facilis sit ad celebrandum pro petentibus, etiam sine stipendio.

Licet tamen plus accipere, dum gratis ex liberalitate datum est, prout etiam ratione laboris extrinseci, ut latè docetur Num. 207. *de Religione.*

Cæterùm si quis taxationem constitutam ignorans plus daret, debet à Sacerdote moneri, ne fortè ex errore plus justo offerat.

Pacta de stipendio non ineat Sacerdos, ut statuit Trid. sess. 22. Decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missæ*, et Synodus 1. provincialis Mechliniensis, titulo *de Decanis*, cap. 11. inhibet sub pœna suspensionis, ne per se vel per alium, directè vel indirectè stipulentur pro Missis, sed quod eis spontè oblatum fuerit, inquit, accipiant.

Utrùm qui accipit stipendium solito majus, possit celebrationem Missæ alteri committere, ipsi dando stipem ordinariam, aliâ parte sibi retentâ?

V. R. Negativè: quia nullum habet titulum, quo retineat partem illam; hæc enim non gratis ei data est, sed cum onere celebrandi: ergo cùm onus in alium rejiciat, debet etiam beneficium in alium refundere: unde per Alexan-

drum VII. damnata est hæc propositio, Num. 9. "Post decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ." Et hinc talis sibi partem retinens videtur justitiam violare, et ad restitutionem obligari: quinimo, inquit Benedictus XIV. in Constitutione de die 30. Junii, 1741, § 5. quæ habetur lib. 3. *de Sacrificio Missæ*, cap. 22. si Laïcus sit, præter alias arbitrarias pœnas excommunicationis pœnam; Clericus vero, sive quiscumque Sacerdos pœnam suspensionis ipso facto incurrit, quas pœnas Pontifex sibi extra articulum mortis reservat.

VI. Duo casus à resolutione passim excipiuntur: primus est, si stipendium proveniat ex Beneficio, partem retinere potest; quia Beneficiatus est Dominus fructuum Beneficii, qui non tantùm dantur pro celebratione Missarum, sed etiam pro aliis finibus.

Secundus casus est, quando dans stipendium ita fieri permittit, ut quando dat, ut soli accipienti bene sit, v. g. quia pauper, quia consanguineus, &c. in tali enim casu dat accipienti potestatem partem stipendii retinendi, casu quo per seipsum fortè non sit celebraturus.

Tertium casum allegant aliqui, si ille, cui committuntur Missæ celebrandæ, plenè, sponte et liberè consentiat in retentionem partis stipendii: sed quia regulariter contingit, quòd illa partis condonatio non sit omnino et plenè spontanea, ideo hanc praxim ex communiter accidentibus prohibuerunt Summi Pontifices; et quidem Benedictus XIV. lib. 3. *de Sacrificio Missæ*, cap. 22. Num. 5. testatur Sacram Congregationem decrevisse die 23. Augusti, anni 1664. ut Sacerdoti ad faciendum Sacrum subrogato totum stipendium conferatur, licet is rem totam plenè noverit, et tamen minori se stipendio contentum fateatur.

An, si unus petat Missam pro defuncto, et alter pro conversione peccatoris, non possit satisfacere utrique obligationi per unicam Missam, applicando defuncto fructum satisfactorium, et alteri impetratorium?

R. Negativè: quia unusquisque censetur petere applicari sibi integri Sacrificii fructum.

An Sacerdos, qui solùm obligatur celebrare in certo loco pro commoditate populi cum intentione libera, ut aiunt, possit *insuper* aliud stipendium accipere?

R. Affirmativè: quia tali casu Sacerdos imponit sibi duas obligationes, pro quibus potest accipere distincta stipendia, unum in pretium laboris extrinseci, quo tenetur esse paratus ad celebrandum tali horâ, tali loco, &c. aliud in sustentationem, quam meritò exigit ab illo, qui petit Missam.

Potestne aliquis habens 100 Sacra ad unum florenum dicere alteri licitè: *adjuva me in legendo, postea adjuvabo te;* nihil ei supplendo in supposito, quòd alter tantùm habeat Sacra ad octo asses?

R. Affirmativè; quia datur obsequium æquale pro æquali obsequio.

An unam Missam celebrare omittens, ad quam ex stipendio tenetur, peccet mortaliter?

R. Affirmant Collet, Henno, cum aliis; quia privatio fructûs unius etiam Sacrificii damnum spirituale satis grave inducit: negat Billuart; quia hoc damnum non censetur grave in genere damnorum spiritualium, cùm levi queat redimi stipendio: hinc ut minùs dubium est, an non sit mortale.

Quid judicandum de casu quo quis pecunias accipit pro Missis, et quarum obligationes transfert in alios pro mercibus v. g. Libris?

R. Billuart, id esse licitum, supposità certitudine morali, quòd Missæ suo tempore celebrandæ sint; item supposito, quòd non recipiatur plus, quàm acceptum stipendium; deinde etiam in supposito, quòd merces sint emptori æquè gratæ et utiles ac ipsæ pecuniæ; inde enim nemini infertur damnum aut injuria.

An licet Sacerdoti plura congerere stipendia Missarum, quas prævidet non nisi post diuturnum tempus celebrari posse?

VII. R. Negativè; et quidem peccat mortaliter, qui diutiùs, quàm par est, differt Missas, et obnoxius est restitutioni; quia sicut peccat mortaliter diutiùs sinè causa differens solutionem debiti temporalis, ex qua dilatione sequitur grave damnum creditori cum obligatione reparandi istud damnum; ita similiter et à fortiori de debito spirituali, et ideo Sacra Congregatio sub Urbano VIII. vetuit singulis Sacerdotibus, ne manuales eleëmosynas pro novis Missis accipe-

rent, nisi jam oneribus ante susceptis satisfecerint, aut intra modicum tempus satisfacere possint, nisi stipem tribuens consentiat in dilationem.

Ly *intra modicum tempus* quidam extendunt ad mensem, quidam ad duos, quidem ad plures: qui pro duobus sunt, fundant se in Concilio Trid. sess. 24. *de Reformatione;* cap. 12. ubi spatium duorum mensium absentiæ in Canonicis Cathedralibus reputatur quid modicum; ex circumstantiis tamen dijudicari poterit, an non citius Sacra persolvi debeant; et hinc si manè suscipiatur Missa celebranda pro lite hodie definienda, pro fœmina pariente, pro agonizante, &c. qui vel per unam diem differt, graviter peccat, et ad restitutionem tenetur, ac si Sacrum omisisset; si autem Missæ petantur pro communibus necessitatibus, aut pro defunctis, non potest quis sub gravi, inquit Henno, Missas differre ultra duos Menses.

Providè monet Sanctus Carolus Borromæus *Instructione ad Confessarios*, ne ipsi, dum Laïcis pro pœnitentia Missas injunxerunt, eas sibi, aut Ecclesiæ suæ, aut Monasterio dicendas addicant.

VIII. Notandum, Urbanum VIII. decrevisse, ne stipendiis manualibus aliquid detrahatur in commodum Ecclesiæ subministrantis Sacerdoti sacra indumenta, nisi cum Ecclesia alios non habeat reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possit: ita respondit Congregatio sub Urbano VIII. specialiter ad hæc constituta, ut videre licet apud Collet, fol. 708.

N. 15. DE CELEBRANDI OBLIGATIONE TUM EX SACERDOTIO TUM EX BENEFICIO.

S. Thom. quæst. 82. *art.* 10.

I. *Sacerdos tenetur aliquoties celebrare.* II. *Quando, et quoties non constat.* III. *Ecclesiæ variatio.* IV. *Altaris variatio.* V. *Reductio Missarum facienda per Ordinarium.* VI. *Obligatio celebrandi quotidie.* VII. *Pastor tenetur celebrare* VIII. *Pro Parochianis,* IX. *Diebus Dominicis et Festis,* X. *Etiam iis festis quibus licet serviliter laborare.* XI. *Aliis diebus non est obligatio.*

An omnes Sacerdotes aliquoties celebrare tenentur?

I. R. Affirmativè, seposito legitimo impedimento, idque vi officii sacerdotalis, quæ obligatio de se videtur gravis, quandoquidem circa rem gravem versetur.

Probatur 1°. ex verbis Christi Lucæ cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* atqui verba hæc continent verum offerendi Sacrificii præceptum, secundùm id Trid. sess. 22. cap. 1. "Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba: *hoc facite,* &c." ergo hæc obligatio est juris divini.

2°. Est etiam juris naturalis, ut probat S. Th. loco cit. in *Corp.* "Quia unusquisque tenetur uti gratiâ sibi data, cum fuerit opportunum, secundùm illud 2. ad Cor. cap. 6. v. 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis;* opportunitas autem Sacrificium offerendi non solùm attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur."

II. Quando et quoties Sacerdos vi muneris Sacerdotalis teneatur celebrare, nisi eum excuset legitimum impedimentum, non ita determinari potest: interim S. Thom. citato loco in *Corp.* dicit: "Saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis Festis, et maximè in illis diebus in quibus Fideles communicare consueverunt."

Notandum, quòd, cùm Cajetanus in citatum Divi Thomæ textum scripsisset, Sacerdotem, qui rarò celebrat aut nunquam, venialiter tantùm delinquere, doctrinam hanc ex ipsius commentario expungi jusserit Pius V. immediatus Tridentini Decreti Executor; et cap. DOLENTES, *de celebratione Missarum*, improbat Innoc. III. negligentiam illorum, qui vix quater in anno celebrabant.

Conc. Trid. sess. 23. *de Reformatione*, c. 14. ita habet loquens de Sacerdotibus: " Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis et Festis solemnioribus, si autem curam animarum habuerint, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent."

Scio, inquit Henno, ut praxis declarat, non toties obligari ad celebrationem, sed etiam scio, Concilii circa hoc sollicitudinem innuere aliquam obligationem.

Ex quibus omnibus saltem videtur hoc posse erui, gravis peccati suspectum esse Sacerdotem illum, qui semel in anno tantùm celebrat, et peccati mortalis certò reus videtur, qui nunquam per annum Missæ Sacrificium offert.

An Beneficiatus, qui Missas celebrat in alia Ecclesia ab ea, quam fundator designavit, satisfaciat suæ obligationi?

III. R. 1°. Dicit Collet, plures negare, esse obligationem restituendi: (nisi quis majus stipendium receperit, ut longiùs iret; quia tunc tenetur de excessu); nam talis non privat fundatorem fructu Sacrificii Missæ, inquit Neesen.

R. 2°. Interim Hugo, Henno et Neesen loci mutationem à peccato mortali non excusant; quia graviter opponitur fundatoris voluntati, quæ locum legis habet; nisi raro fiat, aut nisi accedat rationabilis causa, et hoc casu potest etiam vacare peccato veniali, quod præsertim locum habet, quando Episcopus dat facultatem in alia Ecclesia celebrandi.

IV. Quod spectat ad solam altaris mutationem distingui solet; vel enim hoc altare designatum est à fundatore vel iis, qui stipendium dederunt ob causam gravem, sive in se, sive in opinione fundatoris, et tunc Altaris variatio grave erit peccatum, nisi id rarò fiat: vel illud Altare absque speciali fine præfixum est, et tunc faciliùs, ait Hugo, poterit ille excusari à peccato gravi varians Altare intra eandem Ecclesiam.

Notandum, quòd, si Altare in quo celebrari debent Missæ, sit privilegiatum, Missæ celebrari non possint sub gravi,

inquit Henno, in alio Altari non privilegiato; quia videtur fieri, inquit, gravis injuria iiis, pro quibus petitur Sacrificium Missæ.

V. An reductio Missarum fieri potest ad minorem numerum, dum proventus ordinarii fundationis ita sunt imminuti, ut nullatenus sufficiant ad ratam justi stipendii?

R. Affirmativè: non tamen ista reductio fieri potest privatâ authoritate, sed authoritate Ordinariorum, qui idcirco executores testamentorum vocantur. Vide Trid. sess. 22. cap. 6. et 8. et sess. 25. cap. 4. *de Reformatione*.

An Sacerdos v. g. obligatus ratione Beneficii celebrare quotidie, possit aliquando à celebratione vacare, debeatque Missas per alium supplere?

VI. R. Vel fundator ordinavit, ut Sacerdos per se vel per alium celebret Missam quotidie, tunc præter tres postremos majoris hebdomadæ dies tenetur Sacerdos per se, vel per alium, si ipse non possit, celebrare. Idem est si obligatio sit annexa alicui Capellæ aut Ecclesiæ, in qua fundator voluit quotidie celebrari Missam.

Vel Beneficiatus simpliciter adstringitur ad quotidianam Missam, et tali casu interdum potest ex infirmitate, vel aliâ rationabili causâ Missam omittere: non potest tamen diebus licitæ vacationis Missam pro aliis præterquam pro fundatoribus celebrare. Hactenus resolutio Sacræ Congregationis de die 18. Septembris, anni 1683.

Sed quæstio est, cujus resolutionem distulit Sacra Congregatio, an pro illis diebus, quibus licitè vacat, debeat Missas per alios supplere; et responsio communis est, quòd fundatoris intentio ea fuisse merito præsumatur, ut quotidiana celebratio fieret, nisi obstet Sacramenti reverentia, Sacerdotis infirmitas, vel alia rationabilis causa: adeoque sicut famulis non solet ob brevem ægritudinem minui stipendium, sic nec Sacerdos ad per alium supplendum cogitur ex mente fundatoris, nisi diutiùs abstineret à celebratione Missæ: tunc enim alium substituere deberet.

Quandonam Pastores, aut alii curam Pastoralem gerentes celebrare tenentur?

VII. R. Tenentur per se vel per alios toties Missam celebrare in Parochia quoties subditi illam audire obligantur quinimo juxta multos debent quandoque saltem per hebd-

madam illud præstare pro solâ populi devotione, quemadmodum etiam pro sola populi devotione Sacramenta administrare tenentur.

Utrùm Pastores, aut alii curam Parochialem habentes aliquando Missam pro Parochianis specialiter applicare teneantur vi officii Pastoralis, secluso titulo stipendii, fundationis, &c.

VIII. R. Affirmativè: idque veluti ex Divino Præcepto descendens à Trid. Synodo disertè exprimitur sess. 23. cap. 1. *de Reformatione* his verbis: "Cùm Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre," &c. Quæ verba non possint intelligi de applicatione generali, quia applicatio generalis etiam respicit alios, quàm Parochianos, plus autem debet Pastor ovibus propriis, quàm alienis.

Quondonam et quoties tenetur Parochus Missam pro Parochianis applicare?

IX. R. Ultra casum publicæ necessitatis tenetur diebus Dominicis et Festis de præcepto, quamvis etiam à populo non habeat congruam sustentationem; ita declaravit Sacra Congregatio, cujus Decretum Innoc. XII. anno 1699. confirmavit, sive Parochus sit amovibilis sive non, sive sæcularis, sive regularis, etiam si isto die pro aliis offerre teneatur; ut fieri potest, si Pastor simul sit Canonicus et Missam conventualem celebret, quæ applicari debet benefactoribus; tunc enim Missa Parochialis erit celebranda per alium sumptibus Pastoris, aut saltem in diem ferialem transferenda; ita statuit Benedictus XIV. in suo edicto de die 19. Augusti, anni 1744.

X. Decernit pariter in citato decreto, quòd ad hoc teneantur, licèt antiquâ seu immemorabili consuetudine in quibusdam Diœcesibus sive parochiis contrarium obtineret, etiam declarans, quòd populo applicare teneantur iis Festis, quibus fideles debent Missam audire, et ex Apostolico indulto opera servilia exercere possunt: concedit tamen Episcopis facultatem dispensandi cum Pastoribus egentibus, ut diebus Festis, quando ejusmodi se offert occasio, ab offerente aliquo stipendium accipere, et pro ipso Sacrificium applicare liberè et licitè possint et valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in Ecclesia Parochiali

Missam celebrent, et infra hebdomadam toties Missam pro populo applicent, quoties diebus Festis occurrentibus.

IX. Derogat in eadem Constitutione responsis Sacræ Congregationis, quibus Parochus pinguibus dotatus reditibus quotidie pro populo celebrare et applicare jubebatur, sed si præfatis diebus applicetur, sibi satisfactum fore declaret.

N. 16. DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS.

S. Thom. quæst. 83. *art.* 2. *et* 3.

I. *Quâ diei horâ sit licitum celebrare.* II. *Locus Missæ celebrationis.* III. *Ecclesia polluitur homicidio voluntario,* IV. *Notabili sanguinis effusione, quæ est mortaliter injuriosa,* V. *Voluntaria seminis humani effusione,* VI. *Sepulturâ nominatim excommunicati.* VII. *Violatio cœmeterii.* VIII. *Oratoria domestica non sunt capacia violationis.* IX. *Ecclesia non debet reconciliari, nisi causa violationis sit publica.*

I. QUANTUM ad horam celebrationis dicunt Rubricæ Missalis Romani: " Missa privata, saltem post Matutinum et Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest." Per auroram intelligitur lucis crepusculum quod quandoque longiori, quandoque breviori temporis intervallo ortum Solis præcedit: unde aurora non debet strictè seu mathematicè sumi Interim lex ista non obstat, quominus in Belgio licitè celebretur longo tempore ante diei crepusculum: et sic tempore hyemali licet ab hora quinta matutina, prout æstivo ab hora quarta celebrare; quia sic obtinet generalis loci consuetudo cum pleno scitu Episcoporum: et rationabiliter hoc introductum est, ut operarii tunc temporis Missam audirent, antequam ad operas suas tendant.

Anticipari potest Missa: 1°. dum id exigit causa publica, ut si populus peregrinationem longam est instituturus primo manè.

2°. Ad communicandum infirmum, qui aliàs sinè Viatico moreretur, licet statim post mediam noctem celebrare.

Meridies sicut aurora non debet mathematicè sumi, sed moraliter; hinc non statim quis peccaret, ut communiter dicunt Authores, si paulò post meridiem celebret: optimum est tam in anticipatione quàm dilatione probatas loci inspicere consuetudines, intra quas si quis hæserit, ab omni culpa immunis erit.

In Mechliniensi Diœcesi Illustrissimus Andreas Cruesen, inquit Pauwels, anno 1658, die 29. Novembris, occasione impii abusûs inter Missarum celebrationes confabulandi vel alias insolentias exercendi, ac scandala committendi, publico Edicto strictè inhibuit omnibus Sacerdotibus, ne Missas suas inchoent post horam 12 meridianam, et omnibus Rectoribus Ecclesiarum, ne talem abusum sub quovis quæsito prætextu aut colore permittant.

Notandum, quòd Parochus, qui solus præest duabus Parochiis, non possit die Cœnæ Domini duas in utraque Ecclesia Hostias consecrare, quarum alteram tunc sumat, alteram die sequenti in ambabus Ecclesiis, sed populus utriusque loci in unum convenire debet.

Quo loco Missa est celebranda?

II. R. De jure communi celebrari debet in Ecclesia ab Episcopo consecrata, vel ab eodem aut Sacerdote de ejus licentia benedictâ, vel in oratorio ad hunc usum ab iis, qui potestatem habent, deputato; patet ex Trid. sess. 22. Decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missæ.*

Hæc autem est inter Consecrationem et benedictionem differentia, quòd Consecratio longè operosior versetur circa parietes, qui Chrismate linuntur; Benedictio autem fiat aquâ benedictâ et paucis precibus, respiciatque Ecclesiæ fundum seu pavimentum.

Quibus casibus violatur Ecclesia?

III. R. 1_o. Homicidio voluntario non tantùm injusto, sed etiam de se justo: v. g. si judex legitimè condemnatum suspenderet, cap. PROPOSUISTI, lib. 3. Decret. tit. 40. homicidium casuale aut ab amente perpetratum, Ecclesiam non violat, nec probabiliùs occisio facta in suî defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ.

IV. 2_o. Notabili sanguinis humani effusione, quæ est mortaliter injuriosa: vide cap. ECCLESIIS *de Consecratione*, dist. 1. et cap. SI ECCLESIA lib. 3. Decret. tit. 40. hinc non

violatur Ecclesia, si dumtaxat guttæ aliquot sanguinis effundantur, licet gravis foret percussio; neque violatur, licèt sanguis copiosè effundatur, si percussio non sit mortalis ut contingere potest in pueris, se mutuò ad nasum percutientibus: quia tales actiones non graviter repugnant mansuetudini Christi, qui ibidem ut mansuetus offertur et colitur.

Nota, pro utroque hoc casu sufficere, quòd vulnus fuerit inflictum in Ecclesia, quamvis extra Ecclesiam ex eo moriatur aut sanguinem fundat vulneratus; similiter sufficit, si foris existens occidat aut vulneret cum notabili sanguinis effusione existentem in Ecclesia, Non tamen contra, si existentem, etiamsi vulneratus ingressus in Ecclesiam ibi moriatur aut sanguinem fundat.

V. 3°. Violatur Ecclesia per voluntariam seminis humani effusionem: cap. Ecclesiis, et cap. Si Ecclesia.

Perinde est, sive sit effusio secundùm naturam, sive contra naturam, sive per copulam fornicariam, sive conjugalem.

Resolvunt communiter Authores, Ecclesiam non violari per pollutionem, quæ accidit in somno, quamvis fortè fuerit culpabilis in causa.

VI. 4°. Violatur Ecclesia, sepeliendo in ea excommunicatum nominatim denuntiatum, aut notorium Clerici percussorem, item sepeliendo ethnicum vel infidelem.

Nota, ut Ecclesia hoc modo violetur, non requirl peccatum, sed satis esse infidelis aut excommunicati denuntiati sepulturam.

Sequitur: violari Ecclesiam, sepeliendo in ea infantem non Baptizatum: si autem mortuus in utero matris et adhuc existens in eo simul cum matre sepeliatur, non violatur Ecclesia; quia non sepelitur tanquam persona distincta, sed ut pars matris. Secùs existimat Sylvius, si fuisset extractus ex utero matris, et iterum in eo repositus.

VII. Nota, quòd quatuor prædictis modis etiam violetur cæmeterium benedictum, ita ut, priusquam reconciliatum sit non liceat in eo sepelire. Quinimò si cæmeterium sit conjunctum Ecclesiæ, violatâ Ecclesiâ, etiam violatur cæmeterium, non tamen è contra: vide cap. Si Ecclesiam, *de cons. Eccles.* in 6. hinc cæmeterium violatum ex violatione Ecclesiæ etiam ex ejusdem reconciliatione censetur reconciliatum.

VIII. Oratoria domestica prædictæ violationis non sunt capacia, etiamsi hæc ad Missæ celebrationem per Episcopum designata sint; quia jura de Ecclesiis ac locis publicis loquuntur, et pœnales materiæ restringi debent.

Utrùm prædictæ causæ violationis Ecclesiæ debeant esse publicæ, ut censeatur Ecclesia violata?

IX. R. Non debent esse publicæ ad contrahendum Sacrilegii crimen; ut autem Ecclesia censeatur polluta, sic ut indigeat reconciliatione, et sit prohibitum in ea celebrare, debent causæ esse publicæ; unde Parochus, qui Ecclesiæ suæ violationem novit, in ea, sicut priùs, celebrare potest, donec casûs notitia in plebem sufficienter dimanaverit

N. 17. DE QUIBUSDAM NOTATU DIGNIS AD CELEBRATIONEM MISSÆ SPECTANTIBUS.

I. *Quibus licet tangere vasa sacra.* II. *Purificatoria tangi possunt post primam lotionem.* III. *Quandonam Calix amittit suam Consecrationem?* IV. *Nunquam est licitum celebrare sinè vestibus sacris principalibus, bene tamen aliquando sinè minoribus.* V. *De Missa in lingua vulgari.* VI. *Requiritur sub gravi Ministrans Celebranti, nisi gravis sit necessitas,* VII. *Masculus.* VIII. *Per se loquendo est peccatum ex genere suo mortale Missam inceptam interrumpere.*

QUIBUS licitum est tangere vasa sacra?

I. R. Extra casum necessitatis tangere vasa sacra, dum actu continent Corpus aut Sanguinem Christi Domini, ex communi sententia nulli citra peccatum mortale licet, præterquam Sacerdoti aut Diacono.

Vasa sacra vacua tangere licet solis Subdiaconis, aliis extra casum necessitatis aut particularis veniæ illicitum est, sed secundùm communem sententiam sub veniali tantùm.

II. Idem est de purificatoriis ad Calicem abstergendum adhibitis, quæ tamen postquam à Subdiacono primâ ablutione, quæ in Ecclesiæ piscinam projici debet, lota sunt, tangi et refici possunt à Laïcis et quamdiu non sunt notabiliter fracta, novâ post lotionem benedictione non egent.

Quandonam Calix amittit suam Consecrationem ?

III. R. Quando ita frangitur, ut non remaneat aptus ad convenientem usum sacrum, v. g. si cuppa separetur à pede (nisi pes foret tornatilis) aut in fundo Calicis foramen fiat, aut Calix aliter enormiter frangatur; non amittitur Consecratio, etsi paululùm decidat Calicis deauratio; communior tamen est sententia, Calicem novà indigere Consecratione, si noviter deauretur interior cuppæ superficies.

Morem, quo præbetur pueris tussi quadam ipsis peculiari et incommodissima laborantibus vinum è Calice sacrato bibendum pro remedio, nullis superstitionis aut alterius vitii accusandum, dicit Steyart.

Estne licitum aliquando celebrare sinè vestibus sacris ?

IV. R. Sinè vestibus sacris principalibus v. g. albâ vel stolâ, Celebrans graviter peccat, etiam in casu gravis necessitatis, v. g. ut infirmus Viaticum recipiat : ita communiter Authores : in gravi aliqua necessitate sinè aliqua ex minoribus vestibus celebrare v. g. manipulo aut cingulo, pluribus videtur licitum.

Dum Sacerdos se sacris vestibus induit, preces per rubricas præscriptas recitare debet, non tamen sub mortali, ut vult Neesen, cui meritò contradicit Pauwels.

Amittunt vestes sacræ suam benedictionem, cùm formam, sub qua benedictæ sunt, non ampliùs retinent, ita ut ad Ministerii functiones jam ineptæ sint : et ita desinit albæ benedictio, si ex ea detrahatur seu separetur manica ; secùs tamen, si manica cum funiculis jungatur corpori : pariter desinit benedictio cinguli, si ita rumpatur, ut neutra pars, quæ remanet, ad cingendum idonea sit ; secus si pars altera sufficiat ad cingendum, et tunc, inquit Collet, pro majori commoditate poterit ei connecti pars altera : nec sufficit vestes taliter fractas, ut á benedictione exciderint, reparare, sed reparatæ indigent nova benedictione.

Vestes sacræ ita detractæ, ut suo usui non possint ampliùs deservire, secundùm Canones non sunt usibus profanis applicandæ, sed aut ex eis aliæ conficiendæ, quæ Ecclesiæ deserviunt usibus ; aut comburendæ sunt, et cineres reponendi in sacrario, aut in pariete aut fossis pavimentorum, ne introeuntium pedibus conculcentur.

Notandum circa prædicta omnia, scilicet altaria, vestes, &c. quòd probabilius non consecrentur aut benedicantur ipso usu, sed tantùm ritu et cæremoniis ab Ecclesia prascriptis.

An Missa possit celebrari in lingua vulgari ?

V. R. Celebrare Missam in lingua vulgari non est per se malum: particularibus pluribus tamen et justis de causis Ecclesia prohibuit Missæ celebrationem in lingua vulgari, putà quòd ex linguarum diversitate tolleretur Ecclesiarum communicatio : quòd cuique penè civitati peculiaris sit lingua, et labentibus annis mutetur idioma, sicque sæpe immutanda forent verba Sacrificii; quòd periculum foret, ne multi verbis abuterentur ad profanos sermones; quòd in Missa multa sint intellectu difficilia, unde contingeret quòd multi verba audientes et non intelligentes effingerent sensus exoticos falsosque; quemadmodùm ex lectione Scripturæ sacræ, quæ ideo non omnibus promiscuè permittitur.

An in celebratione Missæ requiratur Minister, qui Sacerdoti inserviat et respondeat ?

VI. R. Affirmativè, idque sub gravi, nisi gravis quædam necessitas excuset; quia Sacerdos aliquando populum fidelem alloquitur: ergo debet esse quispiam, qui respondet: deinde debet esse ministrans ad ablutionem manuum et digitorum.

In gravi tamen necessitate liceret sinè Ministro celebrare, sibique respondere, ut si v. g. opus sit ministrare Viaticum infirmo ; si alioquin plebs non sinè magna offensione privaretur Missâ, si post inceptam saltem notabiliter Missam recederet ministrans.

VII. Minister ille debet esse masculus, juxta rubricas Missal. Rom. et cap. INHIBENDUM, lib. 3. Decret. tit. 2. ita ut, secundùm quod Authores dicunt communiter, in necessitate potiùs esset celebrandum sinè Ministro, quàm cum ministrante femina, quod etiam ad Moniales et Begginas extendendum.

Permittitur tamen, ut, deficiente masculo, femina è loco dissito respondeat Celebranti, sicut faciunt Moniales è Choro respondentes, Sacerdote sibi ipsi vinum et aquam ministrante, ac librum de uno latere ad aliud deferente.

An Sacerdoti licet Missam inceptam interrumpere, postea perficiendam ?

VIII. R. Per se non licet; quia Missa est una totalis et integra actio, cujus partes ex constanti Ecclesiæ Doctrina secum invicem connexæ esse debent: licet tamen, si moribundus Baptismo aut Pœnitentiâ indigeat, si infirmo, qui cætera Sacramenta suscipere nequivit, administranda sit Extrema-Unctio, si Episcopus sit collaturus Ordines, Parochus concionem habiturus, aut Ecclesiæ edicta promulgaturus, Superior vota Religionis excepturus, si urgeat exonerandi alvi necessitas; non tamen expedit Missam interrumpi, inquit Sylvius, ad audiendam confessionem, etiam brevem alicujus communicaturi.

N. 18. DE PRÆCEPTO AUDIENDI MISSAM.

I. *Præceptum audiendi Missam* II. *Obligat fideles omnes rationis compotes,* III. *Sub gravi.* IV. *Notabilitas materiæ desumitur vel à qualitate vel à quantitate,* V. *Omnes monendi in Catechismis, ut audiant integram Missam.* VI. *Non satisfacit, qui simul audit diversas partes Missæ.*

I. Inter quinque Ecclesiæ Præcepta secundum est audiendi Missam Dominicis et aliis Festis diebus his verbis expressum: *Sacrum Missæ Officium diebus Festis reverenter audito:* officium illud complectitur non solùm essentialia aut integralia Sacrificii, sed totam lithurgiam ab initio usque ad finem: illud autem Præceptum est Juris Ecclesiastici, sed fundatum in Jure naturali et Divino.

Quinam obligantur hoc præcepto?

II. R. Omnes utriusque sexûs fideles, postquàm ad annos usûs rationis pervenerint, quod passim contingit circa annum septimum ætatis, et ideo infantes talis ætatis ad Missam sunt compellendi.

Quanta est hujus Præcepti obligatio?

III. R. Est gravis, quia est materia gravis et finis gravissimus ut recolatur, inquit Pauwels, memoria Passionis et Resurrectionis Domini Jesu Christi, et ut Deus Sacrificio honoretur, inquantùm populus in Missa præsens affectum et devotionem conjungit cum Sacerdote celebrante.

Proinde peccatum illius omissionis est ex genere suo mortale: unde qui sufficienti deliberatione die Festo omittit

Missam aut notabilem Missæ partem, peccat mortaliter; potest tamen fieri veniale non tantùm ex indeliberatione actûs, v. g. si quis ex ignorantia diei Festi solùm veniali omittit audire Missam; sed etiam ex parvitate materiæ, ita ut partem tantùm levem omittens venialiter tantùm peccet.

Quænam pars Missæ censetur notabilis?

IV. R. Desumitur notabilitas à quantitate vel à qualitate: à qualitate, quando desumitur à partibus Missæ, quæ maximi sunt momenti; et hac ratione partem notabilem omittit, graviterque peccat, qui se absentat à Consecratione, (idem dic de eo, qui voluntariè distrahitur tempore Consecrationis) vel etiam juxta plures, qui non interest Communioni; quia in his consistit essentia et integritas Sacrificii.

Notabilitas desumitur à quantitate, dum desumitur a magna parte precum, orationum et cæremoniarum, quæ in actione Missæ contingunt: et hac ratione pars notabilis juxta alios est tertia, juxta alios quosdam quarta pars Missæ; Doctores variant.

Communior est sententia, illum non omittere partem notabilem, qui ab initio interfuit, sed exit immediatè post Communionem; neque illum, qui omittit omnia à principio usque ad epistolam exclusivè, sed remanet usque ad finem.

Laxior opinio à gravi excusat, dummodo intersis ante offertorium, quod nullatenus admittendum; cùm Patres eam Missæ partem magni æstimarint, unde Missam Catechumenorum appellabant: rigorosior opinio requirit, ut intersis ad Epistolam: probabilior opinio et ad sensum vulgi accommodatior videtur, si dicamus cum La Croix, Missam non audiri, si quis non veniat sub initium Evangelii permanendo usque ad finem, et cum Boudart, non omittere partem notabilem, qui adest antequam incipiat legi Evangelium, vel saltem juxta varios, antequam sit lectum.

Cæterùm res moraliter consideranda est attentis præsertim his tribus:

1°. In partibus Missæ taxandis quoad gravitatem aut parvitatem non esse præcisè considerandam temporis moram; sed etiam dignitatem partis, utrùm sit essentialis, aut propiùs ad substantiam Missæ pertineat; unde potissimùm

oportet interesse illis, quæ in Canone Missæ ab Oblatione Panis et Calicis usque ad Communionem continentur.

2° Consideranda est constitutio cordis, unde illa omissio provenit; nam gravior erit omissio, quæ provenit ex negligentia, incuria, consuetudine aut acedia, quàm si contingat quasi fortuitò, quòd seriùs venerit: unde circa hoc examinandi sunt illi, qui confitentur, se serò venisse, et siquidem sint ex prioribus, notandum est, hujusmodi sæpe, etiam dum fortè satis maturè veniunt, potuisse tamen peccare mortaliter, quatenùs per negligentiam exposuerunt se periculo multùm serò veniendi, vel etiam ut in hujusmodi non rarum est, Missam audierunt cum distractionibus satis voluntariis.

3° Quò partis omissio est minùs notabilis et minùs voluntaria, eò minor causa sufficere potest cum excusatione ab altera Missa audienda.

V. In Catechismis et Concionibus omnes monendi sunt, ut Missæ tempestivè intersint ab initio usque ad finem; et si in parte aliqua, præsertim notabili defuerint, ut alteram Missam in totum, si moraliter possunt, de novo audiant; quòd si nec aliam audire possunt, tenentur, qui seriùs accedunt ad Missam, juxta Billuart et Henno, partem restantem audire, etiamsi peracta sit Consecratio; talis enim se habet, ut qui caret Breviario; is autem tenetur recitare id, quod novit memoriter.

Si autem postea, mutatis circumstantiis, habeat occasionem aliam Missam audiendi, non satisfacit Præcepto aliam audiendo ab introitu usque ad Consecrationem, quantumvis priorem Missam audierit à consecratione usque ad finem: quia præcipitur Sacrum integrum; ex illis autem partibus not fit unum integrum Sacrificium, quia nullum ad se ordinem habent, sicut caput Joannis et corpus Pauli non sunt integer homo.

VI. Ex quibus etiam patet, eum non satisfacere Præcepto audiendi Missam, qui duas partes Missæ audit à duobus Sacerdotibus simul celebrantibus, putà uno inchoante, et altero versante circa Consecrationem, tum propter rationem statim datam, tum propter propositionem ab Innocentio XI. damnatam, estque hæc numero 53. "Satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis Celebrantibus audit."

Observa 1°· quòd plures leves omissiones in eadem Missa, v. g. initio, et fine, inter se coalescant; adeoque si simul sumptæ constituant omissionem notabilem, inducunt peccatum mortale.

Observa 2°· eum non peccare graviter juxta Billuart, qui, auditis aliis partibus Missæ, abesset tempore, quo cantatur *Credo* aut *Præfatio*, aut aliquid musicale, tempore Concionis aut *Memento*, etiamsi ex morositate Celebrantis ad semihoram vel horam protraherentur; quia *Credo* aut *Præfatio* non sunt partes notabiles; morositas verò Celebrantis, sicut Concio aut musica diu producta non sunt de Substantialibus Missæ.

N. 19. DE PRÆSENTIA AD DEBITAM MISSÆ AUDITIONEM REQUISITA.

I. *Triplex requiritur præsentia*; II. *Scilicet præsentia moralis, id est, animi*, III. *Et corporis*, IV. *Præsentia religiosa, id est, reverentiæ exterioris*, V. *Et internæ devotionis*, VI. *Quæ consistit in debita intentione et attentione.*

QUALIS requiritur præsentia ad debitam Missæ auditionem?

I. R. Requiritur triplex, scilicet moralis, religiosa et integra: de hac ultima actum est Numero præcedenti.

Quid importat præsentia moralis?

II. R. Hæc duo, scilicet præsentiam animi et corporis.

1°· Per præsentiam animi intelligitur illa, quâ quis humano modo est præsens, et ita v. g. in ebrio aut dormiente, quantumvis involuntariè, deficit præsentia, tum religiosa, tum moralis, quarum neutram tollit distractio involuntaria.

III. 2°· Requirit præsentiam assistentiæ Corporis, ad quam requiritur et sufficit, ut quis sit ita præsens in loco, ubi fit Missa, ut moraliter loquendo censeatur Missæ assistere, sive unus esse de numero eorum, qui circumstant, et cum Sacerdote Sacrificium offerunt, secundùm quòd Celebrans pro eis orans dicit: *Et pro omnibus circumstantibus*: hinc potest esse præsens, qui à Celebrante aliquantùm distat, ipsum neque videns, neque audiens, v. g. si Ecclesia,

in qua celebratur, non capiat totam multitudinem, modò tamen ad multudinem assistentium moraliter pertinere censeatur, sique non nimio ab eo intervallo distet : contra potest aliquis non esse præsens, licèt parùm à Sacerdote distet, v. g. existens in vicina domo : attamen satisfaceret, qui è cubiculo Ecclesiæ contiguo per cancellos aut fenestram Missam audit.

Ex quibus sequitur, cæcos ac surdos posse, adeoque teneri Missam audire, si nempe sint in loco, unde, restitutis sensibus, audire et videre possent sicut alii.

Quid importat præsentia Religiosa ?

IV. R. Hæc duo : 1°. reverentiam exteriorem ; unde tempore Missæ obligationis confabulantes, corridentes, oculos quaquaversùm convertentes rei sunt transgressionis hujus præcepti, et ulteriùs peccati irreverentiæ ac communiter scandali.

V 2°. Requirit internam animi devotionem per modum orantis et colentis Deum : præcipit enim Ecclesia non tantùm opus externum, sed et modum internum quo debet illud impleri : meritò igitur Clerus Gallicanus damnavit ut temerariam, scandalosam, erroneam, impietati faventem et præcepto Ecclesiæ illudentem hanc propositionem : *Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro satisfit per reverentiam exteriorem tantùm, animo licèt voluntariè in aliena, imò et prava cogitatione defixo.*

VI. Porrò illa interna animi devotio consistit in debita audientis Missam intentione et attentione, de quibus perinde hic disserendum est, ut in officio Canonico.

N. 20. DE INTENTIONE ET ATTENTIONE IN AUDIENTE MISSAM REQUISITIS.

I. *In audiente Missam requiritur intentio* II. *Actualis, vel virtualis ex parte subjecti,* III. *Cum attentione interna.* IV. *Optima est attentio ad sensum et mysteria.* V. *Attentio ad Deum bona est et sufficit.* VI. *Quis dicitur involuntariè distractus.* VII. *Tempore Missæ legens horas Canonicas satisfacit utrique præcepto.*

Proba requiri intentionem in audiente Missam.

I. R. Ecclesia præcipit Missæ auditionem tanquam actum religionis: auditio autem Missæ secundùm se considerata est indifferens vel ad cultum Dei, vel ad curiositatem aut alium finem: ergo per intentionem est determinanda.

Qualis debet esse illa intentio?

II. R. Hic disserendum est, ut in Horis Canonicis, scilicet ex parte subjecti requiri intentionem actualem vel saltem virtualem.

Ex parte objecti autem debet esse intentio audiendi Missam tanquam actionem sacram, quâ Deo supremus cultus defertur: vide Num. 44. *de Religione,* quæ omnia ibidem dicta hìc pro insertis habeo.

Unum hic notandum, optimam esse illam intentionem, si pro objecto habeat quadruplicem finem Sacrificii, sive illud per Sacerdotem et cum Sacerdote offerendi ut Latreuticum, Eucharisticum, propitiatorium et impetratorium.

Proba, requiri attentionem internam in audiente Missam?

III. R. Probatur: quia præcipitur auditio religiosa Missæ, quâ Deus colitur: at non colitur Deus verè sinè attentione interna, cùm Deum in Spiritu et veritate oporteat adorare, Joan. cap. 4. v. 24.

Qualis debet esse attentio illa interna ex parte subjecti?

R. Actualis vel virtualis: optima quidem est actualis, non quæ est cum reflexione ad ipsam attentionem, quomodo anxiè se cruciant scrupulosi, sed cum reflectione ad objectum: sufficit tamen virtualis relicta ex intentione seu

›posito attendendi, quæ in decursu Missæ tamdiu perse-
rat, quamdiu non revocatur.

Qualis requiritur attentio ex parte objecti?

R. Triplex considerari potest: prima est ad signa externa, e hæc verba fuerint, gestus, &c. sive colores, figuræ ramentorum, &c. hæc attentio non sufficit, quemadmodum Num. 46. *de Religione* docetur, in recitatione Horum non sufficere attentionem ad verba sinè attentione Deum.

IV. Secunda est attentio ad sensum et Mysteria eorum, æ in Missa fiunt; et hæc sufficit ac continet implicitam ;entionem ad Deum, si tamen fiat, non per modum stuntis, sed orantis.

V. Tertia est attentio ad Deum, ut colatur per preces, editationes vel alios pios mentis et cordis affectus; hæc na est et sufficit: plurimùm tamen expedit, ut sic oran- vel meditantes reflectant saltem ad principaliores partes issæ, putà Offertorium, Consecrationem et Communio- m; imò aliqualem habeant intellectum eorum, quæ in issa aguntur, et præcipuè partium principalium, ut sendùm Missæ Mysteria devotio dirigatur.

VI. Ex dictis infertur, eos non satisfacere præcepto Ecesiæ graviterque peccare, qui per notabilem Missæ parm plenè voluntariè distrahuntur; eadem autem pars hìc nsenda est notabilis, quæ æquivalet omissioni partis notalis: excusari poterunt à mortali si distractiones quidem erint voluntariæ, sed imperfectè tantùm: si verò distracones plenè fuerint involuntariæ, neque impediunt implenem Præcepti, neque peccatum ullum inducunt; quia n tollunt attentionem virtualem, sed solummodo actualem: nsentur autem, inquit Sylvius, distractiones involuntariæ, amdiu quis, etsi aliena cogitet, non advertit, se de illis gitare tempore Missæ, seu eo tempore, quo deberet ad vina cogitare.

Observant Authores, quòd præcepto satisfaciant illi, i Missæ inserviunt, quamvis occupentur quærendis et eferendis necessariis: pariter qui pauculo tempore pulsant ampanam, thuribulum excitant, &c. tum quia hæc ad acionem Sacrificii aliqualiter spectant, tum quia mens cum is ad Deum attendere potest.

An ille, qui tempore Sacri de præcepto legit suas Horas Canonicas, satisfacit utrique obligationi ?

VII. R. Affirmativè juxta sententiam communem ; quia attentio requisita in recitatione Horarum non impedit attentionem requisitam in auditione Missæ ; sicut enim possum recitare Rosarium et alias preces liberas tempore Missæ, sic etiam possum recitare Horas Canonicas ; neque etiam Ecclesia præcipere videtur, ut duo illa præcepta diversis temporibus impleantur.

An cum auditione Missæ consistat confessio sacra mentalis et actus præparatorii ad illam ?

R. Optimè consistit, præmisso examine conscientiæ, elicere actus virtutum Theologicarum, contritionis, vel aliis piis actibus se præparare ad confessionem.

2o. Non videtur cum debita Missæ auditione subsistere examinare conscientiam.

3o. Imò qui per notabilem Missæ partem confitetur sacramentaliter, secundùm plerosque non satisfacit præcepto audiendi Missam : ratio est, quia licèt talis actum virtutis exerceat, non tamen magis videtur moraliter præsens Missæ, quàm ipse Confessarius, aut is, qui in altera parte Templi concionem haberet, aut Altare ornaret, quorum tamen nullus censetur moraliter præsens Missæ. 2o. Attentio, quam quis adhibere debet in investigandis peccatis eorumque circumstantiis, ac in purgando animo suo ab eis per confessionem, est omnino disparata ab attentione requisita, ut quis Missæ Sacrificio adsit : non enim ad attentionem Missæ necessariam sufficit quilibet actus religionis, ut patet in prioribus exemplis Confessarii aut Concionatoris, sed requiritur actus religionis in modum colentis Deum in ipso Sacrificio : attentio autem in confessione requisita consistit in eo, quòd numerus, species, aliæque circumstantiæ peccatorum commissorum declarentur.

Propterea tamen non videtur culpanda praxis Confessariorum ruri sub una alterave Missa Confessiones audientium ; hoc enim pœnitentibus licet, si habuerint vel habeant intentionem aliam Missam audiendi ; deinde eos excusare

potest non solùm bona fides, quâ sibi persuasum habent hoc licere, sed etiam confessionis brevitas, aut communis respectu plurium necessitas illo tempore confitendi.

N. 21. DE CAUSIS AB AUDITIONE MISSÆ EXCUSANTIBUS.

I. *Excusant ab auditione Missæ*, II. *Impotentia physica*, III. *Impotentia spiritualis*, IV. *Impotentia moralis*, V. *Obligatio charitatis*, VI. *Obligatio officii*, VII. *Consuetudo*. VIII. *Bona fides excusat à gravi*, IX. *Non licet sinè justa causa ponere impedimentum observationi legis latæ pro tempore sequenti obligantis.*

QUOT sunt causæ excusantes ab auditione Missæ?

I. R. Allegari solent quatuor, impotentia, charitas, officium et consuetudo: triplex potest distingui impotentia; physica scilicet, spiritualis, et moralis.

II. Ratione impotentiæ physicæ, quæ vinci absolutè nequit, excusantur incarcerati, ægri decumbentes, navigantes in mari, aut degentes in locis infidelium seu hæreticorum, in quibus non celebratur Missa: ad impotentiam etiam reduci potest inculpabilis ignorantia vel inadvertentia.

Si tamen ægri debitis ad recuperandas vires mediis non utantur, rei fiunt omissionis Missæ.

Observa, quomodo æger, si habeat oratorium domesticum, et si sinè notabili incommodo eò pervenire possit, teneatur curare, ut Sacerdos aliquis ibidem celebret: aliud foret, si cum gravi dispendio id facere teneretur, v. g. quando quis habitaret in castro rurali ad plures leucas à civitatibus dissito, et non posset nisi ægrè et magnis expensis Sacerdos haberi.

Nota, quòd sinè justa causa non liceat ponere impedimenta observationi præcepti, etiam antequam præceptum obliget: aliud est, si justa causa habeatur, quocirca occasione exempli de navigantibus ita loquitur Steyaert: "notandum, quòd etsi quis in fraudem se ponere non possit in impotentia præceptum aliquod Ecclesiæ adimplendi, tamen eadem Ecclesia impedire non velle censeatur subditorum

negotia, etsi per ea accidat talis impotentia, v. g. navigationem vel aliam profectionem, etiam ad partes, ubi Missa audiri aliquo tempore non poterit; sufficit, si faciant id, quod istis locis possunt, ad quæ justa de causa profecti sunt."

Si sine justa causa navigent aut degant in locis, in quibus nulla celebratur Missa, non excusantur, sed sunt in continuo peccato mortali, donec ad Catholicos redeant.

III. Impotentia spiritualis ferè provenit ex censura, quâ quis à Missa audienda impeditur: hinc excusantur fideles, si nullus adsit Sacerdos nisi interdictus aut nominatim excommunicatus, prout etiam excusantur ab auditione Missæ excommunicati aut interdicti, si per ipsos non stet, quominus absolutionem accipere possint: si autem excommunicatus aut interdictus possit absolutionem sibi procurare, et negligat, ex omnium sententia peccat contra charitatem respectu suî ipsius, quatenùs per illam negligentiam se voluntariè privat suffragiis Ecclesiæ, multisque aliis spiritualibus bonis; deinde juxta probabiliorem et in praxi securiorem sententiam peccat etiam contra Legem Ecclesiasticam diebus Festis et Dominicis audiendi Missam; quia lex aliquid præcipiens etiam præcipit remotionem eorum, quæ impediunt ejus observationem, si sine gravi incommodo tolli possunt, sicut si quis posset habere breviarium, et negligeret, omissio Horarum ei imputaretur.

IV. Impotentia moralis excusat eos, qui Missam quidem absolutè loquendo audire possunt, sed non nisi cum periculo, incommodo, aut detrimento notabili in bonis corporis, famæ aut fortunæ; hac ratione excusantur infirmi timentes morbi aggravationem, item convalescentes timentes recidivam, item si domus vel grex ob furtum vel hostium incursus deseri nequeat, item puella honesta ex fornicatione secreta prægnans; hæc omnia tamen non sunt fingenda, sed fundatè subsistere debent, prudenterque sunt ponderanda secundùm gravitatem et verosimilitudinem periculi, incommodi, aut detrimenti eorumque circumstantias: sic v. g. imbrium copia, quæ feminam una leuca à templo distantem excusat, non statim excusabit rusticum robustum et aëris inclementiæ assuetum.

V. Excusat titulus charitatis proximi, quando opere nostro charitatis, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, proximus noster graviter indiget: quod si ipsi præstemus, non compatitur Missæ auditionem, v. g. si quis curam habeat infirmi, cui ex absentia sua grave immineret periculum, vel etiam si per præsentiam tuam posses impedire homicidium, gravem læsionem, gravia peccata, vel prævenire rixas, potes et debes abstinere â Sacro.

VI. Excusat etiam titulus officii; quia qui ex officio tenetur, obligatur ex justitia, adeoque ex præcepto naturali, quod prævalet Legi Ecclessiasticæ de audienda Missa; hinc sub gravi peccato nec miles stationem, nec dux milites tempore prælii deserere possunt, ut audiant Missam: pariter opifices in fusuris ferrariis aut vitrariis, accensâ semel fornace, cùm non possint sine gravi jactura discedere, ab auditione Missæ excusantur: si tamen alii aliis succedere possunt, ad hoc tenentur.

Ubi autem duo illi tituli, scilicet officii et charitatis proximi, simul concurrunt, ut sæpe contingit, tantò magis excusatio erit legitima.

Accidere potest, quòd concurrentibus pluribus causis, quarum singula se solâ est insufficiens, simul sumptæ tamen causam rationabilem excusationis constituant.

Circa famulos, qui sine causa â dominis coguntur diebus Dominicis aut Festis Missam omittere, laborare, &c. rectè docet Steyaert, eos non peccare, dum tantisper obsequuntur metu gravi; quia Ecclesia non censetur tam rigidè obligare, sed teneri mutare famulatum, si possint, licèt alibi minus lucrum sint habituri, dummodo ibi habeant alimenta et quibus tegantur.

Quoad bubulcos et ovium pastores, ipsi, nisi aliter ferat omnimoda necessitas, pecora domi continere possunt tempore Missæ, aut aliam audire Missam in pago vicino.

VII. Consuetudinis titulus locum habet in puerperis usque ad purificationem: quia certum tempus sumendo pro incerto præsumuntur tamdiu infirmiores, quàm ut ad templum procedant, et upâ imitantur Beatæ Virginis exemplum. Cæterùm nullatenus excusantur, si propter alia negotia domo exeant.

VIII. Notat hic Billuart, eum, qui bonâ fide putat se excusari à Missa, quamvis sit minùs sufficiens ratio, peccare tantùm venialiter: simile est, si præter intentionem ex aliqua negligentiola Missa omittatur: ratio est, quia in his casibus non agitur formaliter contra Præceptum, nec nisi materialiter intervenit transgressio, ut redeat peccatum in naturam suæ formæ; quod etiam militat pro aliis præceptis.

Petitur, utrum itinerantes excusentur ab auditione Missæ?

R. Consuetudo obtinuit, inquit Billuart, ut qui proficiscitur à loco, ubi est Festum, teneatur audire Missam, antequam discedat: secùs, si simpliciter illac transeat, nisi fortè ibidem trahat moram observationi præcepti proportionatam, v. g. si per plures horas temporis matutini illic moraretur.

Excusantur autem itinerantes et navigantes, qui si Missam audiant, perdunt navim aut socium sibi necessarium, putà qui ignorant viam, aut grassantur latrones, nec differre possunt.

Petitur, utrùm licitum sit, antequam præceptum obliget, absque justa causa ponere impedimentum observationi illius, putà iter vel venationem non necessariam suscipere, unde prævides fore, ut non possis audire Sacrum die Dominicâ vel Festo sequenti?

IX. R. Non licere; quia licèt tunc non obliget Præceptum, non puto tamen licere Christiano absque justa causa se reddere impotentem observationi Legis latæ pro tempore sequenti obligantis, si quidem tunc ejus omissio sit ipsi voluntaria et imputabilis in causa: hâc ratione damnantur communiter, qui ex gula diebus bacchanalibus sibi morbos procurant, unde prævidènt fore, ut sint impotentes ad audiendum Sacrum et jejunandum tempore quadragesimæ; similiter ii, qui absque justa necessitate commorantur in locis hæreticorum, ubi Missa non celebratur; et sanè quis excusabit clericum navigantem, qui summo manè recitato integro officio currentis diei, projiceret breviarium in mare, ut ab onere recitandi deinceps eximeretur eà ratione, quòd præceptum recitandi die sequenti non obliget.

Docent plures Authores, quòd fideles sub veniali debeant interesse vesperis vel laudibus vespertinis, si possint.

Finaliter observa, quòd causa excusans ab auditione Missæ non tollat obligationem præcepti naturalis dies Dominicos et Festivos oratione, piâ lectione, vel aliis piis operibus sanctificandi.

Finis Tractatûs de Sacrificio Missæ.

INDEX.

Prior Numerus designat Numerum marginalem, posterior indicat paginam.

TRACTATUS DE INCARNATIONE.

Num.		*Page.*
1	De Incarnationis veritate et erroribus oppositis	5
2	Probatur contra Judæos,	6
3	De necessitate Incarnationis,	8
4	De satisfactione Christi secundùm rigorem Justitiæ,	9
5	De Causa finali incarnationis,	10
6	De modo Unionis hypostaticæ,	12
7	De Persona Christi,	13
8	De Naturis Christi,	15
9	De partibus humanæ Naturæ assumptis à Verbo,	16
10	De Anima Christi,	17
11	De defectibus Naturæ humanæ assumptis à Filio,	19
12	De communicatione idiomatum Regula I,	20
13	Reg. II. de communicatione idiomatum,	23
14	De locutionibus vitandis in communicatione idiomatum,	24
15	An Christus potest dici Filius Dei adoptivus,	24
16	De Scientia Christi,	24

17 De Gratiis Christi hominis, 29
18 De donis et virtutibus Animæ Christi, 31
19 De Gratia Christi, secundùm quod est Caput Ecclesiæ, 32
20 De Meritis Christi, 33
21 De præceptis Christo datis, 35
22 De libertate Christi sub præcepto Patris, 36
23 De Cultu Christi et Sanctorum, 38
24 De cultu et invocatione Sanctorum, 40
25 Objectiones contra invocationem Sanctorum, 41
26 De Cultu Imaginum, 43
27 De qualitate Cultûs Imaginum, 45
28 De Cultu Reliquiarum, 46
29 Consectaria de Cultu Reliquiarum. 48

De Mysteriis Vitæ et Mortis Christi.

30 De Annuntiatione et Conceptione Christi, 49
31 De Virginitate B. V. Mariæ, 51
32 De Nativitate Christi, 52
33 De Circumcisione Christi, 53
34 De Epiphania, seu Adoratione Magorum, 54
35 De Purificatione B. V. Mariæ, 55
36 De modo conversationis Christi, 56
37 De Baptismo, Jejunio et Tentatione Christi, 58
38 De Doctrina et Miraculis Christi, 59
39 De Transfiguratione Christi, 60
40 De Passione Christi, 61
41 De Resurrectione Christi, 62
42 De Apparitionibus Christi post Resurrectionem. 63

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

1 Quomodo accipiatur et dividatur Sacramentum, 65
2 Definitio Sacramenti, 67
3 Quale signum sit Sacramentum. 68
4 De essentialibus Sacramentorum Novæ Legis, 69
5 De materia et forma Sacramentorum, 71
6 De simultate materiæ et formæ, 72
7 De determinatione materiæ et formæ, 73
8 De divisione materiæ Sacramentorum, 74

9 De formis Sacramentorum, eorumque divisione, 76
0 De mutatione materiæ et formæ, 77
1 De variis modis mutationis formæ, 78
2 De intentione ministri circa mutationem formæ, 81
3 De usu materiæ vel formæ dubiæ, 83
4 De peccato mutantis materiam vel formam, 84
5 De necessitate Sacramentorum, 86
6 An in omni statu fuerint Sacramenta, 87
7 De modo causalitatis gratiæ per Sacramenta, 89
8 An conferant gratiam ex opere operato, 90
9 An conferant physicè, an moraliter, 92
0 De effectibus Sacramentorum Novæ Legis, 93
1 De gratia sanctificante primâ et secundâ, 94
2 De gratia unicuique Sacramento propriâ, 96
3 De inæqualitate gratiæ Sacramentorum, 97
4 De effectibus Sacramenti in voto tantùm, 99
5 An et quomodo Sacramenta veteris Legis contulerint gratiam, 100
6 De charactere sacramentali, 102
7 Quænam imprimant characterem, 104
8 Quandonam conferatur effectus Sacramenti, 106
9 De fictione seu positione obicis, 107
0 De reviviscentia Sacramentorum, 108
1 De causa Sacramentorum, 110
2 De Authore Sacramentorum, 111
3 De Ministro Sacrameutorum, 113
4 De fide et probitate Ministri, 115
5 De peccato indignè administrantis, 117
6 De aliis sacris functionibus indignè factis, 120
7 Quid agendum ministraturo, qui sibi conscius est peccati mortalis, 122
8 An liceat Sacramenta petere à malo Ministro, 124
9 De intentione necessaria ex parte Ministri, 127
0 De eadem intentione ex parte objecti, 130
1 De intentione explicita et implicita conficiendi Sacramentum, 132
2 De intentione conditionata, 134
3 Quibus Sacramenta sint dispensanda, 136
4 De subjecto Sacramentorum, 137
5 De dispositione necessaria in suscipiente, 138
6 De numero Sacramentorum, 141

47 De comparatione Sacramentorum ad invicem, 142
48 De Cæremoniis et sacramentalibus, 143
49 De effectibus Sacramentorum, 145

TRACTATUS DE BAPTISMO.

1 De variis Baptismi acceptionibus et figuris, 148
2 De definitione et institutione Sacramenti Baptismi, 150
3 De materia remota Baptismi, 151
4 Notanda circa materiam remotam, 153
5 De materia proxima Baptismi, 154
6 De ablutione necessaria ad valorem Sacramenti, 156
7 In qua parte corporis debeat fieri ablutio, 157
8 De ablutione occisiva, 158
9 De forma Baptismi, 160
10 De essentialibus formæ, 161
11 De Baptismo in Nomine Christi, 163
12 De Ministro Baptismi, 165
13 De ordine inter Ministros, 166
14 Varia circa Baptismi Ministerium, 168
15 De triplici Baptismo, 169
16 De dispositione in Baptismo flaminis et sanguinis, 171
17 De comparatione horum trium Baptismatum, 172
18 De necessitate Baptismi ad salutem, 173
19 De necessitate ad susceptionem aliorum Sacramentorum, 174
20 De subjecto Baptismi, 175
21 An infantes ante usum rationis rectè baptizentur, 176
22 An licitè, insciis vel invitis parentibus, 178
23 An in utero materno, 180
24 De sectione Cæsarea, 181
25 De fœtu abortivo, 184
26 De Monstris et amentibus, 185
27 De dispositione adulti baptizandi, 187
28 De tempore suscipiendi Baptismi, 188
29 De effectibus Baptismi, 190
30 De Baptismo fictè suscepto, 192
31 De reviviscentia Baptismi, 193
32 De initerabilitate Baptismi, 195
33 De peccato reiterationis Baptismi, 196
34 De rebaptizatione conditionata, 197

35 De baptizatis ob obstetricibus, 199
36 De expositiis, 201
37 De Baptizatis ab hæreticis, 202
38 Ubi Baptismus sit administrandus, 203
39 De Cæremoniis Baptismi, 204
40 De Cæremoniarum divisione, 205
41 De Patrinis, 206
42 De excludendis ab officio Patrini, 209
43 De registro Baptismali, 211
Dissertatio Theologica de baptizandis Abortivis, 215 *et seq.*

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

1 De nomine et definitione Confirmationis, 231
2 An Confirmatio sit Sacramentum, 232
3 De ejus institutione, 233
4 De materia ejus remota, 235
5 De materia ejus proxima, 236
6 De forma Confirmationis, 237
7 De Ministro Confirmationis, 239
8 De subjecto Confirmationis, 240
9 De dispositionibus requisitis in Confirmando, 241
10 De effectibus Confirmationis, 243
11 De ejus necessitate, 244
12 De Patrino Confirmationis, 246
13 De ritibus Confirmationis, 247

TRACTATUS DE VENERABILI SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

1 De variis Eucharistiæ nominibus, 251
2 De variis Eucharistiæ figuris, 252
3 De existentia Sacramenti Eucharistiæ, 253
4 An Sacramentum Eucharistiæ consistat in re permanente, 254
5 In quo essentialiter consistat Sacramentum Eucharistiæ, 255
6 An Eucharistia sit Sacramentum unum vel plura, 257
7 De institutione Eucharistiæ, 259
8 De die institutionis Eucharistiæ, 260
9 An Christus consecravit in pane azymo, 262

10 De materia Eucharistiæ conficiendæ in communi, 263
11 De requisita materiæ consecrandæ præsentia et determinatione, 264
Corollaria. 265
12 An una materia consecrari possit sine alia, 266
13 Qualis Panis sit materia Consecrationis, 267
14 An adhiberi debeat Panis azymus, an fermentatus, 268
15 Quale Vinum sit materia Consecrationis, 270
16 De aqua vino miscenda, 272
17 De forma Eucharistiæ conficiendæ in communi, 273
18 De forma Consecrationis panis, 275
19 De forma Consecrationis Vini, 276
20 De reali Christi præsentia in Eucharistia et erroribus oppositis, 278
21 Probatur realis præsentia ex Joan. cap. 6, 279
22 Probatur idem dogma ex verbis Institutionis, 281
23 Idem dogma probatur ex Traditione, 282
24 Solvuntur objectiones ex Scriptura et à ratione, 284
25 De Transubstantiatione, 285
26 De accidentibus Panis et Vini remanentibus, 288
27 De modo, quo Christus est in hoc Sacramento, 289
28 Quamdiu Christus remaneat in hoc Sacramento, 290
29 De Ministro conficiente Eucharistiam, 293
30 De Ministro Dispensationis Eucharistiæ, 294
31 De Dispositionibus ad susceptionem Eucharistiæ generatim, 296
32 De obligatione sacramentaliter confitendi ante Communionem, 297
33 Quandonam liceat communicare, non præmissâ Confessione, 298
34 De obligatione Sacerdotis, qui in peccato mortali celebravit, 301
35 De jejunio naturali in communicante requisito, 302
36 Utrùm sumptio tabaci frangat jejunium naturale, 303
37 Quibus casibus liceat non jejunis communicare, 304
38 De immunditia corporis ut impedimento Communionis, 307
39 De peccato indignæ Communionis, 309
40 An Communio sit neganda peccatori occulto, 310
41 An Communio neganda sit peccatori publico, 311
42 Quis tanquam peccator publicus à Communione repellendus, 312

peccatore publico, qui est in alio loco, vel in articulo mortis, 314
, et quandonam pueris danda sit Communio, 316
danda sit Communio amentibus energumenis, indecenter accedentibus, &c. 317
effectibus Sacramenti Eucharistiæ, 319
andonam Eucharistia conferat Gratiæ augmentum, 321
Eucharistia prosit aliis quàm sumentibus, 323
impedimento effectûs hujus Sacramenti, *ibid.*
triplici modo communicandi, 325
tempore Communionem prohibente, 327
ibus casibus liceat pluries de die communicare, 328
Viaticum sit dandum illi, qui eàdem die ex devotione communicavit, 329
frequentia Communionis, 330
necessitate Sacramenti Eucharistiæ, 333
præcepto Divino communicandi, 335
Communione sub utraque specie, 336
major conferatur gratia per utramque speciem, quàm per unicam, 338
præcepto Ecclesiastico Communionis, 339
andonam obligat præceptum Ecclesiasticum Communionis, 341
quo, et ubi sumenda sit Communio Paschalis, 343
venia dilationis Communionis Paschalis, 345
pœna non communicantis in Paschate, 346
Communione sacrilega in Paschate, 347
Communione infirmorum, 348
pendix de materia et forma componente Sacramentum Eucharistiæ, 352

'RACTATUS DE SACRIFICIO MISSÆ.

Sacrificio generatim sumpto, 353
e divisione Sacrificii, 356
e existentia Sacrificii Missæ, 358
e essentia Sacrificii Missæ, 363
e Ministro Sacrificii Missæ, 367
e fine Sacrificii Missæ, 368
e effectibus Sacrificii Missæ, 370



THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY
REFERENCE DEPARTMENT

his book is under no circumstances to be taken from the Building